Delectationis tranſlatio eſt, quæ vel clariorem efficit orationem, vel ſignificantiorem, decentiorem, breuiorem.58. a.m.exempla.ibidem.
Ducuntur à ſenſibus omnibus elegantes metaphoræ, & maximè Oculorum.58.a f.exempla.
Metaphoræ vim eſſe quadruplicẽ. 58 b p.exempla.
In tranſlatione ſeptem vitia vitanda.58.b.m.
Tranſlatio continuata, allegoria eſt.

eſt.59.a.f.
Inter tranſlationem, & Metonymiam differentia. 59.a.f.
Tranſlata verba illuſtrant orationem.66.b.p.
Tranſlatiua conſtitutio. 152. b p.
Trahimur omnes laudis ſtudio, & optimus quiſque maximè gloria ducitur.66.a.m.
Tripudium ſoliſtimũ, quid. 15. b. f.
Triſtia, quæ 45. b.m.
Tribunal L. Caſſii reorum ſcopulus ibi.a.f.
Tropus.57.b.m.
Tumultus.95.b.p.
Turpia nomina fugienda oratori. 54.b.m.& tota pagella.
Tyrannus quis.36.a.m.
Tyrannus, & Rex. 95. a.p.

V

Valetudo bona, & mala, 89. a.m
Valla reprehenditur, 41.a.f
Variandi ſiue dilatandi ratio per metaphoram, quod ſpectat ad vbertatem, & copiam 58.a.p
Variãdi ratio per metaphorã, quæ ducitur a ſenſibus omnib.58 a.f
Ab animato ad animatum, 58.b.p
Ab inanimato ad inanimatum, ibid.
Ab animato ad inanimatũ, ib.
Ab inanimato ad animatum, ibidem.
Variandi ratio per allegoriam, 58. b.f 59.a.p
Variandi rntio per Metonymiam, 59.a.f
Ea fit compluribus modis. 59.b.p
Variandi ratio per Catachreſim, 59.b.f
Variandi ratio per Hyperbolem, 60.a.m
Pluribus modis fieri ſolet, ib.
Variandi ratio per definitionem, 72.a.f
Per enumerationem partiũ. 72.b.p
Hæc dilatandi ratio per enumerationem partium, pulcherrima eſt, & frequentiſs. 72.b.m
Per interpretationẽ.72.b.m
Per incrementum.72.b.f
Variãdi ratio per commutationem verborum, 73 b.p
Varietas in oratione delectat.101. a.p
Vates qui dicebantur, 16.a.p
Vates olim in ſũmo precio.16.b.p
Veliuolum mare.53.a.f.
Venatio.132.b.m
Cyrum Perſarum regem ferè quotidie venari ſolitum. ibid.
Poetæ faciunt heroas ſuos frequentiſſimè venantes, ibid.
Mulieres venationi deditas. 132.b.m
Mithridates rex venandi ſtudioſus.132.b.f.
Venus.21.b.p
Verba alia ſimplicia, alia coniuncta.51.b m
Verba ſimplicia inuenienda, & excogitanda, coniuncta verò aptè collocanda.51.b.m
Verborum ſimplicium tres virtutes, quibus ex altera parte totidem vitia reſpondent, ibidem.
Verborum delectus, initium eloquentiæ.51.b.f
Verbum inſolens in oratione vitandum.52.a.p

Tres

Tres virtutes in coniunctorum verborum collocatione eſſe debent. 52.a.p
Verba ſimplicia alia natiua, alia reperta. 52.a.m.
Verba natiua, quæ. ibidem.
Verba reperta quatuor modis à natiuis deduci poſſunt. ibidem.
Verba non ſunt naturalia, ſed ab hominum inſtitutione profecta. 52.a.f.
Verba primæ intentionis quæ ſint 52.a.f.
Verba primitiua apud grammaticos quæ 52.b.p.
Deriuatiua ibidem.
Verba natiua propria ſint oportet 52.b.p.
Verba maiorem grauitatem habentia 53.b.p.
Verbalia pro abſolutis poſita conſonantiora ſunt 53.b.f.
Verba compoſita, conſonantiora, 54.a.p
Verba plures Syllabas habentia, conſonantiora 54.a.m.
Verba Syllabas longiores habētia, grādiora, & cōſonātiora 54.a.m
Verba ſimplicia quomodo dilatari, vel contrahi poſſunt 73.b.p
Verba vſitata, quæ 62.b.f. facta 106.b m. & 123 propria 63.a.p. 72.a.f
Idem ſignificantia 72.a.f
Iucunda 67.b.m
Grauia 106.b.p. 107.b.m
Sonantia 67.b.f. 106.b.p
Iuncta 106.b.m
Lenia 67.b.f
Illuſtria 106.a.f
Verba cognomina, quæ 106.b.m
Non vulgata 106.b.m
Superlata 106.b.f
Tranſlata 106.b.f. 123.b.m
Relata 107.a.m
Iterata ibid.
Duplicata ibid.
Verecundiam Cicero vehementer commendat 131.a.m
Verecundia, quid 131.a.m
Verecundi, qui ibid.
Verecundia an inter virtutes ſit numeranda 131.a.m
Veriſimilia, & probabilia, quæ ſint 88 b.p
Veriſimilia vnde reperiantur 88.b.m
Veriſimile, & ſignum, quomodo differant 92.b.p.
Nonnulla exempla Cicero ponit ibidem
Veriſimilia argumēta tribus rationibus infirmare poſſumus, 97.b.f.
Veritatis ſimplex eſt oratio 92.b.f
Veſtigium, hoc eſt pedū nota, nonnunquam ad veritatem ducit, 165.a.m
Victoria natura inſolens 137.b.f
Virgilij laus 70.a.m
Viris præſtantibus aliqua contra morē ciuilē conceduntur 80.a.p
Nullum vnquā virum magnū ſine afflatu diuino fuiſſe 136.b.m
Vir fortis, & ſapiens non tam præmia ſequi ſolet rectè factorum, quàm ipſa rectè facta 137.b.m
Viro nihil præſtabilius, quàm periculis patriam liberare 137.b.m
Vir bonus nūquam omnino falſum dicit teſtimonium 166.b.m.
Virtus, quid ſit 20.b f
Vera laus omnis à virtute proficiſcitur 44.b.f
Virtus poteſt omnia 51.b.p
Virtutis ſpecies etiam in hoſte poſita de-

Digitized by Google

tu delectat 78.b.p
Virtutis laus 78.b.m
Virtutes principales, quatuor 89.b.m
Virtus quomodo acquiratur 117.b.m
Virtus hoīs eſt propria 121.a.m
Vera laus in virtutis actione conſiſtit 121.a.m
Virtutis ius, & natura duplex 127.b.p
Virtutes ſunt animi quaſi perfectiones quædam 127.b.m
Virtutes ſunt animi habitus conſentientes 131.b.p.
Virtus, quid ſit 131.b.m
Virtuti tria ſolent ineſſe 131.b.m
Virtus per ſe maximè laudabilis, 131.b.f.
Virtus eſt medium vitiorum, & vtrinque reductum 133.b.p
Omnis virtus in mediocritate poſita 133.b.p
Virtus per ſe expetenda 142.a.f
Virtus eſt hoīs propria 146.a.m
Vis animorum, duplex 127.b.m
Vis oratoris nuſquam magis apparet, quàm cum in perorationibus iudices, vel inuitos lachrymare compellit 50.b.m
Viſus deſcriptio 21.b.f
Viſum per ſe, Auditum per accidēs longè præſtantiorem eſſe 70.a.p
Vitioſitas, quid ſit 133.b.m
Vocabula noua non licet fre uenq ter vſurpare 57.a.p
Vocales crebræ, cum inter ſe concurrunt, biantem orationem efficiunt 68.a.m
Vocalium concurſus in graui oratione fugiendus 68.a.m
In epiſtolis, & familiari collocutione toleratur 68.a m
Demoſthenes eum diligenter euitat 68.a.m
In Carminibus magnoperè vituperatur, ibid.
Voluntas, & natura ſemper alicuius gratia faciunt. 33.a.f
Voluptas eſt opinio boni præſentis, 41.a.f.
Voluptas vnde naſcatur. 112.b.p
Voluptas quodammodo nobis eſt innata. 133.b f
Voluptate propoſita, facilius plebeiorum animos quocunque voluerimus impellemus. 144.b.f
Voluptas maximè inimica virtuti. 145.a p
Voluptas peſtis, & eſca malorum. 145.a.p
In voluptatis regno, virtus non poteſt conſiſtere. 145.a.m
Voluptas duplex, corporis & animi. 145.a.m
Voluptas bona, vt probatur multis argumentis. 145.a.m
Vtilitates, quæ a ratione laudandi, & vituperandi proficiſcuntur, duæ præcipuæ. 122.a.f
Vtilitas nunquam à bonis viris ab honeſtate ſeparata. 139.a.f
Vtile quomodo in deliberatione tractandum. 142.b.m
Vultus eſt tacita mentis locutio. 126.b.p

X

XEnocratis laus. 20.a.m

Z

ZEno Phalaridis crudelitatem vltus eſt. 104.a.f

FINIS.

# M. ANTONII MAIORAGII

## PROOEMIVM IN DIALOGVM DE PARTITIONE ORATORIA M. TVLLII CICERONIS.

PARVVM quidem Ciceronis librum de Partitione oratoria, & nullo fere cum alio eiuſdem auctoris, magnitudine comparandum, interpretandum ſuſcepimus hoc anno; ſed ita præclarus eſt, atque adeo egregius, vt nihil ſit hoc in genere, quod vlla ex parte cum eo conferri poſſe videatur; neque tantum aureolus, ſed etiam gemmeus, is merito poſsit appellari. quidquid enim ad artis oratoriæ præcepta tradenda pertinet, id miro quodam ordine breuiterque ſatis, & dilucide complexus eſt hoc vno libro Cicero. Quare nullum omnino, neque breuius opus, neque iuuentuti vtilius, quod quidem ex hoc genere ſit, inueniri poſſe exiſtimo. nam quæ fuſius, & enodatius alijs in libris tradita ſunt, ea per capita quædam ita digeruntur, vt cum nihil, quod ad rem propoſitam faciat, prætermittatur, tum diligenter omnia pertractentur. Itaque non modo in manibus frequenter habendus, & ſtudioſe legendus eſt, ſed etiam, ſi fieri poteſt, ad verbum ediſcendus. Nec vero quiſquam operis paruitatem aſpernabitur, qui plurimas res inueniri cogitauerit, quæ quamuis minimo corpore ſint, maximis tamen rebus anteponantur, & multo precioſiores eſſe iudicentur. Quis enim neſcit ſmaragdos, adamantes, carbunculos, vniones, ceteraque huius generis, quamuis admodum parua ſint, precio tamen atque æſtimatione longe ſaxis ingentibus antecellere? Quis neſcit paruam auri maſſam, magnis ferri molibus eſſe precioſiorem? Quin etiam ita natura comparatum eſſe videtur, vt precioſiſsima quęque paruo corpore contenta ſint. Vt enim lapillos, gemmas, margaritas prætermittam, quæ quam puſilla ſint omnes intelligunt; quid in humano corpore oculis præſtantius eſt? qui, quod ait Plato, duces nobis ad Dei cognitionem, & ad maximas quaſque res eſſe ſolent; eos tamen admodum paruam corporis partem eſſe ſcimus omnes. Quid? quod Ariſtoteles, & Plinius ſcribunt, anima-

Quid in nuce iu-

clusā Ilia da Home ri carmen in membrana ſcriptum tradidit Pli. lib. 7. nat. hiſt. ca. 21.

lia, quibus cor ipſum paruum eſt, audentia, quibus prægrande, pauida exiſtimari? illud certe perſpectum, & exploratum eſt, etiam homines, qui nimis magno corpore ſunt, hebetiores, & ignauiores exiſtere ſolere, tradit ille poetarum Princeps Homerus, Tidæum Diomedis patrem, paruo quidem corpore fuiſſe, ſed præſtanti animo, & maximo. quare factum eſt, vt ille dixerit;

*Vtilior Tidæus, qui, ſi quid credis Homero,*
*Ingenio pugnax, corpore paruus erat.*

Hinc etiam Papinius eleganter, & vere cecinit.

*Maior in exiguo regnabat corpore virtus.*

Quod multo ingenioſius, & politius ad Apes tranſtulit Maro, de quibus in Georgicis, vbi ait.

*Ingentes animos anguſto in pectore verſant.*

Ac mihi quidem, res ſingulas diligentisſime conſideranti, videntur omnia non tam magnitudine, quam virtute eſſe ponderanda. vt non quærendum ſit, quantum quidque ſit, aut quam magnum, ſed quā bonum, quam vtile, quam præclarum. Quis enim vnquam poetam ideo laudauit, quod multa carminum millia facile conſcriberet? Quis oratorem ideo celebrandum exiſtimauit, quod maximam verborum multitudinem ex tempore profunderet? Quis librum ideo magni faciendum duxit, quod magnus, atque amplus eſſet? nemo hercle tam rerum ignarus eſt, quin intelligat, doctiſsimorum hominum libellos, magnis imperitorum voluminibus, in quibus nulla ſit eruditio, nullus lepos, ac venuſtas, nullus verborum ſplendor, nulla ſententiarum grauitas, anteponendos eſſe. Quocirca, meo quidem iudicio, plus multo hæ Ciceronis Partitiones, ſi quis eas recte perceperit, & memoriæ mandarit, ad dicendi rationem proderunt (dicam audacter quod ſentio) quam ſi quis totum Hermogenem, aut Quintilianum euoluerit. neque hoc ideo dico, quod hi ſcriptores artis, ingenio, & eloquentia careant, ſed quod, ſi cum Cicerone conferantur, vix quintæ claſsis eſſe videantur. Cum igitur tanta ſit huius operis breuitas; apparet id diligenter ſeruaſſe Ciceronem, quod ijs, qui præcipiunt, ſeruandum eſſe cenſet Horatius in Arte poetica, quando ait.

*Quicquid præcipies, eſto breuis, vt cito dicta*
*Percipiant animi dociles, teneantque fideles,*
*Omne ſuperuacuum pleno de pectore manat.*

Sed nos perſpicuitatis gratia fuſiorem, & enodatiorem interpretationem adhibere, & exempla ex optimis auctoribus petita adiungere.

Digitized by Google

re cogitamus. nam hæc ipſa Ciceronis præcepta ſic illuſtrantur explanatione, tanquam agri foſsione fuerint ſubacti: vt exemplis mox, quaſi imbribus molliti, vberiores efferant fruges. In qua quidem explanatione non tantum ea dicendi præcepta complectar, quæ rhetorum in libris tradi ſolent, ſed nonnulla etiam, quæ ad diſſerendi rationem, & dialecticam ſpectant, ſine quibus non ſatis commode hoc opus intelligi poteſt, & vera non poteſt eloquentia conſtare. Nam cum omnes artes, quæ ad humanitatem pertinent, auctore Cicerone, quoddam habeant commune vinculum, & quaſi cognatione quadam inter ſe contineantur, tum illæ præcipuæ duæ, quæ probabilem, & politam orationem efficere nos docent, non tantum cognatæ, atque adeo ſorores videntur eſſe, verum etiam ita coniunctæ ſunt, & connexæ inter ſe, vt vix alteram queas ab altera diſcernere. qua de cauſa factum eſt, vt grauiſsimi auctores, forma tantum & quaſi habitu, differre a dialectica rhetoricam exiſtimarint. nam Zeno ille, qui auctor & princeps ſtoicorum fuit, manu demonſtrare ſolebat, quid inter has artes intereſſet, cum enim compreſſerat digitos, pugnumque fecerat, dialecticam aiebat eiuſmodi eſſe; cum autem diduxerat, & manum dilatauerat, palmæ illius ſimilem eloquentiam eſſe dicebat. atque etiam ante hunc Ariſtoteles principio artis rhetoricę dicit illam artem quaſi ex altera parte reſpondere dialecticæ, vt hoc videlicet differant inter ſe, quod hæc ratio dicendi latior ſit, illa loquendi contractior. id quod lib. 2. de finibus, & in oratore ſcribit Cicero. itaque idem de claris oratoribus ait dialecticam quaſi contractam eloquentiam putandam eſſe, eloquentiam vero dialecticam eſſe dilatatam exiſtimari. & Alexander Aphrodiſenſis eo dialecticam a rhetorica differre tradit, quod dialectica non vtatur oratione copioſa, lateque diffuſa, quemadmodum rhetorica ſolet. cum igitur in eadem materia verſentur dialecticus, & orator, neque ſubiectis rebus, ſed ratione differant, priuſquam in oratione quæratur probabilitas, quam ornatus, ſequitur vt artem oratoriam conſequi nemo poſsit, niſi qui dialecticas et rationes percepit. Addit enim oratoria facultas dialecticis inuentionibus verborum ſplendorem, & ornamenta; quo fit, vt rhetoricæ quaſi fundamentum quoddam dialectica ſubſternatur. vnde Quintilianus ſic ait, His fere veteres facultatem dicendi exercuerunt, aſſumpta tamen a dialecticis argumentandi ratione; quin Ariſtoteles libro primo artis rhetoricæ ex dialectica, & ciuili ſcientia, quam politicam vocat, rhetoricam vult eſſe compoſitam. nam cum, vt Cicero ſcribit, omnis ratio diſſerendi duas habeat partes, vnam inueniendi, alteram iudicandi, prior illa pars, quæ ad inueniendum pertinet, tota dialectico, & oratori communis eſt; ideo Cicero locos ac ſedes argumentorum, quæ traduntur in Topicis, ab oratore bene percipi cen-

Pro Archia.

Libr. 2.

In Topicis.

ſet oportere, vt eos locos tum hoc in opere tangit, tum in lib. 2. de oratore exemplis illuſtrat, tum in Topicis copioſe perſequitur. alteram vero dialecticæ partem, quæ iudicandi viam aperit, maiori etiam ex parte ſumit orator. Cum enim dialectici officium ſit diuidere, definire, & argumentari, quis primo non intelligit diuidendi rationem eſſe oratori neceſſariam? neque enim aliter quomodo cauſarum genera, conſtitutioneſque inter ſe differant, quid ſibi cum aduerſario conueniat, quid in controuerſia ſit, quid prius, quid poſterius dicere oporteat, qua ratione, quoue ordine diſponenda ſint argumenta intelligere poterit? cum autem, Ariſtotele teſte, prima virtus orationis ſit perſpicuitas, nullo modo fieri poteſt, vt orator perſpicue dicat, niſi rem vniuerſam, cum opus eſt, in partes certas, vt nulla neque prætermittatur, neque redundet, ſciat tribuere; vt mox prima quæque pars, vt expoſita fuerit in partitione, ſic ordine tranſigatur; & nihil confuſe, nihilque permixte dicatur. nam, vt lib. primo de Inuentione docet Cicero, recte habita in cauſa partitio illuſtrem, & perſpicuā totam efficit orationem; & Hermogenes vbi de ſtatu, ideſt de controuerſiarum generibus agit, ſtatim diuiſionem non paruam eſſe rhetoricæ partem, vel potius maximam eſſe dicit. Quæ cum ita ſint, non mirum eſt, ſi aureolus hic Ciceronis libellus a partiendo ſuam habet inſcriptionem: vt oratoriæ partitiones ideo dictæ videri poſſint, quod partiendi, atque diuidendi rationem orator tenere debet. Quid de ratione definiendi commemorem? quam licet orator non ita curioſe perſequatur, vt dialecticus, ea tamen ſolet vti frequentiſſime, quotieſcunque rei alicuius vim atque naturam explicare contendit. quin totas aliquando cauſas in definiendo conſumit. vnde etiam controuerſiæ quoddam genus a definiendi ratione definitiuum appellatur; neque ſane rem vllam apte deſcribere poteſt orator, quod illi frequentiſſime faciendum eſt, niſi definiendi ſcientiam habet. Iam vero tota argumentandi ratio niſi oratori notiſſima fuerit, quid eſt, in quo magnus eſſe poſſit? aut quam vim habere poteſt oratio ſine argumentis? fieri quidem poteſt, vt aliquis naturæ ipſius inſtinctu, probabilem aliquam, etiam ſine dialecticæ cognitione, orationem habeat, quoniam hæ nobis duæ ſcientiæ, ſicuti cenſet Ariſtoteles, ſunt quodammodo naturales, ſed tamen quoniā, vt ait Cicero, certior dux eſt ars, quam natura, notam illi dialecticam eſſe oportet, quicunque certa ratione probabiliter aliquid dicere concupiſcit. cum præſertim tota ſpes vincendi, ratioque perſuadendi poſita ſit in confirmatione, & confutatione, quæ certe ſine argumentatione conſtare nullo modo poſſunt. Atque, vt totam hanc quæſtionem abſoluam, tria ſunt, quæ maxime laudabilem orationem efficiunt, reliqua ſuam dignitatem in oratione retinere nullo modo poſſunt. debet enim oratio eſſe emendata,

proba-

Digitized by Google

probabilis, & polita, quorum primum ſola grammatica præſtare poteſt, alterum dialectica, tertium rhetorica. grammaticorum enim officium eſt, ea tradere præcepta, quæ ad purè, & emendatè loquendum pertinent; dialecticorum vero ea eſt reperire, quæ audientium approbationem moueant, & quid verum, quid falſum ſit, quid conſequens, quid repugnans in oratione nos doceant; rhetorum denique vnum eſt maxime proprium, quæ quodammodo nuda ſunt, & impolita, veſtire, atque ornare oratione. Quare quicunque aliquid cum laude dicere, vel ſcribere ſtudet, is arteis has treis plane cognitas habeat, oportet; vt omnia, quęcũque dicere aut ſcribere inſtituerit, ad earum præcepta reuocare poſſit.

*M. ANTONII MAIORAGII, IN DIALOGVM de Partitione oratoria M. Tullij Ciceronis, Commentarius.*

PRimum omnium quærendum videtur, quid Partitio ſit, & cur hæ partitiones oratoriæ ſint appellatæ neque enim aliter quid ſit propoſitum auctori, quo curſum ſuum dirigere velit, ſcire poſſumus, niſi prius quæ vis tituli ſit, & inſcriptionis intelligamus. Tradunt Dialectici tria præcipue diuidendi genera quorum vnum eſt, cum genus vniuerſum in ſpecies, ac formas ſuas diducitur, vt cum dicimus animalium alia eſſe terreſtria, alia volatilia, alia aquatilia; vel cum virtutem diuidimus in prudentiam, iuſtitiam, fortuitudinem, & temperantiam. quo in genere ſemper ſpecies, ſeu forma generi ſubiecta nomen ipſius generis tenet. vt ſi dicamus elementum in qauttuor ſpecies diuidi, terram, aquam, aerem, ignem. certe quælibet ſpecies dicetur elementum, vt terra eſt elementum, aqua eſt elementum, & ita in reliquis. Et quia prudentia ſpecies eſt virtutis, recte prudentia virtus eſſe dicetur. atque hoc primum & præcipuum diuiſionis genus eſt. Alterum genus eſt diuiſionis, quando aliqua dictio plures habet ſignificationes, quas omnes notas facere volumus, vt cum dicimus canem tria ſignificare, primo terreſtre animal, quod latrat, deinde piſcem marinum, tum cæleſte ſidus; & taurum primo bouem ſignificare, deinde ſidus, tum montem, denique viri etiam proprium eſſe nomen. ad hoc genus etiam ea reducuntur, quæ varijs modis dicuntur, vt ſanum tribus dicitur modis, primo quod in ſe morbi nihil habet, vt animal ſanum, ſecundo quod conficiens eſt ſanitatis, vt cibum ſanum eſſe dicimus, & exercitationem ſanam; tertio, quod ſanitatis ſignum eſt, vt vrinam dicimus eſſe ſanam. Tertium genus diuiſionis eſt, cum res aliqua tota ſuas in partes, quaſi in membra quædam, diuiditur; vt ſi quis totum corpus diuidat in caput, humeros, brachia, thoracem, crura, pedes, aut ſi quis rem aliquam multis diſtribuat, vt apud Virgilium. lib. j. Aen.

*Aeneas*

*Aeneas ſocios partitur in omnes*
*Vina bonus quæ deinde cadis onerarat Aceſtes.*

atque hæc proprie partitio nuncupatur, cum totum in partes diſtribuitur, in qua ſæpenumero accidit, vt partes totius nomen retinere non poſsint. neque enim recte quis dixerit, caput, aut humeros eſſe hominis corpus, ſicuti neque trabem, aut parietem ædificium eſſe, licet ſint ædificij partes. Atque his quidem tribus diuiſionis generibus frequenter vtitur Cicero; ſed nos ſingulis cuiuſque generis exemplis contenti erimus. primo, honeſtum, quod genus eſt, in ſuas ſpecies ita diuidit; Sed omne quod honeſtum eſt, id quattuor partium oritur ex aliqua, aut enim in perſpicientia veri, ſolertiaq; verſatur, aut in hominum ſocietate tuenda, tribuendoq; ſuum cuique, & rerum contractarum fide aut in animi excelſi, atque inuicti magnitudine, ac robore, aut in omnium quæ fiunt, quæq; dicuntur, ordine & modo, in quo ineſt modeſtia, & temperantia. Pro A. Cæcina docet, quot modis hoc aduerbium VNDE dicatur, ſic enim ait, Hoc verbum, VNDE, vtrunque declarat, & ex quo loco, & a quo loco, vnde deiectus eſt Cæcina? ex vrbe, vnde deieciſti? ab vrbe. vnde deiecti Galli? a Capitolio. vnde, qui cum Graccho fuerunt? ex Capitolio. videtis igitur hoc vno verbo ſignificari res duas, & ex quo loco, & a quo loco. In orationibus vero plerunque totas cauſas in partes certas diuidit, vt eas deinde ſigillatim tractet, vt pro lege Man. Primum mihi videtur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de Imperatore deligendo eſſe dicendum. Ex his igitur tribus diuiſionis generibus, tertium ſolum Partitio dicitur, quo res aliqua tota & vniuerſa in ſuas partes tribuitur. ſic fit, vt diuiſio ſit tamquam genus, partitio vero tamquam ſpecies: nam omnis partitio, poteſt etiam diuiſio dici, ſed non contra. neque enim omnis diuiſio, eſt partitio, quemadmodum omnis homo dicitur animal, non autem contra omne animal homo eſt. Cicero in Topicis ita Partitionem a diuiſione ſecernit; In partitione quaſi membra ſunt, vt caput, humeri, manus, latera, crura, pedes. In diuiſione, formæ, quas græci εἴδεας vocant, noſtri ſi qui forte hæc tractant, ſpecies appellant. Quintilianus eaſdem ſic acute diſtinguit. Diuiſio eſt plurium rerum in ſingulas. Partitio ſingularum in partes diſcretus ordo. græci etiam hęc habent diſtincta nomina. nam quæ diuiſio eſt generis in ſpecies διαίρεσις ab illis dicitur: quæ vero totius in partes, μερισμός appellatur. Hanc igitur cum præclare diſtinctionem Cicero intelligeret, noluit hoc opus diuiſiones, ſed partitiones oratorias appellare. non enim hic aliquod genus, quod plures formas ſpecie diſtinctas complectatur, ſibi diuidendum proponit; ſed totā dicendi rationem ſic amplectitur, vt eam ſigillatim in partes ſuas diſtri-

Libr. officiorū pri.

Propius ſinem.

Lib. 7. c. 2.

Digitized by Google

diſtribuat, & in ſingulis præcepta tradat. quæ via, ratioq; docendarum artium pulcherrima eſt, & græco nomine Methodus appellatur. Poteſt etiam quædam altior eſſe cauſa, cur has Cicero Partitiones vocarit, quoniam ab Academicis, quos vbique fere ſequitur Cicero, ſic oratoriç scholç ſolerent appellari, cum præſertim in extremá huius operis parte, ſic ipſe ſcribat, Expoſitæ ſunt tibi omnes oratoriæ partitiones, quç quidem e media illa noſtra Academia floruerunt, neque ſine ea, aut inueniri, aut intelligi, aut tractari poſſunt. Nã Plato, quod ſatis conſtat, rerum omnium vim, atque naturam diuidendo, & partiendo potiſsimum inueſtigandum eſſe cenſebat. vnde quærit Ariſtoteles, quænam ratio definitionis ſit; vtrum ea, quæ per diuiſionem fit, an ea, quæ per compoſitionem. ſingularum enim partium cognitio totius etiam cognitionem afferre ſolet. Omnem igitur dicẽdi doctrinam in hoc opere, primo tres in partes Cicero diſtribuit, in vim oratoris, in orationem, in quæſtionem; deinde iterum unamquamque partem in alias partes diducit; quibus expoſitis ac declaratis, operi finem imponit. Primo de anima.

## *DE DIALOGO.*

QVoniam hoc Partitionum opus dialogo conſcriptum eſt, primum mihi quærendum eſſe videtur, quid ſit dialogus, & vnde originem traxerit. fuerunt enim quidam imperiti homines qui nominis etymologiam ſecuti, dialogum eſſe duorum ſermonem definierunt, quorum ignorantiam res ipſa coarguit, quoniam in pleriſque dialogis non duo tantum, ſed plures ſæpenumero inter ſe colloquentes inducuntur. quod in Platonis dialogis pluribus in locis videre licet. melius igitur ij ſenſiſſe videri poſſunt, qui dialogũ à verbo græco διαλέγομαι, quod eſt differere, ſeu diſputare dictum velint; quoniam in eo ſemper de aliqua re inter plures diſſeritur. quare Diogenes Laertius in Platonis vita dialogum ita definit, vt dicat, eſſe ſermonem ex interrogatione, & reſponſione compoſitum, de ijs rebus, quæ vel philoſophiam, vel Reipub. parteis attingant, cum decora, congruentique perſonarum, quæ inducuntur expreſsione, accurataque verborum compoſitione. Cicero videtur dialogum interpretari diſputationem; ſic enim ait ad Lentulum ſcribens; ſcripſi igitur Ariſtotelico more, quemadmodum quidem volui, tres libros in diſputatione, ac dialogo de oratore; & in Bruto; diſputatioque eſſet inter eos, vt eſt conſuetudo dialogorum; & ad Atticum, Nos Tarenti quos cũ Pompeio dialogos de Repub. habuerimus ad te perſcribemus. Tradit autem Diogenes Laertius Zenonem Eleatem primum fuiſſe, qui dialogos conſcripſerit. Ariſtoteles Alexamenum Styreum, ſiue Te- Lib. 3. Lib. 1. fa. Libr. 5 Libr. 2. Athẽ. lib. 11. ca. 21. In poet.



Digitized by Google

ium dialogorum auctorem facit, ſicut etiam Phauorinus in Commentarijs. Ceterum Plato rude adhuc, & impolitum, tantumq; inchoatum dialogorum genus expoliuit, illuſtrauit, atque perfecit; tantumq; huic generi ſcribendi adiumenti attulit, vt non ſolum exornationem, atque expolitionem; ſed etiam maiorem inuentionis partem merito ſibi vendicare poſsit. apud latinos inuenio genus hoc ſcribendi etiam ante Ciceronis tempora fuiſſe in conſuetudine. nam M. Brutus iuris conſultus, qui ante Lucium Craſſum oratorem fuit, tres libros de iure ciuili in dialogo ſcripſit, quemadmodum apud Ciceronem Cæſar oſtendit. quin etiam Curio pater, vt in Bruto legimus, dialogos ſcriptitauit. verum vt in alijs ſcribendi generibus, maiores ſuos omnes Cicero ſuperauit, ita etiam in dialogis, quos multos accuratiſsime conſcripſit. cum enim duo ſint dialogorum genera a Platonicis vſurpata, quorũ alterum ὑφηγητικὸν appellãt, alterum ζητητικόν: vtrumque genus ita Cicero amplexus eſt, vt nihil ad eorum perfectionem poſteris reliquerit. dicitur autẽ dialogus ὑφηγητικὸς is, in quo præcepta quædam, uel ad mores, uel ad doctrinam ſpectantia traduntur. qualis eſt hic Partitionum liber, & Lælius ſiue de amicitia, & Cato maior de ſenectute, & ſecundus, ac tertius liber de oratore. quod quidem dialogorum genus latine, ſilibet, diſputatio diſciplinabilis dici poteſt. ζητητικὸς uerò dicitur is dialogus, in quo diſputatur in utramque partem, & opiniones uariæ traduntur. quemadmodum in primo de oratore, in libris de finibus, in Lucullo, in Diuinatione; atque hoc genus latine diſputatio controuerſa poteſt appellari. Eſt igitur hoc in opere diſputatio diſciplinabilis, quoniam interrogatus a filio pater, docet eum, quæcumque ad oratoriam facultatem pertinent.

Libr. 2. de oratore.

## M. TVLLII CICERONIS DE PARTITIONE *Oratoria Dialogus.*

HAnc inſcriptionem iam declaraſſe uideri, poſſumus, cum quid Partitio ſit, & quid Dialogus oſtenderimus; ſed tamen adhuc quæri poteſt, cum hoc in opere permultæ Partitiones ſint, cur Cicero non in multitudinis numero de Partitionibus oratorijs, ſed in ſingulari de Partitione oratoria librum inſcripſerit? cum præſertim in ſuis inſcriptionibus Cicero multitudinis numero delectari uideatur, ut de Officijs, de finibus bonorum & malorum, de legibus, Academicarum quæſtionum, Tuſculanarum quæſtionum. ſed ſciendum eſt id eſſe uerum, quod nos olim in Deciſionibus contra Calcagninum diximus, qui Ciceronem reprehenderat, quod non potius de Officio, quam de officijs titulum appoſuiſſet. quoties, inquam, de arte ali-

te aliqua ſpeciatim tractandum eſt, aut de aliquo ordine, ſiue magiſtratu, melius in ſingulari numero titulus, & inſcriptio ponitur, vt de Inuentione, de Oratore, de amicitia Senectute, de Natura Deorũ, de Diuinatione, de Vniuerſitate, de Conſulis officio, de Prætoris officio, atque ita de reliquis. quoties autem ad varias artes, ætates, ordines, res, aliqua tractatio pertinet, tunc in numero multitudinis inſcriptio ſolet adhiberi, vt de officijs, de finibus, de legibus, de claris oratoribus, de rebus domeſticis, de rebus publicis, de moribus, de Magiſtratibus. recte igitur Cicero, cum Partitionem, generale vocabulum eſſe intelligeret, & ad alias etiam artes, quam oratoriam pertinere ſciret, neque de omnium artiũ Partitionibus hoc in opere tractaturus eſſet, ſed de oratoria facultate tantum, non de Partitionibus abſolute, ſed de Partitione oratoria librum inſcripſit, quamuis, vt verum fateatur, ſi quis ad varias artis oratorię partes reſpiciat, recte etiam Partitiones oratorię dici poſſunt. quatenus igitur hæc pertractatio diſtinguitur a reliquis artibus, Partitio oratoria dicitur, quatenus autem dicendi facultas in varias partes diſtribuitur, etiam Partitiones oratoriæ dicũtur. Quare per vtrumque numerum hæc inſcriptio recte proferri poteſt, vt vel de Partitione oratoria dicatur, vel Partitiones oratoriæ.

# M. TVLLII CICERONIS DE PARTITIONE ORATORIA DIALOGVS.

STVDEO, mi pater, latine ex te audire ea, quæ mihi tu de ratione dicendi græcè tradidiſti, ſi modo tibi eſt ocium, & ſi vis.

CICERO filium habuit ſuo ingenio, atque moribus valde diſsimilem, quem Val. Max. inter eorum exempla connumerat, qui à claris parentibus degenerarunt, nam valde ignauus fuit, & vino deditus, adeo vt Plinius ſcribat eum binos congios ſimul haurire ſolitũ. & cum aliquando eſſet ebrius, M. Agrippæ ſcypum impegiſſe. Plutarchus tradit Ciceronis filium, cum Athenis eſſet, a Gorgia rhetore, cui operã dabat, ad voluptates & potationes allectum fuiſſe, atque ideo patrem Ciceronem, cum hoc audiuiſſet, a Gorgia filium abduxiſſe, iuſsiſſeque vt Cratippo peripatetico philoſopho operã daret, quo tempore tres de officijs libros ad eum ſcripſit. tradunt etiam propter ebrietatem, omnem fere memoriam amiſiſſe. prima tamen adoleſcentia non tantum in literis, ſed etiam in arte militari magnam de ſe ſpem concitauit; nam & latinæ & grecæ 14.c.22.



Digitized by Google

apte, diſtincte, & ornate declamabat, & in bello ciuili ſub Pompeio militans egregie ſe geſſit, vt ipſe pater Cicero teſtatur his quidem verbis; Lib. 2. de offic. Quo tamen in bello cum te Pompeius alæ alteri præfeciſſet, magnam laudem, & à ſummo viro, & ab exercitu conſequebare, equitando, iaculando, omnia militari labore tolerando. Plin 22. cap. 6. Quin etiam poſt mortem patris, cum iam Auguſtus Cęſar Antonium deuiciſſet, & ſolus rerum potitus eſſet, hic Ciceronis filius cum ipſo Auguſto conſul factus, vt Plutarchus, & Plinius ſcribunt. ridiculus ſanè hac in re Raphael Volateranus, qui miratur Ciceronem de filij ſui conſulatu mentionem non feciſſe, cum poſt Ciceronis mortem multos annos Auguſtus ob honorem patris Ciceronē filium ſibi collegam in ſenatu delegerit, vt Plutarchus auctor eſt. Hoc igitur in dialogo Cicero filium ſuum inducit, de ratione dicendi percunctantem ea latinè, quæ iam ipſe pater, illi græcè tradiderat, & quod in dialogis præcipue ſpectatur, perſonæ decorum ſeruat. primò enim filius deſiderium ſuum, & ſtudium exponit, deinde patris occupationes, & voluntatem excipit. Meum quidem, inquit, hoc ſtudium, & deſiderium eſt, vt eadem mihi latinis verbis explices, quæ iam de arte rhetorica græco ſermone pertractaſti, ſed tamen nollem ſeria negocia tua interpellare, aut voluntati tuæ refragari. quod ſi tibi ocium eſt, & ſi fert ita animi tui voluntas, velim huic deſiderio meo ſatisfacias. STVDEO, artificioſè filius incepit ab eo verbo, quod auribus patris gratiſsimum fore intelligebat. nihil enim eſt, quod magis parentes concupiſcant, quam vt filij bonarum artium ſtudioſi ſint. quare blandam etiam, & comem appellationem adiecit, dicens, MI PATER, vt magis eum ad ſibi gratificandū moueret. latinè verò vult rhetoricam audire, quoniam artes omnes liberales, & ingenuę græcè traditæ fuerant, & adhuc literarum latinarum luce carebant, eas autem Cicero princeps illuſtrauit. DE RATIONE DICENDI, benè græcum verbum expreſſit, nam quæ rhetorica græco nomine dicitur, ea, latinè, ratio dicendi rectiſsime dici poteſt. nihil eſt etiam aliud rhetorica, quemadmodum ait Quintilianus, niſi bene dicendi ſcientia. licet ab artis ſcriptoribus varijs modis definiatur, vt idē copioſè docet. Lib. 2. cap. 15. GRÆCE TRADIDISTI) Cicero non tantū latinè, ſed etiam græcè multa ſcripſit, vt de conſulatu ſuo, de ratione dicendi, nonnullaque alia. nā adeo græcè linguæ peritus erat, vt cum aliquando Rhodi græcè declamaſſet, & eū Apollonius Molonius celeberrimus rhetor audiuiſſet, facere nō potuit Apollonius, quin vehemēter ingemiſceret; cuius rei cauſam interrogatus reſpondit, ſe antea crediſſe gręcos à Romanis in arte tantum militari fuiſſe ſuperatos, tunc verò ſe gemitum continere nō potuiſſe, cum etiam eloquentia ſuam gentem ſuperatam eſſe intelligeret, auctor Plutarchus. Lib. 2. Ep. 1. Vnguēti & pigmentorum arculam. nam ipſe Cicero ad Atticum ſcribens de cōſulatu ſuo, gręcè ſcripto ſic ait; Meus autem liber totū Iſocratis μυροθήκιον, atque omnes eius diſcipulorum arculas, ac non nihil etiam Ariſtotelica pigmen-

pigmenta conſumpſit.& paulo poſt, Quid quæ ris? conturbaui græcam nationem, vt inepti ſint, & nequaquam audiendi qui Ciceronem, tamquam imperitum græcæ linguę, damnant. quorũ in numero fuit Argyropylus, & Budæus, cum præſertim multis in locis ſe φιλέλληνα id eſt grę corũ amatorẽ vocet, & Quintiliano teſte, vim Demoſthenis, copiam Platonis, iucunditatem Iſocratis effinxerit, quod certe ſine ſumma græcæ linguæ cognitione facere nullo modo potuiſſet. Huc accedit quod ſemper cũ græcis latina coniunxit, neque id in philoſophia ſolum, ſed etiã in dicendi exercitatione, ſicut ipſe teſtatur. SI MODO TIBI) Duas exceptiones opponit, vt amabiles ſuos mores oſtendat, dum neque ſe patris negocia impedire velle, neque eius voluntati reſiſtere docet. debent enim filij erga parentes ſumma vti obſeruantia. In procœmium of.

C. pater. An eſt mi Cicero, quod ego malim, quam te quam doctiſſimum eſſe? ocium autem primum & ſummum eſt; quoniam aliquando Roma exeundi poteſtas data eſt, deinde iſta tua ſtudia vel maximis occupationibus meis anteferrem libenter.

Duo ſunt, quæ Cicero filius exceperat, ocium patris, & volũtas. pater igitur filio reſpondes, prius de voluntate, quæ maioris eſt momenti, deinde de ocio, quod in eiuſmodi diſputationibus quæritur, rationẽ reddit. poſtremo ſtudia filij cuiuis negocio ſibi anteferenda eſſe aſſerit. Putas ne, inquit, o fili aliquid mihi magis in optatis eſſe, quam te omni ſciẽtiæ genere expolitum aliquando videam? atque hoc ſane tempore primum à negocijs vacare cæpi, & maximum mihi eſt ocium, eo quod vrbem, in qua ſemper occupatus ſum, iam tandem reliquerim. quod ſi etiam mihi maximæ eſſent occupationes, tamen, cum te tam diſcendi cupidum videam, eas omnes propter ſtudia tua libentiſsime relinquerem. MI CICERO.) Docent artis ſcriptores in appellationibus illud obſeruandum eſſe, vt quoties ſuperiores alloquimur, eos, non proprio nomine, ſed nomine dignitatis, aut reuerentiæ vocemus, quod etiã inter æquales frequentiſsime faciendnm eſt, vt filius hoc loco non dixit, mi Cicero, ſed mi pater. ita ſubditi Regem, diſcipuli magiſtrum, ſerui dominum, non proprio nomine debent appellare. quoties autem inferiores alloquimur, tunc propria nomina ſunt vſurpanda. hoc diligenter Virgilius ſeruat, vt Iuno cum Regem ventorum inferiorem alloqueretur, proprio nomine eſt vſa non dignitatis, cum ita inquit. Autore Seruio. Pri. Aen.

*Aeole, namque tibi diuum pater, atque hominum Rex*
*Et mulcerę dedit fluctus, & tollere vento.*

At Ilionus Troianorum orator, cum ad Didonem, vt veniam oraret, perueniſſet, non eam proprio nomine vocauit, ſed ita,

*O Regina nouam cui condere Iuppiter vrbem*
*Iuſtitiaq; dedit gentes frænare ſuperbas.*

Hoc tamen non eſt perpetuum, ſed pro oratoris prudentia varie vſurpari poteſt. Hermogenes propria nomina maximam vim habere cenſet, quia certa ſunt; proximam vero vim habere illa quę cum aliquo cōferuntur, & ſub eandem rationem cadunt, vt pater, & filius. QVOD EGO MALIM) Nemo eſt enim fere pater, qui non filios ſuos & doctiſsimos, & florentiſsimos videre cupiat, ideo permulti fuerunt clariſsimi viri, qui filiorum ſuorum ipſi præceptores, & magiſtri eſſe uoluerunt, ut de Catone Cenſorio Plutarchus tradit, & de Themiſtocle, qui Græciæ princeps fuit, hiſtoriæ narrant. OCIVM AVTEM) fruſtra Gallus quidam hoc loco multa uerba iactat, ut probet, ſummū ocium, pro extremo, & ultimo intelligi debere. quod abſurdum ſane mihi uidetur; licet non negauerim ſummum pro ultimo nonnunquam inueniri, ut apud Horatium in Epiſtolis.

Li.2.Aen.

*Prima dicte mihi, ſumma dicende camœna*, & apud Virgilium,
*Venit ſumma dies.*

Sed hoc loco non conuenit, ut ſumma pro vltimo capiamus, quia neque re uera fuit ultimum, neque ſi fuiſſet, ipſe Cicero diuinare poterat, melius eſt igitur vt ſummum pro maximo capiamus, quod & frequentiſsimum eſt, & huic loco mirifice conueniens. quomodo vero fuerit ocium primum, & ſummum, ſiue maximum declarat illis verbis; QVONIAM ALIQVANDO ROMA EXEVNDI POTESTAS DATA EST) Nam circiter idus ſextiles iudicia dimittebantur, quoniam dies ludorū ſequebantur, & tunc plerique nobiles ruſticari cōſueuerant, neque fere ad Ianuarium menſem calere iudicia incipiebant, quod oſtendit Cicero, cum ad Atticum ita ſcribit; Et fortaſſe quoniam videtur in ſuffragijs multum poſſe Gallia, cum Romæ, a iudicijs forum refrixerit, excurremus mēſe Septembri legati ad Piſonem, vt Ianuario reuertamur. Sunt qui putant hoc opus tunc à Cicerone conſcriptum, quo tempore Cæſar dominatu regio ciuitatē occuparat; & ſane Plutarchus tradit eo tempore Ciceronem ruri degere ſolitum, & iuuenes in declamationibus exercere, philoſophiæq; incumbere, plurimaq; conſcribere, qua fortaſſe de cauſa dixit hoc loco ſummum ſibi ocium eſſe. DEINDE ISTA TVA STVDIA) Hoc enim patris officium eſt, vt filios ſuos quam diligentiſsime curet, & ne vllis quamuis maximis occupationibus ab eorum cogitatione diſtrahatur; quoniam hoc eſt in omni Repub. præcipuum, ſicuti Plato docet, vt iuuentus quā optime erudiatur: hoc etiam

Lib.1.Ep. Ad Atti.

In Euthyphrone.

initio

Digitized by Google

initio ſuarum Inſtitutionum Quintilianus admonet, cum ita inquit, Igitur nato filio, pater ſpem de illo primum quam optimam capiat, ita diligenter à principio fiet. Lacedemonij certe maxima cum diligentia ſuam iuuentutem erudiebant, vt in Lycurgi vita Plutarchus docet; Xenophon narrat, apud Perſas quanta fuerit erudiendæ iuuentutis cura, quamque iuſte, frugaliter, modeſte viuere doceretur. Romani veteres patruis ſolebant filios erudiendos dare, quod non eſſent tam indulgentes in eos, vt patres ipſi ſolent; ſed potius vehementer obiurgarent, ac reprehenderent, ſi quando in aliquẽ errorem incidiſſet. Cicero pro M. Cælio Fuit in hac cauſa quidam patruus, cenſor, magiſter. Horatius, METVENTES PATRVÆ VERBERA LINGVÆ. Ariſtoteles octauum Politicorum librum ſic exorditur; Nemini quidem dubium eſt, quin is, qui leges ſcribit, adoleſcentum diſciplinæ, atque educationi in primis conſulere debeat, quandoquidem quibus in ciuitatibus rei huius cura prætermittitur, aut negligitur, magnum ex eo Reſpub. detrimentum capit. bene igitur Cicero ſtudia filij ſui vel maximis occupationibus anteferenda eſſe cenſet.

Lib. 1. de doc. Cyri.

## C. F. vis ne igitur, vt tu me græce ſoles ordine interrogare, ſic ego te viciſſim, eiſdem de rebus latine interrogem.

Cum patris voluntatem filius audiuiſſet, poſtea cæpit modum quærere, viamq; ac rationem, qua poſſet ad id, quod cupiebat, peruenire, & quoniam quaſi exemplar ante oculos habebat patris dialogum, de ratione dicendi græce ſcriptum, petit à patre, num ei placeat, vt eundem ipſe ordinem latine ſequatur in interogando, quem ille græce iam ſecutus fuerat. Placet ne igitur, inquit, tibi pater, quoniam ſtudia mea tanti facis, vt eaſdem res à te latine quæram, atque eodem ordine, de quibus tu me, in eo dialogo, quem græco ſermone mecum habuiſti, ſoles interrogare? laudat autem Cicero quaſi aliud agens, dialogum ſuum græce conſcriptum, quod non perturbate, & confuſe, ſed ordine ſcriptus eſſet. nihil enim, vt Xenophon ait, ex omnibus rebus melius, & laudabilius eſt ipſo ordine, neq; quidquam eſt omnino, quod ſine ordine diutius conſiſtere valeat; vt quæcumque diuturna ſunt, & ſtabilia, & æterna, propter ordinem quendam diuinum talia ſint. Deus enim omnia numero, menſura, & ordine conſtituiſſe dicitur. Sed in diſciplinis & ingenuis artibus nemo poteſt ordine procedere niſi dialecticam perceperit. nam L. Craſſus apud Ciceronem tria ponit, ex quibus ars omnis conſtat, hoc eſt genera, ſpecies, definitiones. cum enim aliquis artem tradere vult, primo rem omnem illi arti ſubiectam in certa genera digerat, quæ perpauca ſunt, deinde eorum generum, quaſi quædam membra diſpertiat; tum propriam cuiuſque vim definitione declaret; atque

Primo de Orat.



Digitized by Google

ita perfectam artem habebit. ſola vero dialectica, genera, ſpecies, definitiones rerum docet, & ordine cuncta digerit. ex quo ſanè perſpicuũ eſt, quantis in tenebris illi verſentur, qui dialecticæ prorſus imperiti ſunt. atque hac de cauſa iure ac merito quidam ſcientiam ſcientiarum, & artem artium dialecticam appellarunt. & Ariſtoteles illos veteres philoſophos ſola dialecticæ ignorantia lapſos in multos errores putat. hanc enim artem philoſophię totius clauem & organum eſſe affirmat; ſine cuius præſidio de nullo genere literarum quiſquam rectè iudicare poteſt. Cicero in Bruto ſcribit, Ser. Sulpitium omnium iuriſconſultorum principem fuiſſe, propterea quod eam artem didiciſſet, quæ doceret rem vniuerſam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obſcuram explanare interpretando, ambiguam primum videre, deinde diſtinguere, poſtremo habere regulam, qua vera & falſa iudicarentur, & quæ, quibus propoſitis eſſent, quæq; non eſſent conſequentia. Hic enim, inquit, attulit hanc artem omnium artium maximam, quaſi lucem ad ea, quæ confuſe ab alijs aut reſpondebantur, aut agebantur. Iamblicus ad Dexippum ſcribens, Re vera, inquit, Deus quiſpiam fuit qui dialecticam homines docuit, & cælitus eam demiſit. Plato etiam in Philebo, dialecticam eſſe Dei donum affirmat, & perfectum dialecticum, tanquam Deum eſſe colendum cenſet. quare diligenter à nobis hæc ars eſt amplectenda, ſine cuius intelligentia nullo modo fieri poteſt, vt aliquid recto ordine pertractetur, aut hoc pulcherrimum Ciceronis opus intelligatur.

C. P. ſane, ſi placet. ſic enim & ego te meminiſſe intelligam, quæ accepiſti, & tu ordine audies, quæ requiris.

Duabus de cauſis oſtendit Cicero ſibi gratum eſſe, vt eum filius interroget; primò vt intelligat an earum rerum meminerit, quas græce iam audierat, deinde vt ipſe filius ordine percipiat ea, quæ requirit. Si tibi, inquit, o fili ſic interrogare gratum eſt, neque mihi ingratum. nam ex iſta tua interrogatione duplex commodum ſequetur. primò ego non mediocrem animo lætitiam capiam, quod ea memoriæ mandaris, quæ tibi iam græcè tradidi, deinde tu latinis verbis ea percipies, quorum te cupidum eſſe oſtendis. ſed cur eadem cupit filius audire? nonne ſatis eſt ſemel artis præcepta intellexiſſe? minime vero. nam nemo forè tanta memoria præditus eſt, aut tã docilis, vt ſi ſemel tantũ artem aliquã audiat, eã bene intelligere, aut meminiſſe poſsit. ideo Plato in Phileto cum eadem repeteret, quæ ante dixerat, bene, inquit, prouerbio dictũ eſſe videtur, vt qđ pulchrũ eſt, iterũ & tertio repetatur. & in Gorgia, Atqui honeſtũ eſt, quod aiũt, ea, quę pulchra ſunt, bis, & ter repetere, atq; cõſiderare.

ſideraret. huc accedit, quod artium præceptores diſcipulis ſuis eadem ſæpius inculcare debēt, alioquin eis e memoria facilè excidunt, quod M. Antonius apud Ciceronem eleganti metaphora ſic expreſsit. Ego autem ſi quem nunc planè rudem inſtitui ad dicendum velim, ijs potius tradam aſsiduis, vno opere eādem incudem, die, noctuque tūdentibus. nō eſt igitur mirum ſi Cicero, qui filium ſuum quam doctiſsimum eſſe vehementiſsime cupiebat, eadem illi præcepta ſæpius inculcauit. cum præſertim etiam alia ſatis magna cauſa ſubeſſet, vt quæ græce tradita erant, latinis literis illuſtraret.

C. F. Quot in partes diſtribuenda eſt omnis doctrina dicendi?

C. P. in tres. C. F. cedo quas? Primùm in ipſam vim oratoris, deinde in orationem, tum in quæſtionem.

Iam primum partitionem ingreditur, qua omnem dicendi doctrinam tres in partes diſtribuit, hoc eſt in vim oratoris, in orationē, & quæſtionē. Ratio. n. artis & doctrinæ hoc poſtulat, vt totum primò diuidatur in partes ſuas; deinde ſingulæ partes ita tractētur, vt diſtributæ fuerint. Sed quæri poteſt, cur hæ partes doctrinæ dicendi vocētur à Cicerone, cum in vnaquaque harum partium tota ſit eloquētia? vis enim oratoris certè totam eloquentiam complectitur. & oratio non pars eſt eloquētiæ, ſed opus ipſius oratoris, quæſtio denique ciuilis materia eſt, quā tractat, & in qua verſatur orator. quidam Gallus putat ſe magnificè dubitationē hanc ſuſtuliſſe, dicens Quintiliano placere Rhetoricen in actu conſiſtere, atque idcirco practicē eſſe, vnde ſit hæc nata partitio. ſed nec Quintilianus abſolute vult in actu conſiſtere rhetoricam, cum fateatur etiā cognitione contentā eſſe poſſe. Erit enim, inquit, Rhetorice in oratore etiam tacente, & dicit etiam poſt actum ſæpe oratoris opus remanere, quæ ſunt orationes, nec ad practicen quidquā hæc Ciceronis partitio pertinet, ſed potius ad Theoricen, & præcipiendi rationem. Dicendum eſt igitur Ciceronem hoc loco non tradere partes Rhetoricæ, quæ ſpectantur agendo, quæ, quinque numerātur, inuentio, diſpoſitio, elocutio, memoria, pronuntiatio. nemo. n. poteſt orationem recte habere, niſi has partes bene intellexerit, vt infra ſuo loco dicetur, ſed eas partes docere, quæ in præceptis artis ſpectari diligentiſsime debent. nam in omni arte, primò ipſum artificem præceptis artis ſuæ inſtructum eſſe oportet, antequam opus aliquod appareat, neque opus vllum extare poteſt, niſi ſubſit materia. Sunt igitur in omni arte neceſſaria, artifex, opus, materia. ac primùm videndum eſt, quam vim, & facultatem artifex comprehendere debeat; deinde quod opus faciat tāquam materiam tractet, quo fit vt non tantum doctrina dicendi, ſed cuiuslibet artis doctrina

tres

Digitized by Google

tres in partes diſtribuenda ſit. vt architectus primo diſcit proportionẽ ædificiorum, & conuenientiam partium; deinde totũ ædificium conſiderat, quomodo faciendum ſit; tum quæ ſit apta ad ædificandum materia, ſpectat. & quamus in vi, & facultate artificis omnia ſint, quę ad artis doctrinam pertinent, tamen ars non cognoſcitur, niſi opus aliquod videatur, neque opus ſine materia poteſt eſſe. quare quoquo te vertas, hæ tres doctrinę partes in omni arte ſpectandæ ſunt. ſed cum hæc tria requirantur in omni arte, ac ſcientia, cur Cicero rhetoricæ propria facit? nam primo ſcientiæ omnes, & artes ingenuæ, vim artificis, orationem, & quæſtionem poſtulant. vt exempli gratia, Geometria doceri nõ poteſt, niſi adſit artifex, qui eius præcepta teneat, & oratione vtatur, qua præcepta explicet, & denique materiam amplectatur, in qua Geometria verſetur. Verum hæc quamuis omnium diſciplinarum communia ſint, tamen addito ipſius artificis, & operis, & materiæ nomine, propria ſingularum artium fiunt, atque hac de cauſa non dixit Cicero doctrinam dicendi diſtribui in vim artificis, ſed in vim oratoris, neque in opus, ſed in orationem, neque in materiam, ſed in quæſtionem. cũ oratio ſit opus oratoris, quæſtio vero materia, neque refert quod oratio & quæſtio tam ad dialecticum, quam ad oratorem pertineat, quoniam, vt ait in Bruto Cicero, dialectica eſt quaſi contracta quædam eloquentia. & quamuis aliæ artes oratione, & quæſtione vtantur, tamen oratio nullius artis niſi rhetoricæ, & dialecticæ opus eſt, neque quæſtio materia. Sunt autem hæc tria quaſi media quædam ad finem rhetoricæ conſequendum, qui eſt, vt ait Cicero, perſuadere dictione. primo enim loco ars conſtituitur, quæ præcepta tradit, ex præceptis emergit vis oratoris, ex oratoris vi oratio naſcitur, in oratione quæſtio tractatur. quæſtio vero omnis ad perſuadendi finem dirigitur. ſecutus eſt igitur Cicero naturæ ordinem in hac prima partitione, & ſicut propoſuit, ita primo de vi oratoris tractat, deinde de oratione, tum de quæſtione, quibus explicatis, operis finem facit.

C. F. In quo eſt ipſa uis? C. P. in rebus & uerbis. Sed & res, & verba inuenienda ſunt, & collocanda. proprie autem in rebus inuenire, in uerbis eloqui dicitur. collocare autem, & ſi eſt commune, tamen ad inueniendum refertur uox, motus, uultus atque omnis actio eloquendi comes eſt, earumque omnium cuſtos eſt memoria.

Ante-

Anteqnam tres partes illas doctrinæ dicendi, quas propoſuit, ſigillatim pertractet, eas primo breuiter explicat, & in alias particulas ſubdiuidit, vt totam operis faciem quaſi oculis ſubijciat. Ac primo quidem quærit, qua in re ſit propoſita facultas oratoris, & ait in rebus, & verbis eſſe, nam, vt ait Quintilianus, omnis oratio conſtat ex ijs, quæ ſignificantur, & ex ijs, quæ ſignificant. quæ ſignificantur ſunt res, & ſentētiæ; quæ ſignificāt, ſunt ipſa verba. ſunt. n. verba quędā quaſi rerū notę, ſicut Ariſtoteles teſtatur. nā omnia conſtāt ex materia ſua, & forma, ſicuti philoſophi docent, nihil aūt effici poteſt ſine vi aliqua mouente, quā efficientem cauſam vocāt, vis verò illa rerū effectrix dicitur ineſſe in materia, atque forma, quoniā ex eis res vniuerſas componit. Eſt igitur vis oratoris cauſa efficiens orationis; res ipſa, de qua agitur, eſt materia; ſermo deniq;, quo res exprimitur, forma quædam dici poteſt. Cum aūt hæc duo ſint tātum; in quibus vis oratoria verſetur, res inquam, & verba; factum eſt ēt, vt apud rhetores duo figurarum, ſiue exornationum genera tradātur, quorum vnum rerū, ſeu ſententiarū dicitur, alterum verborum, vt poſtea docebimus. Quinque verò ſunt oratoris officia, primum vt excogitet, & inueniat, quid dicendum ſit, alterum vt inuenta bene diſponat & collocet, tertium vt inuenta, & collocata poliat, & exornet, quartum, vt qua voce, motu, vultu, quæ iam inuenta & collocata, & expolita ſunt, enunciet, intelligat: poſtremum vt hæc omnia bene memoria comprehendat. itaque inuenire, diſponere, eloqui, meminiſſe, pronunciare, quinque ſunt oratoris officia. quæ ſi ad nomina transferantur, partes rhetoricæ dicuntur. & hoc eſt, quod rhetores dicunt, quinque partes eſſe rhetoricæ, inuentionem, diſpoſitionem, elocutionem, memoriam, & pronunciationem. quæ ita facultati oratoriæ accomodantur, vt & res & verba ſit opus inuenire, & collocare. neque enim ſatis eſt res inuentas habere, niſi etiam verba rebus accommodata reperiantur, neque res, & verba ſatis eſt inueniſſe, niſi etiam bene diſponantur, & collocentur. ſed apud rhetores illa partitio, ſiue diſtributio ſeruari ſolet, vt, cum hæc quinque ſint, inuentio proprie ad res pertineat, elocutio ad verba, diſpoſitio ad vtrumque, hoc eſt ad res, & ad verba; pronunciatio cum elocutione coniungatur: memoria ſit quaſi theſaurus quidam & cuſtos reliquarum rerum omnium. nam, vt eſt apud Ciceronem, *niſi memoria cuſtos inuentis, cogitatisq; rebus, & verbis adhibeatur, intelligamus omnia, etiam ſi præclariſsima fuerint, in oratore peritura*. IPSA VIS). Vis oratoris natura potiſsimum conſtat, ſic enim Craſſus tradit, naturam primum, atque ingenium vim habere maximam. & Quintilianus ait, ei, cui deeſt ingenium, non magis rhetoricæ præcepta prodeſſe, quam de agrorum cultu, ſterilibus terris, ſed natura & ingeniū, arte perficitur. ars enim, vt ait Cato, certior dux eſt, quàm natura. & Horatius.

Initio lib. de interp.

Lib. 1. de orat.

Eod. libr.

Lib. 3. de Fin.



Digitized by Google

In Odis.

*Doctrina ſed vim promouet inſitam,*
*Rectiq; cultus pectora roborant.*

Pro M. Cælio. Vſu verò, atque exercitatione, & natura, & ars adiuuatur. & hoc eſt, quod ait Cicero, ingenium ali induſtria ſolere. Horum igitur trium, ſi vnum aliquod deſit, nequaquam exiſtere poteſt illa, quæ facultas oratoria dicitur. opus eſt igitur ingenio, arte, & exercitatione. nam imitatio arti ſubijcitur. IN REBVS ET VERBIS ) nemo poteſt vim oratoriam aſſequi, niſi rerum multarum ſcientiam, & cognitionem comprehenderit, nam, vt ait Craſſus rerum copia, verborum copiam alit, & Horatius,

lib 3. de oratore.

In poet.

*Scribendi rectè ſapere eſt, & principium, & fons,*
*Rem tibi Socraticæ poterunt oſtendere chartæ*
*Verbaq; prouiſam rem non inuita ſequentur.*

In proœ. li. de orat. Cicero item ſcribit: Ac mea quidem ſentẽtia, nemo poterit eſſe omni laude cumulatus orator, niſi erit omnium rerum magnarum, atque artium ſcientiam conſequutus. etenim ex rerum cogitatione efflorescat, & redundet oportet oratio. præterea verborum etiam delectum habere opus eſt; hoc enim, vt Cæſar aiebat, eloquentiæ principium eſt, quod Cicero eodem loco ita præcipit; Et ipſa oratio conformanda non ſolum electione, ſed etiam conſtructione verborum. Neceſſe eſt igitur in his duobus, hoc eſt in rebus, & verbis omnem ineſſe vim oratoris. ſed habent hæc duo ſic inter ſe momenta diſpertita, vt quamuis etiã verba inueniantur, tamen rerum propria ſit inuentio, quam ita definiunt: Inuentio eſt rerum, aut verarum, aut verſimilium excogitatio, quę cauſam probabilem reddant. Verborum autem elocutio propria ſit, quæ ita definiri ſolet, Elocutio eſt idoneorum verborum, & ſententiarum ad inuentionem accommodatio. Diſpoſitio vero, & rerum, & verborum ſit communis, quæ ita definiri poteſt; Diſpoſitio eſt ordo & diſtributio rerum, ac verborum, quæ demonſtrat quid quibus in locis ſit collocandum. Pronunciatio, quæ etiam actio dicitur, comes eſt elocutionis. quam ita Cicero definit, Pronunciatio eſt, ex rerum, & verborum dignitate, vocis, & corporis moderatio. Memoria denique harum rerum omnium theſaurus eſt; quæ ita definitur, Memoria eſt firma animi rerum, ac verborum ad inuentionem perceptio. atque in his quinque officijs omnis vis, ac facultas oratoria conſumitur, & in eis res tantum & verba tractantur, vt ex definitionibus pateat, ideo fit, vt tantum in rebus, & verbis vis oratoris eſſe dicatur. Actionem vult hoc loco Cicero eſſe comitem elocutionis, quoniam, vt alio loco docet, Elocutio ſola videtur oratoris eſſe propria, cum alij etiam artifices inueniant, & diſponant, & memoriæ mandent, ſolus autem orator eloquatur, & orationem exornet; ſed quamuis polita ſit, & ornata oratio, ta-

In orat. ad Brut.

men

Digitized by Google

men eam, indecora parumque apta pronunciatio totam uitiat, & corrumpit, ut non ſine cauſa Demoſthenes primas, & ſecundas, & tertias partes in oratione pronunciationi dediſſe ſcribatur. præcedit igitur in oratoria facultate elocutio, quam ſtatim primo loco quaſi comes, & ſocia pronunciatio ſubſequitur.

C. F. Quid? orationis quot ſunt partes? C. P. Quatuor; earum duæ valent ad rem docendam, narratio & confirmatio: ad impellendos animos duæ, principium, & peroratio.

Secunda pars doctrinæ, dicendi orationem continet, quod eſt opus oratoris. eam igitur hoc loco Cicero quatuor in partes diſtribuit. nihil enim aliud in oratione ſua quærit orator, niſi vt auditores ſuos doceat, & moueat, ac quò velit, eorum animos impellat; ſed ad docendos auditores duæ partes orationis ſufficiunt, hoc eſt narratio, & confirmatio. cum enim auditor per narrationē rem intellexerit & argumentis, exemplis, teſtibus probatam cognouerit, ſatis iam doctus eſſe videri poteſt; vt autem moueatur, & impellatur, duæ partes aliæ requiruntur, principium, ſeu exordiū orationis, quo efficitur, vt auditor animi propenſione ad cauſam noſtram inclinet, & nobis fauere incipiat; & peroratio, qua grauiores affectus concitantur, & animi, vel ad ſæuitiam, vel ad miſericordiam impellantur. Cicero ſex orationis partes eſſe vult, exordiū, narrationem, partitionem, cōfirmationem, reprehenſionem, concluſionem. Primo lib. de Inuen. lib. 3. Sed ex hoc numero Quintilianus partitionem tollit, & rectè ſentit non eſſe partitionem inter orationis partes numerandam, cum ſit diſpoſitionis ſpecies, & in omni quæſtione locum habere poſsit. itaque concludit eſſe quinque partes orationis. vult enim omnino refutationē eſſe orationis partem, cum ſic ait, Nec ijs aſſentior, qui detrahunt refutationem, tāquam probationi ſubiectam, vt Ariſtoteles, hęc enim eſt, quæ conſtituat, illa, quæ deſtruat. videtur autem Quintilianus hunc Ciceronis locum non aduertiſſe, aut non meminiſſe. cum non tantum Ariſtoteles, vt ipſe ſentit, ſed etiam Cicero refutationem probationi ſubijciat. neque enim ille bene probare dici poteſt, qui non aduerſariorum argumenta refutarit. Sunt igitur tantum quatuor partes orationis, vt etiā li. 3. Rhe. Ariſtoteles ſentit, duæ neceſſariæ, vt propoſitio, ſiue narratio, & probatio; ſiue confirmatio; & duæ vtiles ad mouendum, vt proœmium, ſiue exordium, & peroratio, ſiue cōcluſio. Exordiū igitur eſt orationis principium, quo animus auditoris idoneè comparatur ad reliquam dictionem. Narratio eſt rerum geſtarum, vel perinde vt geſtarum expoſitio. Confirmatio eſt per quam argumentando noſtræ cauſæ fidem, & auctoritatem adiungit oratio. Concluſio eſt artificoſus terminus, ac finis



Digitized by Google

orationis. Ariopagitæ duas tantum orationis partes admittebant, hoc eſt narrationem, & confirmationem. cum enim orator in eorum conſeſſu cauſam dicturus exurgeret, aderat præco, qui ediceret, vt neque exordio, neque peroratione vteretur. Vnde Ariſtoteles hāc Ariopagitarum conſuetudinem laudat. Neque enim, inquit, iudicem conuenit diſtorquere, atque inflectere ad indignationem, vel inuidiam, vel miſericordiam, idem enim eſt ac ſi quis eam, qua vſurus eſt, regulam obliquā, ac tortuoſam efficeret. QVID ORATIONIS) oratio nonnunquam pro omni locutione ponitur, vt Cicero in Bruto, Quamquam omnis locutio oratio eſt, tamen vnius oratoris locutio hoc ſignata nomine eſt; & de oratore, Illa, quę è bono poeta dicta eſt flexanima, atque regina rerum oratio; hinc illud celebre dictum, Qualis vir, talis oratio. Sed propriè oratoris eſt oratio. Idem alio loco ita ſcribit: Sed cum duplex ſit ratio orationis, quarum in altera ſit ſermo, in altera contentio, non eſt id dubium, quin contentio orationis plurimum poſſit, & maiorem vim habeat ad gloriam: ea eſt enim, quam eloquentiam dicimus, ſed tamē difficile dictu eſt quantopere conciliet animos hominum comitas, affabilitasq; ſermonis. Eſt autem ſermo, familiaris oratio, qua cū domeſticis vtimur, & quotidie cum omni ferè hominum genere, atque in epiſtolis, comędijs, & ſatyris; qua de cauſa Horatius ſatyras ſuas appellauit ſermones; Contētio verò vel in iudicijs ſpectatur, & tunc actio dicitur, vt actiones in Verrem: vel in Senatu, & tunc ſententia vocatur: vel in multitudine hominum, quę concio nominatur. eſt etiam quędam orationis ſpecies, quam veteres diuinationem vocabant, quando duo, vel plures contra aliquem nominis delationem, atque accuſationem petunt, & de conſtituendo accuſatore controuerſia eſt. qualis eſt prima Ciceronis in Verrem. AD REM DOCENDAM) Omnis oratio eſt interpres mentis, vt ait Cicero, nam dicendo animi ſenſa exprimimus; itaque primum hoc & proprium orationis officium eſſe videtur, vt aliquid doceat eum, qui audit. Placet autem maximis auctoribus tria eſſe, quæ perfecta oratione fiant, vt doceat, vt moueat, vt delectet. ſed aliqua poteſt eſſe oratio, quæ tantum doceat, nihil verò moueat, aut delectet; mouere autē, vel delectare, niſi doceat, non poteſt. verum ita nonnunquam docemus, vt auditor tantum intelligat, & percipiat ea, quę dicuntur; interdum, vt fides illi fiat, & quæ dicuntur, ei plane probentur; quorum alterum narratione fit, quæ ſolam dicentis mentem explicat, alterum argumentatione, & confirmatione, quę rei, de qua verba fiunt, fidem facere conatur. itaque duæ partes orationis ad rem docendam valent, narratio, & confirmatio. Ariſtoteles loco narrationis propoſitionem ponit. eſt autē propoſitio genus, narratio ſpecies, vt Quintilianus ait, quare propoſitio narrationem complectitur: hoc verò feciſſe videtur Ariſtoteles, quoniam in oratione non ſemper narratione opus eſt, ſatis eſt illud proponere, quod probare velimus. AD IMPELLENDOS

Li. 1. Rhe.

lib. 2.

lib. 2. de off. c.



Digitized by Google

DOS ANIMOS) Duo tradūt eſſe perturbationum, ſiue commotionum animi genera, quę bene tractata ab oratore admirabilem eloquentiam faciant, quorum alterum eſt, quod græci ἠθικὸν vocant, ad naturam, & ad mores, & ad omnem vitæ cōſuetudinem accommodatum, come, iucundum, ad beneuolentiam conciliandam paratum, quo genere in exordijs vtēdum eſt; alterum, quod ijdem græci παθητικὸν nominât, quo perturbantur animi, & cōcitantur, in quo vno regnat oratio; quo cauſæ eripiūtur, quod cū rapide fertur, ſuſtineri nullo modo poteſt, hoc perorationibus accommodatum eſt; duæ igitur partes orationis ad impellendos animos parantur, Principium, & Peroratio.

C. F. Quid quæſtio? quaſnam habet partes? C. P. infinitam, quam conſultationem appello, & definitam, quam controuerſiam nomino.

Tertia & vltima doctrinæ dicendi pars, in quæſtione verſatur, quæ eſt totius rhetoricæ materia. nō autem omnis quæſtio propria eſt oratoris, quoniam in alijs etiam artibus plurimæ ſunt quæſtiones, ſed quæſtio ciuilis propriam oratoris materiam amplectitur, vt Hermogenes rectè ſentit. Oratoriam verò quæſtionem duas in partes Cicero diſtribuit, hoc eſt infinitam, & definitam. Infinita eſt, quæ alio nomine conſultatio dicitur, & propoſitum, & gręco nomine theſis, cum de aliqua re generatim quæritur, remotis perſonis, & temporibus, & locis, cęteriſq; ſimilibus, & in vtramque partem tractatur, vnde locus etiam communis dicitur. hæc vel ad ſcientiam pertinet, vt an Mundus prouidentia regatur; vel ad actionem, vt an ſit ad Rempub. adminiſtrandam accedendū. ſed quæ ad ſcientiam pertinent, infinitæ quæſtiones à philoſophis potius, quàm ab oratoribus tractantur; quæ verò ad actiones, magis oratorum ſunt propriæ. Definita verò quæſtio dicitur alio nomine contro- In Top. uerſia, & cauſa, græce hypotheſis, & eſt, vt ait Cicero, quæ certis perſonis, locis, temporibus, actionibus, negocijs cernitur, aut in omnibus, aut in pleriſque eorum. vt, An Clodius inſidias Miloni fecerit. Amplior lib. 3. c. 5. eſt, ait Quintilianus, ſemper infinita, inde enim finita deſcendit, quod vt exemplo pateat; infinita eſt, An uxor ducenda; finita, An Catoni ducenda: quoties enim infinitæ quæſtioni certæ perſonæ adiunguntur, ex infinita fieri ſolet definita; ut hæc infinita eſt, An inſidiator iure poſſit interfici; illa uerò definita, An Clodius inſidiator iure ſit interfectus. In oratore ad Brutum ait Cicero, excellentem oratorem à proprijs perſonis, & tēporibus ſemper, ſi poteſt, auocare controuerſiam. Latius enim, inquit, de genere, quàm de parte diſceptari licet, ut quod in uniuerſo ſit probatum, id in parte ſit probari neceſſe. Hæc igitur quæſtio à proprijs perſonis, & temporibus ad uniuerſi generis orationem traducta appellatur theſis. In hac Ariſtoteles adoleſcentes non ad philoſophorum

morem

morem tenuiter diſſerendi, ſed ad copiam rhetorum in utramque partem, ut ornatius, & uberius dici poſsit, exercuit. Ab hac infinita quęſtione uis omnis probationis pendet, cuius rei in cauſa eſt, quia nulla argumētatio neceſſariam habet concluſionem, in qua non una ſaltem propoſitio generalis collocetur, ex qua tota uis concluſionis eliciatur, hoc enim dialectici docent, ex ijs propoſitionibus tantum, quæ in parte traduntur, nihil poſſe, aut ſolere neceſſario concludi. Quare totum probationis, & eloquentiæ lumen, à locis cōmunibus emanat, qui ſi artificioſe tractentur, admirabilem totam efficiunt orationem, ut pro Roſcio Am. de ſupplicio parricidarum; ultima actione in Verrem, de ciuibus Romanis ſupplicio affectis; pro Milone de ui repellenda ex naturali lege; quin etiam cauſis omnibus, ac finitis quæſtionibus adiungitur communis locus, & infinita quæſtio, ut Cicero non ſimpliciter in Catilinā inuehitur, ſed in Catilinam patriæ proditorem, quoniam omnes patriæ proditores exterminādi ſunt; neque ſimpliciter dicit Clodium iure interfectum, ſed Clodium inſidiatorem, quoniam omnes inſidiatores iure interficiuntur. hæc eſt cauſa, quare Cicero in oratore ad Brutū hanc quæſtionem infinitam maxime luminoſam, & quaſi actuoſam appellarit; quoniam magnum ſplendorem & uim orationi tribuit, & ad probandum ſumme neceſſaria eſt.

C. F. Quoniam igitur primum eſt inuenire oratoris, quid quæret? C. P. vt inueniat quemadmodum fidem faciat eis, quibus uolet perſuadere, & quemadmodum motum eorum animis afferat.

Redit ad primam partem doctrinę dicendi, quæ uis eſt oratoris, & eam copioſius pertractat. cum autē quinque ſint oratoris officia, primum omnium eſt inuenire. nā niſi res ueras, aut veriſimiles orator excogitauerit, & inuenerit, nihil erit, quod aut diſponere, aut eloqui poſsit. eſt autem inuentio rhetoricæ pars difficillima illa quidē, ſed etiā omnium vtiliſsima. ea duplex eſt, altera dialectica, alteta rhetorica; dialectica inuētio topice dicitur, quę locos docet, & ſedes argumētorum, quibus utitur etiam orator ad fidē faciendam; rhetorica uerò inuētio illa excogitat quibus animi conciliētur, & impellantur, quocunq; orator voluerit, quibus in [illegible]ijs, & concluſionibus orator vtitur. duo ſunt igitur eorū genera qu[illegible]tor quęrere debet, primum debet inuenire quomodo fidē faciat; deinde quo modo motum animis afferat; cum enim omnia ſint ad finē dirigēda, qui eſt perſuadere dictione; nemo finē aſſequi poterit, niſi quibus rebus fides fiat intellexerit; & quia commoto animo facilius homines credunt, quàm ſedato, & tranquillo, ideo debet etiam inuenire, quæ ad mouēdos animos pertinent. PRIMVM EST INVENI-

VENIRE) Cicero initio Topicorum ait, omnem rationem differendi duas habere partes, vnam inueniendi, alteram iudicandi, atque vtriuſque principem eſſe Ariſtotelem. Artem autem inueniendi, quæ topice dicitur, ad vſum potiorem eſſe, & ordine naturæ priorem. Sed inuentio non tantum argumenta, verum etiam partes orationis complectitur. Quod ad argumentorum rationem attinet, eadem ferè eſt cum dialectica, quo ad orationis partes, diſtinguitur, quoniam dialectici neſciũt orationem ſuam ita diſtribuere, vt orator ſolet. QVID QVÆRET) Quia quærenda ſunt ea quæ dici debent, ideo quæſtio ciuilis materia eſt oratoris. itaque Cicero merito reprehendit Hermagoram, quod philoſophicas quæſtiones, quæ ad ſcientiã pertinent, oratori ſubiecerit. quæret igitur orator ea, quæ ad vſum ciuilem pertinent, hinc eſt quod Cicero rhetortcam ciuilis ſcientiæ partem eſſe putat; & Ariſtoteles ait ex Dialectica, & Politica conflatam eſſe rhetoricam. atque etiam in Ethicis rhetoricam ciuili ſcientiæ ſubijcit. VT INVENIAT) Ex hoc loco intelligitur, non tantum argumenta, duasq; partes orationis, quæ ad docendum valent, hoc eſt narrationem, & confirmationem, ſed etiam affectus, & leniores & grauiores, quibus animi mouentur, & duas reliquas partes orationis, quæ ad impellendos animos adhibentur, hoc eſt exordiũ & perorationem, inuentioni ſubiectas eſſe. FIDEM FACIAT) Proprie dixit, quoniam facere fidem oratoris proprium eſt. tria ſunt enim, quæ ex argumentãdi ratione gignuntur in animo noſtro, fides, opinio, ſcientia, quæ à tribus diſtinctis artibus proficiſcantur neceſſe eſt, quoniam ipſa ſunt inter ſe diſtincta; neque enim omnino eſt eadem fides, quæ opinio. vtraque a ſcientia multum differt. ſed fides fit perſuadendo, opinio ratiocinando, ſcientia demonſtrando. rhetorica verò perſuadendi eſt opifex; dialectica ratiocinandi, demonſtratio neceſſario probandi. ſed quoniam parua eſt inter fidem, & opinionem differentia, niſi quòd fides magis ſingularia reſpicit, opinio magis ea, quæ generalia ſunt; ideo fit, vt etiam inter rhetoricam, & dialecticam non multum interſit; ſed ſicut fides eſt quædam opinionis pars, ita etiam rhetonca pars eſt dialecticæ. Sed ita rhetorica atque dialectica ſeiungi poſſunt, primo quod orator magis ea pertractat, quæ ad mores, & actiones pertinent; dialecticus, quæ ad cogitationem; deinde quòd rhetor de animi commotionibus verba facit, quas dialecticus nõ attingit; tum quod rhetoris auditor quilibet etiam rudis & imperitus eſſe commode poteſt, dialectici non niſi paulo ingenioſior; poſtremo quod rhetorica magis ea, quæ ſingularia ſunt, pertractat, dialectica verò potius generalia. quæ licet ita ſint, adeo tamen inter ſe coniunctæ ſunt hæ duæ artes, vt eædem penè videantur, quare Cicero dialecticam ait eſſe contractam quadam eloquentiam, & adſtrictam; eloquentiam vero dilatatam dialecticam. & Ariſtoteles initio Rhetoricorum ait, rhetoricam ex altera parte dialecticæ reſpondere.

lib. 1. de Inuen.

li. 1. Rhe. Li. 1. Eth.

C.F.Qui-

Digitized by Google

**C. F. Quibus rebus fides fit? C. P. argumentis, quæ du cuntur ex locis, aut, in re ipſa inſitis, aut aſſumptis.**

Cum duo ſint in oratoris facultate, hoc eſt fidem facere, & mouere; prius de fide, poſtea de motu Cicero verba facit. argumẽtis autẽ ait fidem fieri, nam argumenta vocat omnem ad probandum materiam deſtinatam, quę etiã enthymemata vocantur, vt argumẽtum Ciceroni ſit idẽ, quod enthymema Ariſtoteli. quã rẽ his verbis Quintilianus affirmat. Igitur enthymema & argumẽtum ipſum, ideſt rem, quę probationi alterius adhibetur, appellant & argumenti elocutionem. Argumentum igitur, vel enthymema communiter dictum, cõtinet omnia, quæ oratori ad probandum ſubiecta ſunt, ſiue illa probabilia ſint, ſiue neceſſaria, ſiue ſigna, ſiue exempla, ſiue teſtimonia; quod cum ex hoc Ciceronis loco poteſt intelligi, vbi fidem omnem argumentis ait fieri, tum ex ſecundo libro rhetoricorum Ariſtotelis, vbi ſic ait, vt nos cõuertimus: Ea, ex quibus enthymemata fiunt, quatenus numero ſunt, probabile, exemplum, indicium, ſignum. Nam enthymemata, quę conſtant ex ijs, quæ plerunque ita fiunt, vel fieri videntur, ea ſunt ex probabilibus; quę autem inductione cõſtant ex vno ſimili, vel pluribus, hoc eſt cum quis poſito generali, vult illud ex ſingulis probare, ſunt ab exemplo; quæ verò conſtant ex neceſſario ſigno, ſunt ab indicio; quæ denique fiunt vel ex generali ſigno, vel ſingulari, ſiue illud verũ ſit, ſiue nõ, ſunt à ſignis; ſed hæc copioſus in reprehẽſionibus noſtris contra Nizolium probauimus, vbi multis, & apertis rationibus docuimus, enthymema communiter pro omni probatione rhetorica poni. proprie diſtingui ab exẽplo, ſicut in dialectica ſyllogiſmus ab Inductione ſeparatur; maxime verò proprie ſignificare argumentationem, quæ à contrarijs & repugnantibus ducitur. Quin apud latinos argumentum plura ſignificat, vt tradit Quintilianus, nam & fabulę ad actus ſcenarum compoſitæ, argumenta dicuntur, & orationum Ciceronis velut thema ipſe exponens Pædianus, argumentum, inquit, tale eſt. Et ipſe Cicero ad Brutum ita ſcribit, Ritus fortaſſe, ne nos in Catonẽ noſtrũ transferamus illinc mali quid, & ſi argumẽtum, ſimile non erat. quo appareret omnem ad ſcribẽdum deſtinatam materiam ita appellari. nec mirum cum inter opifices quoque vulgatũ ſit, vnde Virgilus: Argumẽtum ingens. Vulgo quoque paulo numeroſius opus dicitur argumẽtoſum. Porrò argumẽtum dicitur à rhetoribus quod rem probat & oſtendit, quocunque modo fiat, vel vndecunque deducatur, nam verbum etiam arguo, vnde fit argumẽtum, probare, & oſtendere ſignificat, Virgilus. *Degeneres animos timor arguit.* igitur argumẽtum & probatio idẽ eſt. Latent autẽ argumenta in locis, tanquam in ſedibus & latibulis quibuſdã, vnde ſunt ab oratoribus eruẽda, Sed loci partim inſiti ſunt in re, de qua agitur, & illi cohęrẽt, ita

Cap. 10.
cap. 5.

vt

vt diuelli nõ poſſint;partim aſſumuntur extrinſecus:quã locorum partitionẽ deinceps explicabimus,nunc quærendum videtur, cum orator non tantum fidem facere, ſed etiam motum animis afferre ſtudeat, & prius in exordio mouere conetur,quàm in oratione & confirmatione fidem faciat,cur non prius de motu Cicero, quàm de fide pertractet? ſed hæc quæſtio facilè explicatur.prius enim ea pertractanda ſunt,quæ ſunt neceſſaria,& in re ipſa poſita,quàm quæ minimæ ſunt neceſſaria, neque in re poſita;ſed fidem facere neceſſarium eſt, & cum ipſa re cohæret;mouere autem non eſt neceſſarium,quamuis ſit vtile, & eſt extra rem poſitum;-itaque de fide prius quàm de motu tractandum eſt. hoc autem quod dicimus Ariſtoteles his verbis confirmat; Probationes enim ſolæ ad artes pertinent, reliqua verò ſunt additamenta: at iſti nihil de enthymematibus loquuntur, quod corpus eſt, ac fundamentũ fidei faciendæ,de ijs verò, quæ ſunt extra rem poſita, plurima pertractant. nam criminatio, miſericordia, iracundia,ceteræque huiuſmodi animi perturbationes nequaquam ipſius rei propriæ ſunt, ſed ad mouendum iudicem pertinent. li.1.Rhet.

C. F. Quos vocas locos. C.P. Eos in quibus latent argumenta.C F. Quid argumentum? C.P. Probabile inuentum ad faciendam fidem.

Quoniam argumenta ducuntur ex locis, videndum eſt, quid ſit locus, & quid ſit argumentum.Ac primo ſciendum eſt,locum hic accipi tranſlatè,nõ propriè.nam locus propriè is eſt,de quo tractat Ariſtoteles libro Phyſicorum quarto, quem vult eſſe partem extremam corporis ambientis.ſed ea loci cõſideratio pertinet ad philoſophum naturalem; vulgo verò communiter locus dicitur,vbi aliquid poſitum & locatum eſt, vel poni & locari poteſt,vt apud Virgilium.

*Eſt locus,Heſperiam graij cognomine dicunt*, Et in ſexto Aeneidos, *Deuenere locos lætos,& amæna vireta,*

Qua in ſignificatione frequenter etiam ab orationibus capitur, & a loco multa deducuntur argumenta, de quibns infra dicemus. ab hac ſimilitudine per tranſlationem à dialecticis, & rhetoribus locus dicitur ſedes argumenti;vt enim earum rerum, quæ abſconditæ ſunt, demonſtrato & notato loco, facilis eſt inuentio; ſic cum peruestigare argumentum aliquod volumus, locos noſse debemus. aptè vero mihi videtur Agricola locum ita definire; Locus eſt communis quædam rei nota,cuius admonitu, quid in quaque re probabile ſit,inueniri poteſt.ſed illud aduertendum eſt,eſſe locos quoſdam communes, qui ad omnem



Digitized by Google

diſputationem, & ad omne cauſarum genus pertinent, de quibus in Topicis tractat Cicero, & hoc in opere paulo poſt, eos tantum enumerat; & alio loco M. Antonius etiam exemplis illuſtrat, atque hi communes loci propriè dialecticæ arti ſubijciuntur, & de illis tractare non rhetoris, ſed dialectici officium eſt. Sed quia rhetorica dialecticæ propago quædam eſt, & ſimulachrum, vt ait Ariſtoteles, ideo locis his communibus, tanquam ſuis ac proprijs etiam rhetores vtuntur. Verum in ſingulis cauſarũ generibus, in arte dicendi proprij loci traduntur, qui tantum à rhetoribus tractantur. Vt in demonſtratiuo genere loci ſunt, vnde ea quæ ad laudandum & vituperandum pertinent, argumenta ducuntur; in deliberatiuo, quæ ad ſuadendum, & diſſuadendum, in iudiciali; quæ ad accuſandum, & defendendum, de quibus Ariſtoteles copioſè tractat, & Cicero tum in libris de Inuentione, tùm de Oratore, tùm infra longe ſubtilius, & accuratius hoc in opere. Prius igitur breuiter locos omnium generum communes explicat, deinde ad proprios cuiuſq; generis accedit. quoniam autem è locis argumenta ducuntur, antequam de locis verba faciat, ipſum definit argumentum, & *ait eſſe*, inuentum probabile ad faciendam fidem. Sciendum eſt autem idem eſſe argumentum Ciceroni, quod dialecticis, & Ariſtoteli medium. Vocant enim medium id, vnde tota vis argumentationis emanat, quod cũ inuentum fuerit, facile propoſitum probari poteſt, vt exempli gratia: Si quis probare velit, voluptatem eſſe bonam, aliquid oportet vt inueniat, quod & voluptati, & bono conſentaneum ſit, alioqui, quod vult, probare non poterit. dicet igitur voluptatem eſſe naturæ accommodatam, quoniam omnes animantes eam naturæ inſtinctu ſequuntur, atque ita ratiocinabitur; Quod naturæ accommodatũ eſt, id eſt bonum, ſed voluptas eſt naturę accommodata, igitur voluptas eſt bona. illud igitur inuentum, quo probatum eſt, voluptatem eſſe bonam, vocatur à dialecticis medium, à Cicerone argumentum. quod facilè inuenitur ab ijs, qui ſunt in Topicis exercitati. Sed quæri poteſt cur Cicero dixerit, inuentum probabile, cum interdum orator etiam neceſſario concludat, interdũ ex eis, quæ probabilia quidem videntur, ſed non ſunt. tria ſunt enim argumentationum genera, quorum vnum neceſſariò concludit, & ſcientiam gignit quo Mathematici potiſsimum vtuntur, & Philoſophi; alterum probabiliter tantum colligit, & eo dialectici, & rhetores vtuntur, tertium copioſè, fallaciterq; ratiocinatur, quod Sophiſtarum eſt proprium: veruntamen orator non ſemper tãtum probabiliter, ſed interdum neceſſario, interdum fallaciter argumentatur. cur igitur Cicero dixit, argumentum eſſe probabile inuentum? quia ſolent oratores ab eo, quod frequentius fit, rem definire, non ab eo, quod rarius, frequentius aũt rhetorica probabiliter tantum concludit, quam vel neceſſario, vel fallaciter. Adde quod quæ neceſſaria ſunt, ſunt etiam probabilia,

libr. 2. de orat.

lib. 1. Rh.

Eod. libr. lib. 2. de orat.

Digitized by Google

babilia, quamuis non contra. neque enim quidquid eſt probabile, id cõtinuo neceſſarium eſt, itaque ſub probabili continetur etiam neceſſarium. Probabilia autem ſunt, vt ait Ariſtoteles, quæ probantur, aut omnibus, aut pluribus, aut certè ſapientibus, atque ijs vel omnibus, vel plurimis, vel ijs, quorum ſpectata eſt, & perſpecta ſapientia: quoniam autem orator probabilia ferè tantum ſectatur, ideo Cicero alibi ſcribit, omnem dicendi orationem in medio poſitam, communi quodam in vſu, atque in hominum more, & ſermone verſari, & vitium eſſe, maximum in dicendo, à vulgari genere orationis, atque conſuetudine communis ſenſus abhorrere. 1. lib. Topic. & Rh. In proœ. de orat.

## C. F. Quomodo igitur duo genera iſta diuidis? C. P. Quæ ſine arte putantur, ea remota appello, vt teſtimonia. C. F. Quid inſita? C. P. Quæ inhærent in ipſa re.

Hæc eſt prima locorum, ſiue argumentorum diuiſio, quæ ab Ariſtotele tradita, ſicut ait Quintilianus, conſenſum ferè omnium meruit, alia eſſe argumenta, quæ extra dicendi rationem acciperit orator, alia quæ ex cauſa traheret ipſe, & quodammodo gigneret, atque hac de cauſa priora illa vocat Ariſtoteles ἄτεχνα idest artis expertia, ſicuti Cicero interpretatur, idemq; ſæpè remota nominat. poſteriora dicuntur ab Ariſtotele ἔντεχνα idest artificioſa, Cicero vocat inſita, quoniam hærent in ipſa re. Sed vt hæc diuiſio melius intelligatur, ſciendum eſt ea, quibus orator vtitur ad probandum, aut ab ipſo excogitari & inueniri; aut extrinſecus aſſumi; quæ ab oratore excogitantur, neceſſe eſt, vt rei de qua agitur; inhæreant; neque enim rem probare poſſent, ſi ab ea penitus diſcreparent, ideo vocantur inſita vel inhærentia, vel artificioſa, vt definitio, partium enumeratio, genus, forma, & reliqua. Quæ autem extrinſecus aſſumuntur, ea maximè ex auctoritate ducuntur, & in teſtimonijs poſita ſunt. nam Cicero & hoc in loco, & in Topicis, teſtimonium vocat, omne id, quod ab aliqua re externa ſumitur ad faciendum fidem, vt præiudicia, rumores, tormenta, tabulæ, iuſiurandum, teſtes. quoniam igitur hæc orator nõ ipſe excogitat, ſed extrinſecus oblata ſibi aſſumit, & tractat, ideo remota dicuntur, & artis expertia, non quia ſumma arte tractari non debebant, ſed quia ab oratoris arte non inueniuntur: alioqui ſummis eloquentiæ viribus indigent, quoniam in eis pars maxima forenſium contentionum conſiſtit, vt Quintilianus teſtatur. DVO GENERA) Atqui ſi propriè loqui volumus, hæc non duo genera ſunt, ſed duæ locorum, vel argumentorũ differentiæ. nam in eo differt à teſtimonio definitio, quod teſtimonium remotum eſt, lib. 5. c. 3.



Digitized by Google

definitio vera inſita.ſicut homo differt à bellua, quod homo particeps eſt rationis, bellua verò expers. verum Ariſtoteles differentiam generi aſſociat, ſicut etiam ſpeciem mediam, vel vt dialectici vocant ſubalternam: quoniam differentia non aliter atque genus multas ſæpenumero ſpecies complectitur: vt terreſtre, volucre, aquatile, quæ ſunt animaliũ differentiæ, multas ſpecies continent; hac de cauſa fit, vt & à Cicerone, & à reliquis bonis auctoribus ipſæ differentiæ frequentiſsimè genera vocentur. DIVIDIS ) Propriè locutus eſt, & melius quàm ſi dixiſſet, PARTIRIS, quoniam generis diſtributio in ſpecies, vel differentias, non propriè dicitur partitio, ſed diuiſio, vt initio docuimus, cum interim partitio propriè ſit totius in partes diſtributio. SINE ARTE PVTANTVR ) Scitè addit verbũ illud, PVTANTVR, quia re vera non ſunt ſine arte, quamuis enim orator ea non inueniat, tamen ſumma cum arte tractare ſolet, & ſæpè in vtramque partem, vnde loci communes à teſtibus, & contra teſtes, à tabulis, & contra tabulas, à quæſtionibus, & contra quæſtiones, quas aliquando Cicero diuinitus tractat, vt pro L. Flacco totam græcorum nationem *exagitat*, quod teſtimoniorum religionem, & fidem nonnunquam coluerit. & Quintilianus ait, maximũ patronis circa teſtimonia laborem eſſe, Domitius Afer, ſatis egregius orator duos libros de teſtimonijs conſcripſiſſe dicitur. quæ vel per tabulas dicuntur, vel à præſentibus, quæ per ſcripta vel tabulas dantur, ea vocantur à grecis κωφαὶ μαρτυρίαι quaſi dicas ſurda teſtimonia, vel muta, vt in Prouerbijs notatum eſt.

Pri. Top.

## C. F. Et teſtimoniorum quæ ſunt genera? C. P. Diuinum, & humanum: diuinum vt oracula, vt auſpicia, ut uaticinationes, & reſponſa Sacerdotum, aruſpicum, coniectorum.

Quęri poteſt, cur hoc loco Cicero prius de remotis argumẽtis tractet, quàm de inſitis, cum in topicis alium ordinem ſequutus ſit? nã ibi prius rationem eorum expoſuit, quæ inſita ſunt, deinde ad remota aggreſſus eſt. ſed ſciendum eſt, in artibus tradendis duplicem eſſe methodum, alteram qua progredimur à prioribus, & vicinioribus, ad ea, quæ remotiora ſunt, vt Philoſophi naturales, qui per ea, quæ ſenſibus ſubiecta ſunt, paulatim ſeſe erigentes, ſpecies & genera rerum, & denique ipſas cauſas venantur, alteram, qua incipientes à remotioribus, quodam ordine reuertimur ad ea, quæ propiora ſunt, & viciniora. vt theologi, qui de Deo loqui incipiunt, & paulatim ad res ab ipſo Deo conditas, & ad ea, quæ ſenſibus ſubijciuntur, deſcendũt. atque ideo philoſophis, & theologis fortaſſe ordinem ſuum in docendo mutare non conuenit; reliqui

verò

Digitized by Google

verò artifices, vt rhetores, & dialectici ſuo arbitrio, prout commodius videtur, vel hanc, vel illam methodum ſequuntur, non eandem ſemper. quare non mirum eſt, ſi Cicero nequaquam hoc loco ſecutus eſt eundem ordinem, quem in Topicis. Diuidit igitur teſtimonium in duo genera, hoc eſt diuinum, & humanum, ac prius diuinum teſtimonium in ſuas partes diſtribuit, quas ſex enumerat, oracula, auſpicia, vaticinationes, reſpōſa ſacerdotum, aruſpicum, cōiectorum; deinde ad humanum tranſit. hæc autem duo teſtimoniorum genera, perquam ſcitè Lucanus tangit, cum ita inquit.

*Quis iuſtius induit arma,*
*Scire nefas, magno ſe iudice quiſq; tuetur.*
*Victrix cauſa Deis placuit, ſed victa Catoni.*

Inter diuina teſtimonia primo loco ponuntur oracula, quæ ex eo ipſo ſunt appellata, ſicut ait in Topicis Cicero, quod ineſt eis deorum oratio, vt ſi quis probaret Socratem omnium eſſe ſapientiſsimum, quod Apollinis oraculum talem eum eſſe dixerit. magnam autē antiqui fidē oraculis habebant, & ijs pręcipuè, quæ ab Appolline reddebantur, vnde quæ veriſsima videri volebant, oraculis comparabant, Cicero ad Brutum, Hæc oraculo Apollinis Pythij edita tibi puta. Terentius, In 1. Lib.

*Non apollinis magis verum, atque hoc reſponſum eſt.*

huic ſimile eſt illud, quod ait Iuuenalis.

*Credite me vobis folium recitare Sybillæ.* Andri.

nam Sybilla, vt M. Varro teſtatur, in folijs palmarum ſolebat oracula ſcribere. Virgilius.

*Inſanam vatem aſpicies quæ rupe ſub ima*
*Fata canit, folijsq; notas, & nomina mandat.*

Plato in Phedro, atque in Timæo magni facere videtur oracula, cum ait, ea de diuinis affirmāda eſſe, quę oracula comprobarunt. Cicero primo de Diuinatione tradit græcos nullam vnquam coloniam miſiſſe ſine Pythio, aut Dodonæo, aut Ammonis oraculo. Sed oracula pleraque, ambigua, atque obſcura reddebantur, vt illud Cræſo regi datum fuiſſe ſcribit Herodotus, Lib. 3. Aeneid.

*Creſus Halym penetrans magnam peruertet opum vim.*

hoſtium vim ſeſe peruerſurum putauit, inquit Cicero, peruertit autem ſuam, & illud quod Pirrho datum ſcribit Ennius,

*Aio te Aeacida Romanos vincere poſſe.*

Quin

Digitized by Google

Quin etiam quoddam genus ſomnij dicitur oraculum, ut Macrobius ſcribit, quando in ſomnis parens, uel alia grauis perſona, ſeu ſacerdos aperte euēturum quid, aut non euenturum denunciat. Cicero de Diuinatione ſecundo, uehementer oraculorum fidem labefactat; ſic enim ait, Demoſthenes quidē; qui abhinc annis propè trecētos fuit, iam tum φιλιππίζειν Pythiam dicebat, ideſt, quaſi cum Philippo facere. hoc autem eo ſpectabat, ut eam à Philippo corruptam diceret, ex quo licet intelligi in alijs quoque oraculis delphicis aliquid non ſynceri fuiſſe. nos oraculorum uice poſſumus ad probādum afferre, quæcunque in ſacris literis diuina uoce, atque in Euāgelijs à Christo Domino pronunciata ſunt. quod argumenti genus apud chriſtianos firmiſsimum eſſe debet. VT AVSPICIA) Secundum genus diuini teſtimonij continetur auſpicijs, ſiue augurijs, quorum apud Romanos maxima erat cura, quoniam Romulus auſpicato dicitur urbem cōdidiſſe, atque etiam ipſe augur fuiſſe, quo circa deinceps ijdem erant Reges, & augures, & Collegium Augurum ſummo in honore fuit Romæ, ita ut Patricij, & Principes Ciuitatis, in illud Collegium cooptari magna cum ambitione conarentur. ac primò quidem tres tantum fuere, deinde numerus auctus, donec ſenatuſconſulto cautum fuit, ne ultra nouem eſſent augures. ſed L. Sylla dictator huic numero quindecim, adiecit, itaque poſtea uiginti quatuor fuerunt. mittebantur autem in Hetruriam adoleſcentes Principum filij, ut artem augurandi perdiſcerent, quoniam in ea plurimum excellere Hetruſci putabuntur, ut Val. Max. ſcribit. tribus autem modis auguria captabantur, primo ab aſpectu auium, quæ præpetes, & anoſcines dicebantur, & id propriè auſpicum erat, *ab auibus* aſpiciēdis dictum. ut Romulus, cum urbem conderet, duodecim vultures aſpexiſſe perhibetur; ſecundo à cantu, & garritu auium, quę oſcines uocabātur, & hoc eſt propriè augurium, ſic ab auium garritu nominatum; tertio à paſtu pullorum, qui cauea incluſi tenebantur, & id tripudium Soliſtimum dicebatur. Augurum etiam erat de cęlo ſeruare, fulmina, tonitrua, tempeſtates procurare, Magiſtratibus obnunciare, cum

1. de diui. de cœlo ſeruatum eſſet. his rebus tanquam oraculis, & diuinis teſtimonijs credendum putabant. Cicero, Cilicum, inquit, & Piſidarum gens, & his finitima Pamphilia uolatibus auium, cantibuſque certiſsimis ſignis declarari res futuras putant. idem in M. Antonium uehementer inuehitur, quod artem augurandi prorſus ignoraret, & ementitus eſſet auſpicia. Hector apud Homerū cōtemnit auguria, atque ait ſe nolle aues curare vtrum ad dextram, an ad læuā uolent, quoniam unum tantum eſſet optimum augurium, pro patria pugnare, cuius ſententiam expreſſit Q. Fabius Max. ut eſt apud Ciceronem, is enim cum eſſet augur, dicere auſus eſt, optimis auſpicijs ea geri, quæ pro ſalute Reipub. fierent, quæ contra Rempub. ferrentur, contra auſpicia ferri. Cicero tamen ſic

Phil. 2.
li. 12. Ilia.
in lib. de ſeneƈt.
1. de legi.

ait,

ait, Maximum autem, & præſtantiſsimum in Rep. ius eſt augurum; & alio loco ſcribit, Augures Iouis Opt. Max. interpretes, internunciosq; conſtitutos eſſe. quod ex duodecim tabulis ſumpſit, ubi erat ea lex. Interpretes autem Iouis Opt. Maximi publici augures, ſignis, & auſpicijs poſtea uidento, diſciplinam tenento. nos chriſtiani auſpicia omnia negligenda eſſe cenſemus. VT VATICINATIONES.) Tertium genus à uatibus ducitur, nam quę uates prædixiſſent diuina eſſe teſtimonia cēſebant. unde libros Sybillinos Romani frequenter adibant, quod Sybillam uatem fuiſſe optimam acceperant. Cicero, Multa, inquit, & *Sybillinis* uaticinationibus, multa ex aruſpicum reſponſis commemorare poſſum. Erat autem apud ueteres firma opinio, quoſdā homines, diuino furore afflatos, futura prędidere, ac prędicere, qui uates dicebantur, qualis ille Protheus, de quo ita Vergilius. Phil. 13. 2. de Nat. Deorum. 4. Georgicor.

*Nouit namque omnia vates:*
*Quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.*

Talis fuit etiam Calcas apud Homerum, & Melampus, de quo ita Plinius, Melampodis fama diuinationis artibus nota eſt, & Tages, de quo Ouidius ſic ait. lib. Meta. vlt.

*Indigne dixere Tagem, qui primus Hetruſcam.*
*Edocuit gentem caſus aperire futuros.*

Multi etiam alij tanquam vatas optimi celebrantur; huc referuntur etiā prodigia, vt Platoni infanti apes mella in os intulerunt, quod diuinę eloquentiæ prodigium fuit. & Midæ paruulo formicæ grana tritici in os congeſſerunt, quod maximas eius futuras diuitias ſignificauit. & monſtra, ut cum in exercitu Xerxis equa leporem peperit, quod Regis turpem fugam portendit; Chaldæorum etiam, & Aſtrologorum prædictiones referūtur ad uaticinationes. Cicero autem ad Cæcinnam ſcribens docet, ex prudentia, & vſu rerum ſæpè homines futura ſolere vaticinari; cū ita ait; Si te ratio quædam Hetruſcæ diſciplinæ, quam à patre nobiliſsimo, atque optimo uiro acceperas, non fefellit, nec nos quidem noſtra diuinatio fallet, quam tum ſapiētiſsimorum virorum monumentis, atq; pręceptis, plurimoque, ut ſcis, doctrinæ ſtudio, tum magno etiam uſu tractandæ Reipub. magnaq; noſtrorum temporum uarietate conſequuti ſumus, cui quidem diuinationi hoc plus confidimus, quod ea nos nihil in his tam obſcuris rebus, tamq; perturbatis unquā omnino fefellit. & paulo poſt, Quare, quādo, ut Augures, & Aſtrologi ſolent, ego quoque augur publicus ex meis ſuperioribus prædictis conſtitui apud te auctoritatem augurij, & diuinationis meæ debet habere fidem noſtra prædictio. Solon orientem tirannidem multo ante proſpexit; Thales Mileſius omnē oleam, antequam florere cœpiſſet, lib. ep. fa. 6. ep. 6

in

in agro Mileſio coemiſſe dicitur, animaduerterat enim quadā ſcientia, olearum vbertatem fore; ſed tales viri, non vates, neque diuini, ſed prudentes, id eſt prouidentes dicuntur, vt Q. Ciceroni placet. Ariſtoteles Eudemiorum ſeptimo, pudentum ait, & ſapientum hominum celerem eſſe diuinationem, & eos ſolos diuinare. vnde Cicero docet illum verſiculum vulgò celebratum olim fuiſſe,

lib. 1. de diuin. lib. 2. de diuin.

*Qui bene conijciet, vatem hunc perhibebo optimum.*

Iliad. 4. Erant olim uates in ſummo precio, ut Chalcas ille, quem Homerus ſcribit græcorum nauibus propter diuinandi ſcientiam præfectum fuiſſe. RESPONSA SACERDOTVM.) Quartum genus diuini teſtimonij, ducitur à ſacerdotum auctoritate. Nam Romani ueteres ius ſuum pontificium, & ſacras ſuas literas habebant, quas ſacerdotes interpretabantur, & eis credendum eſſe cenſebant, cuius rei perſpicuum exemplum eſt apud Ciceronem de Sybillini carminis interpretatione. multa uerò librorum genera habebant, ex quibus in rebus dubijs ſacerdotes periti conſulta dabant; erant Sybillini, quos Tarquinio Priſco ipſa Sybilla dediſſe traditur; erāt libri lintei, de quibus T. Liuius frequenter meminit; erant pontificij, erant aruſpicini, fulgurales, rituales, augurales, de quibus Q. Cicero mentionem facit. His literis ſacerdotes ſtudebant, & quæ ad religionem ſeruandam pertinerent, populo nunciabant. ARVSPICVM.) Quintum genus ab Aruſpicibus. erant autem Aruſpices, qui cæſis victimis, in ara diligenter exta conſiderabant, & quid boni, vel mali portenderent, Imperatori, vel populo ſignificabant: eorum ars aruſpicina dicebatur. Cicero, vt ordiar, inquit, *ab aruſpicina*, quam ego Reipub. cauſa communisq; religionis colēdam cenſeo. extat oratio luculenta Ciceronis de reſponſis aruſpicum, in qua doctè, & copioſè, quæ dicta fuerant ab aruſpicibus, interpretatur, & tertia in Catilinam actione docet, quāti facerent Romani aruſpicum reſponſa. ſic enim ait. Quo quidem tempore cum aruſpices ex tota Hetruria conueniſſent, cædes, atque incendia, & legum interitum, & bellum ciuile, ac domeſticum, & totius vrbis, ac imperij occaſum appropinquare dixerunt, niſi dij immortales omni ratione placati, ſuo numine propè fata ipſa flexiſſent. itaque illorum reſponſis, tunc, & ludi decem per dies facti ſunt, neque res vlla, quæ ad placandum Deos pertineret, prætermiſſa eſt. ſæpè etiam impedimento erant aruſpices nè bellum ſuſciperetur, & ne quid publicè ageretur, vt Virgilius.

1. ad Lentulum ep.

5. de diui.

2. de diui.

8. Aenei. *Retinet longæuus aruſpex, Fata canens.*

Itaque cæſa hoſtia, ſi litatum non fuiſſet, ſacrificium inſtaurabatur, neque vllum negotium aggredi audebant, priuſquam litatum eſſet, & exta ſecunda apparuiſſent, Virgilius de Didone.

4. Aenei.

In-

*Inſtauratq. diem donis, pecudumq. recluſis.*
*Pectoribus inhians ſpirantia conſulit exta.*

Donatus in Phormione Terentij, ſcribit aruſpices dictos ab haruga, hoc eſt victima, porrò harugam dictam eſſe ab hara, id eſt ſtabulo, in quo clauſa conſeruabatur ad ſacrificium. multa verò ſunt in hiſtorijs exempla eorum, quæ aruſpices prædixerunt, ſed illud maximè memorabile, quod Suetonius de Spurina aruſpice memorat. Is enim Cęſarem admonuerat, vt Idus Martias tanquam pernicioſas, & vitæ periculum minitantes, euitaret: cum autem Idus Martiæ veniſſent, Cęſar irridens ipſum Spurinam, eiuſq. ſcientiam dixit; ecquid ſcis ò Spurina idus Martias ſine vlla mea noxa veniſſe? cui Spurina reſpondit, ecquid ſcis Cęſar, idus Martias nódum præterijſſe? at vero paulo poſt Cæſar a coniuratis eo ipſo die in Senatu trucidatus eſt. Quamuis autem aruſpices non eſſent in tanto honore, ac pretio, quanto augures, tamen honores adipiſcebantur, & in Senatum legebantur. quod Cicero ad Leptam ſcribens, ita oſtendit, Neque enim erat ferendum, cum qui hodie aruſpicinam facerēt, in Senatu Romæ legerentur: eos, qui aliquando præconium feciſſent, in municipijs decuriones eſſe non licere. CONIECTORVM. ) Sextum & vltimum genus diuini teſtimonij ſumitur a coniectoribus, & interpretibus ſomniorum. putabat enim antiquitas a Ioue ſomnia mortalibus immitti, quæ ſub inuolucris, & integumentis quibuſdā futura ſignificarent. vnde Homerus græcè in hanc ſententiā dixit; καὶ γάρ τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐστι id eſt Etenim etiam ſomnium ab Ioue eſt. Cicero narrat hanc hiſtoriam, Defert ad coniectorem quidam, ſomniaſſe ſe ouum pēdere ex faſcia lecti ſui cubicularis, reſpondit coniector theſaurum defoſſum eſſe ſub lecto, fodit, inuenit auri aliquantum, idq. circundatum argēto. miſit coniectori quantum viſum eſt de argento, tum ille, nihil ne de vitello? ſed etiam multa exempla ſomniorum Q. Cicero colligit, quorum exitus mirabiles extiterunt. Eſt apud Platonem Socrates, cum eſſet in cuſtodia publica, dicens Critoni ſuo familiari, ſibi poſt tertium diem eſſe moriendum, vidiſſe ſe in ſomnis pulchritudine eximia fœminam, quę ſe nomine appellans diceret Homericum quendam eiuſmodi verſum.

Lib. 6. epi. 2 Iliadis. 2. De diui nat. Lib. 1. De diuin.

*Tertia te Phthiæ tempeſtas læta locabit,* Quod, vt eſt dictum, Sic ſcribitur contigiſſe.

Xenophon Socraticus in ea militia, qua cum Cyro minore perfunctus eſt, ſua ſcribit ſomnia, quæ veros exitus habuerunt. Ariſtoteles vir ab omni ſuperſtitione remotiſſimus, putat in ſomnis homines ſæpè futura præuidere. ſcripſit apud græcos Artemidorus de ſomnio-



Digitized by Google

rum interpretatione libros quinque, ſanè perquam eleganter, & polite. Neque certè rationem afferre poſſem, quare dicitur ſomnijs fidem nullam habendam eſſe; cum præſertim in ſacris literis multa reperiantur exempla ſomniorum, quibus magna fides tradita eſt. Nam Ioſephus Pharaoni Ægyptiorum regi ſomnia interpretatus eſt, & Daniel Nabucdonoſori. quin etiam in euangelio Magi in ſomnis admonentur, vt per aliam viam redeant in regionem ſuam; & Ioſephus Chriſti nutritius, ab Angelo monitus eſt in ſomnis, vt Herodis iram fugeret, & in Ægyptum concederet. Mihi vera videtur Macrobij diſtinctio: qui eorum, quæ ſibi dormientes videre videntur, quinque ſpecies ponit, quarum vna ſit ἐνύπνιον, hoc eſt, inſomniũ ſemper falſum; cum ea, quæ vigilantes egimus, aut cogitauimus dormientibus occurrunt. Altera viſum, quod φαντάσμα dicitur; cum in prima ſomni parte, quis paſsim vagantes formas videt, quod etiam falſum eſt. Tertia viſio, quod ὅραμα vocatur; vt cum quis abſentem amicum rediſſe dormiens videt, quod aliquando verum eſt. Quarta Somnium, quem ὄνειρον vocant Græci, quod quidem verum eſt, ſed interpretatione indigeat; vt ea, de quibus Artemidorus ſcribit, & de quibus eſt omnis ars coniectorum. Quinta χρηματισμός, ideſt oraculum, quod ſemper verum eſt, & apertum; vt quod Magis, & Ioſepho accidit. Quoniam igitur in ſomnis plurima falſa videntur: & quæ nos facile decipere, atque in errorẽ inducere poſſunt, ideo eis credere vetant Theologi; niſi cum ita apertum eſt, vt oraculum dici poſsit, cuius generis etiam in hiſtorijs multa exempla habemus. Scripſit Fabius Pictor, vt auctor eſt Cicero, omnia quæ ab Aenea geſta ſunt, quæque illi acciderunt; ea fuiſſe, quæ ei ſecundum quietem viſa ſunt. Sophocles Poeta, cum ex æde Herculis, patera aurea grauis ſurrepta eſſet, in ſomnis vidit ipſum Deum dicentem, qui id feciſſet. Alexander Magnus, cum Ptolemæus, familiaris eius, in prelio telo venenato ictus eſſet, eoque vulnere ſummo cũ dolore moreretur; ſecundum quietem draconem vidit, radiculam ore ferentem, & ſimul dicentem, quo illa loci naſceretur. Cum autem experectus narraſſet amicis ſomnium, miſit qui illam radiculam quærerent; qua inuenta, & Ptolemæus ſanatus dicitur, & multi milites qui erant eodem genere teli vulnerati. Sed, vt dixi, multa ſunt huius generis exempla, quæ coniectore non indigent, & inter oracula numerantur.

Humanum, quod ſpectatur ex auctoritate, & ex voluntate, & ex oratione, aut libera, aut expreſſa, in quo ſunt ſcripta, pacta, promiſſa, iurata, quæſita.

Secun-

Digitized by Google

Secundum genus teſtimonij vocatur humanum, quoniam eius vis tota pendet ab hominibus, hoc autem a tribus quaſi fontibus naſcitur, hoc eſt, ab auctoritate, a voluntate, & ab oratione. Sed oratio duplex eſt, aut libera, cum ſua ſponte quis loquitur, aut expreſſa per vim, cum quis inuitus aliquid fateri compellitur. Sub oratione quinque ſpecies continentur, hoc eſt, ſcripta, pacta, promiſſa, iurata, quæſita. de quibus ſingulis accurate poſtea diſſeremus. Nunc de auctoritate videamus, quę in teſtimonijs humanis maximam fidem, & vim habere ſolet, vnde Cicero cum aliquem teſtem commendare vult, eum ab auctoritate, fide, religione plurimum laudat, vt pro Archia Poeta: Adeſt vir ſumma auctoritate, & religione, & fide L. Lucullus, qui ſe non opinari, ſed ſcire, non audiuiſſe, ſed vidiſſe, non interfuiſſe, ſed egiſſe dicit. hoc eſt quod affirmat Cicero, auctoritatē in omnibus cauſis & debere & ſolere plurimum valere. Spectatur autē in eo potiſsimum auctoritas, ſi quid viſum ſit eruditis, nam vnicuiq; credendum eſt in arte ſua ſapientibus, qui magnam rerum omnium cognitionem habent, probis & fide dignis hominibus, qui nequaquam mentiri ſolent. Itaque multa confirmantur auctoritatibus ſapientisſimorum hominum, vt Platonis, Ciceronis, Ariſtotelis. Cum enim de aliqua re diſceptamus, ſi probare poſſumus, id Platoni, vel Ariſtoteli placuiſſe, ſæpenumero tollitur omnis dubitatio: ita Pythagoræ diſcipuli, ſatis ſe probaſſe putabāt id, de quo ambigebatur, ſi dixiſsēt, ἀυτος ἔφα idest IPSE DIXIT, IPSE vero Pythagoras erat; Neque tantum ſapientes, ſed etiam artifices omnes in artibus ſuis auctoritatem habent ad probandum, & eorum dicta pro teſtimonijs adducuntur, vt ſic aiunt Geometræ, ſic Muſici, ſic Medici, ſic Dialectici, ſic Agricolæ. atque ita de reliquis. Cicero, inquit, Docet enim ratio Mathematicorum, quanta humilitate luna feratur, terram penè contingens; & in Academicis, Solem Mathematici amplius duodeuiginti partibus confirmant maiorem eſſe, quam terram; Errare mehercule malo cum Platone, quam cum iſtis vera ſentire. Neque tantum artes, & ſcientiæ, ſed etiam vſus & experientia magnam auctoritatem habet ad perſuadēdum; plerunque enim creditur ijs, qui experto ſunt, vnde apud Virgilium, ita Diomedes ait,

1. lib. Tuſcul.

Lib. 2. de diuin.

1. Tuſculanar.

*Experto credito, quamuis,*
*In Clypeum aſſurgat, quo turbine torqueat haſtam.*

Præterea quæ viſa ſunt gentibus, populis, nationibus, auctoritatem habent, vt Lucilius Balbus, apud Ciceronem ideo probat eſſe deos, quia nulla gens eſt tam barbara, cuius mentem non imbuerit deorum religio. Quintilianus ſic ait, An vero me de incommodis vitæ diſſerentem, non adiuuabit earum perſuaſio nationum, quæ fletibus na-

Lib. 5.

 tos,

toſ, lætitia defunctos proſequuntur? aut ſi miſericordiam commendabo iudici, nihil proderit, quod prudentiſſima ciuitas Athenienſium non eam pro affectu, ſed pro numine accepit? Nam illa ſeptem præcepta ſapientum, nonne quaſdam vitæ leges exiſtimamus? Si cauſam veneficij dicat adultera, non Marci Catonis iudicio damnata videatur, qui nullam adulteram non eandem eſſe veneficam dixit. Iam ſententijs quidem poetarum, non orationes modo ſunt refertæ, ſed libri etiam philoſophorum, qui quanquam inferiora omnia præceptis ſuis ac literis credunt, repetere tamen auctoritatem a plurimis verſibus non recuſarunt. Neq; eſt ignobile exemplum, Megaræos ab Athenienſibus, cum de Salamine contenderent, victos Homeri verſu, qui tamen ipſe non in omni editione reperitur, ſignificans Aiacem naues ſuas Athenienſibus iunxiſſe. Ea quoque, quæ vulgo recepta ſunt, hoc ipſo, quod incertum auctorem habent, velut omnium fiunt, quale eſt,

*Vbi amici, ibi opes. Et conſcientia mille teſtes.*

& apud Ciceronem, Pares autem, vt eſt in veteri prouerbio, cum paribus facillime congregantur, neque enim duraſſent hæc in æternum, niſi omnibus vera viderentur. In ſenibus etiam, quia longo vſu periti putantur, magna eſt auctoritas, vt Latinus apud Virgilium.

7. Aenei. *Atque equidem memini, fama eſt obſcurior annis*
*Auruncos ita ferre ſenes, his ortus vt oris.*
*Dardanus ideas Phrygiæ penetrarit ad vrbes.*

Principes etiam viri, diuiteſque ſibi auctoritatem vindicant. quo fit vt eorum teſtimonia magni ponderis æſtimentur. Non recte fortaſſe, inquit Cicero, ſed vulgi opinio mutari vix poteſt. Quin acutum ingenium ſolet auctoritatem habere, nam ingenioſos putant eſſe dignos, quibus fidem adhibeant. Sed omnium maximam auctoritatem probitas, & virtus complexa eſt. quis enim probis & magna virtute præditis hominibus, non facile credit. hoc eſt quod ſcribit Cicero,
2. de offic. Iuſtis & fidis hominibus, id eſt viris bonis ita fides habetur, vt nulla in his fraudis ſit, iniuriæq; ſuſpicio, & paulopoſt: Fides autem vt habeatur duabus rebus effici poteſt, ſi exiſtimabimur adepti coniunctam cum iuſtitia prudentiam. hæc eſt cauſa cur Cicero quoties teſtes in iudicium adducit, eos honeſtos, & probos viros eſſe oſtendat, quibus vero fidem adimere vult, leues, & improbos eſſe dicat. EX VOLVNTATE.) Voluntas & viuorum & mortuorum hominum ſæpè pro teſtimonio valet. eſt autem voluntas (vt ait Cicero) quæ aliquid cum ratione deſiderat. differt a cupiditate, quę ſine ratione eſt. mortuorum voluntas ex teſtamentis, & ſcriptis maxime cernitur. vnde iuriſconſulti teſtamenta vocant extremas volũtates, quæ

pro

Digitized by Google

pro teſtimonio ſæpiſſimè proferuntur. cum ergo ex mortui voluntate quærimus teſtimonium, inueſtigandum eſt, quid dixerit, quid fecerit, quid mandarit, quid ſcripſerit, cui ſententiam ſuam communicarit, & ſi quæ ſunt eius generis. Sic Clodius teſtimonium voluntatis ſuæ dederat, cum Fauonio fortiſſimo viro quærenti ex eo, qua ſpe fureret, Milone viuo, reſpondit triduo illum ad ſummum quatriduo periturum. ſic accuſator Roſcij Amerini Erucius a facto patris, voluntatem eius, & odium in filium conatus eſt oſtendere, quod filium in prædia ruſtica relegarat, & quod eum exhæredare cogitabat. *Viuentium* voluntas eodem modo cernitur ex dictis, ex factis, ex mandatis, ex ſcriptis, ſic dicta Catilinæ, & mandata, vt Cicero conſul interficeretur, coniurationis teſtimonium fuere. ſic literæ Lentuli, atque Cethegi, voluntatis eorum apertiſſima fuerunt teſtimonia. Cicero pro Milone voluntatem ex factis ita probat. Dederas enim, quā contemneres populares inſanias, iam ab adoleſcentia documenta maxima. EX ORATIONE.) Oratio duplex eſt, aut libera, aut expreſſa, vel enim ſponte dicuntur teſtimonia, vel coactè, quæ ſponte dicuntur, ea libera vocantur, quæ coactè, expreſſa. in vtroque genere magnus oratori labor, ſiue ea cōfirmare velit, ſiue refutare, vt Quintilianus ait. Porrò libera oratio, vel incerto auctore uagatur, vt rumor, fama; vel certum habet auctorem, vt præiudicium, & præſentia dicta, & tabulæ, & iuſiurandum. rumor ſiue fama, vulgi & multitudinis teſtimonium a Cicerone vocatur in Topicis, hinc locus communis a rumoribus, & contra rumores. nam ſi quis rumorem velit defendere & approbare, dicet non eum temere naſci ſolere, quin ſubſit aliquid, & velut publicum eſſe teſtimonium. nam Heſiodus dixit famam non omnino vanam eſſe, aut prorſus interire, quæ in ore multorum fuerit, quoniam etiam ipſa dea quędam eſt. cuius carmina Demoſthenes contra Aeſchinem citat, & Ariſtoteles contra rumorem, ſi quis dicat eum eſſe ſermonem, cui malignitas initium dederit, incrementum, credulitas; & ait Quintilianus, aut in arbitrio cuiuſlibet eſſe falſum aliquem rumorem confingere, etiam contra viros honeſtiſſimos, & innocentiſſimos. Præiudicium plurimum valet, ſi iam de eadem cauſa iudicatum eſt, aut de pari, aut de ſimili, aut ſi iudices iam ſententiam ſuam, priuſquam iudicent, patefecerint, vt in Milonem dicebant aduerſarij tribus præiudicijs eum iam eſſe damnatum. nam primo negabant intueri lucem fas eſſe ei, qui à ſe hominem occiſum eſſe fateretur; ſecundo aiebant, cædem qua P. Clodius occiſus erat, Senatum iudicaſſe contra Remp. eſſe factam; Tertio dicebant Gn. Pompeium rogatione ſua, & de re, & de cauſa iudicaſſe. quæ omnia ſigillatim, & accurate Cicero confutat. Idem pro A. Cluentio iudices deprecatur, ne præiudicia contra Cluentium valeant, Pri-

Lib. 7. Ethic.

mum

num, inquit, id quod ęquiſsimum eſt, poſtulo, vt nequid huc pręiudicati afferatis. etenim non modo auctoritatem, ſed etiam nomen iudicum amittemus, niſi hic ex ipſis cauſis iudicabimus, ac ſi ad cauſas iudicia iam facta domo deferemus. Pręſentium dicta confirmantur eorum, qui dicunt, auctoritate, fide, religione, vt ſupra iam dictum eſt. Expreſſa oratio neceſsitatem habet, de qua ita Cicero, Facit etiam neceſsitas fidem, quæ tum a corporibus, tum ab animis naſcitur. nam & verberibus torti, & igne fatigati, quæ dicunt, ea videtur veritas ipſa dicere, & quæ a perturbationibus animi ſunt, dolore, cupiditate, iracundia, metu, quia neceſsitatis vim habent, afferunt auctoritatem, & fidem. Cuius generis etiam illa ſunt, ex quibus nonnunquam verum inuenitur, pueritia, ſomnus, imprudentia, violentia, inſania, nam & pueri ſępe indicauerunt aliquid, ad quod pertineret, ignari; & per ſomnum, vinum, inſaniam, multa ſæpe patefacti ſunt. multi etiam in res odioſas imprudentes inciderunt, vt Stalerio nuper accidit, qui ea locutus eſt, bonis viris ſubauſcultantibus, pariete interpoſito, quibus patefactis, in iudiciumq; prolatis, rei capitalis iure damnatus eſt. *Sub* oratione continentur quinque ſpecies, ſcripta, pacta, promiſſa, iurata, quæſita. Scripta magnam vim habent ad probandum, cum tabulę proferuntur, vel chirographa, vel ſyngraphæ, vel epiſtolæ, quę rem incertam ſæpiſsimè confirment, quamuis etiam contra tabulas, vt ait Quintilianus, ſæpè dictum ſit, & ſæpè dicendum, cum eas non ſolum refelli, ſed etiam accuſari ſciamus eſſe vſitatum. Cicero commendat eas tabulas, quibus Archias profeſſus fuerat. ſic enim ait, Imo vero ijs tabulis profeſſus eſt, quæ ſolæ ex illa profeſsione collegioq; prætorum, obtinent publicarum tabularum auctoritatem. Ariſtoteles docet quibus rationibus, & pro ſcriptis, & contra ſcripta dicere *poſsimus*: nam maior pars eorum, quæ homines inter ſe contrahunt, & ſua ſponte faciunt, ſcriptis continetur: itaque ſi quis ſcripta tollat, omne commercium hominum è vita auferetur. Pacta vel in ſcripto, vel ſine ſcripto eſſe poſſunt, ea Cicero iure conſuetudinis contineri putat, & ita definit; Pactum eſt, quod inter aliquos conuenit, quod iam ita iuſtum putatur, vt iuri præſtare dicatur. Quibus ex verbis intelligitur quanta vis pactorum ſit, vt etiam legibus præſtent, quod etiam Cornificius ad Herennium ſic affirmat: Sunt item pacta, quæ ſine legibus obſeruantur ex conuentu, quæ iuri præſtare dicuntur. Si tamen pacta contra leges fuerint, nullam omnino vim habent, quod Antonius Imperator ita Baſilicæ reſpondit; Pacta, quæ contra leges, conſtitutionesq;, vel contra bonos mores fiunt, nullam habere vim, indubitati iuris eſt: quo in loco multa ſubtiliter, & ingenioſe, de pactis Alciatus noſter diſputat. PROMISSA differunt a pactis, quod promiſſum debilius eſt, & vnius tantum hominis eſſe poteſt; pactum

[Margin notes: In Topicis. — pro Archia Poeta. — in fine 1. lib. Rhetoricorum. — Lib. 2. de inuentione. — Lib. 2.]

eſt

eſt validius, & ſemper inter plures eſt. Qui ſe fatetur promiſiſſe, cōtra ſeipſum teſtimonium dicit, niſi vel metus, vel doli mali exceptionem opponat. Cicero diſputat, & exemplis probat, non ſemper promiſſa eſſe ſeruanda. [Lib. 3. de offic.] idem, Scelerum (inquit) promiſsio, & ijs, qui expectant, pernicioſa eſt, & ijs, qui promittunt. [Philipp. 8.] [1. de offic.] Idem, iam illis promiſſis non ſtandum eſſe, quis non videt, quæ coactus quis metu, aut deceptus dolo promiſerit, quæ quidem pleraque iure prætorio liberantur, nonnulla legibus. [Lib. 3. de offic.] IVRATA.) Cicero quodam loco ita ſcribit; Sed in iureiurando non qui metus, ſed quæ vis ſit, debet intelligi. Eſt enim iuſiurandum affirmatio religioſa, quod autem affirmate quaſi deo teſte promiſeris, id tenendum eſt: iam enim non ad iram deorum, quæ nulla eſt, ſed ad iuſtitiam, & fidem pertinet. Nam præclare Ennius.

*O fides alma, apta pinnis, & iuriſiurandum Iouis.*

Qui igitur iuſiurandum violat, is fidem violat, quam in capitolio vicinam Iouis Opt. Max. vt in Catonis oratione eſt, maiores noſtri eſſe voluerunt. [In extremo 1. lib. Rhetor.] Ariſtoteles multa verba de iureiurando facit, & docet quomodo in cauſis tractari debeat, [Lib. 5.] & Quintilianus ait; [Lib. 5.] Monent tamen nos rhetores, ne facile iuſiurandum aduerſarijs deferamus: nam ſi fuerint improbi, facile peierabunt. Apud Græcos tria iuriſiurandi genera traduntur, primū quod affirmandi gratia ſponte ſuſcipitur; & ἐπώμοτος ὅρκος dicitur; alterū, quod inficiandi gratia & dicitur κατώμοτος & tertiū, cū quis nō ſponte, ſed inuitus iurare cogitur & ἔπακτος vocatur. Græci poſt teſtimonij dictionē, ad aras iurādi gratia accedebant, quod cum facere vellet Xenocrates, a Iudicibus prohibitus eſt: illi enim iniurato magis, quam cæteris iuratis ſe credere dixerunt. [Lib. 1. ad At.] QVAESITA.) Quæſtiones, ait Ariſtoteles, teſtimonia quædam ſunt, quæ videntur ea de cauſa fidem facere, quia neceſsitas quædam eis ineſt. Nam quę ſunt extorta vel minis, vel pollicitationibus, vel cruciatu, videtur veritas ipſa dicere. Apud Romanos ſerui tantum inueniendi veri gratia torquebantur, non autem liberi, ſed apud Athenienſes, & Rhodios etiam liberi, ſicuti noſtro quoque tempore; ſed qua ratione quæſtiones tractentur, infra ſuo loco dicetur.

C.F. Quæ ſunt, quæ dicis inſita? C.P. Quæ infixa ſunt rebus ipſis, tum ex toto, tum ex partibus, tum ex notatione, tum ex ijs rebus, quæ quodammodo affectæ ſunt ad id, de quo quæritur, & ad id totum de

quo

Digitized by Google

# quo diſſeritur, tum definitio adhibetur, tum partium enumeratio, tum notatio uerbi.

Locos, qui inhærent in ipſa re, alij alter diuiſerunt, nos Ciceronem ſequimur, qui vbique ſibi ipſe conſentit. Nam & in ſecundo de oratore, & in Topicis, & hoc in loco eandem ſequitur diuiſionem. Quatuor (inquit) genera ſunt locorum, quæ dicuntur inſita, totum, partes, notatio, res affectæ. Sed ad totum adhibetur definitio, partium enumeratio, notatio verbi. Quare bimembris diuiſio fieri poteſt hoc modo; locorum inſitorum alij ſunt in toto, alij ſunt affecti ad totum. Prius de ijs, qui ſunt in toto, verba faciemus, poſtea de alijs. Totum vocamus rem vniuerſam, de qua verba facturi ſumus, cuius primo quærere definitionem debemus deinde partes, tum nominis vim, & originem, poſtremo eas res, quæ quodammodo ſunt affectæ ad id, de quo quæritur. Primus igitur omnium locus eſt definitio. ideo viri docti præcipiunt, vt cum aliquid tractare volumus, a definitione ſemper incipiamus. ſic enim Cicero; Omnis, quæ a ratione ſuſcipitur de aliqua re, inſtitutio, debet a definitione proficiſci, vt intelligatur, quid ſit id, de quo diſputatur. Hoc omnes, qui ſcriptis artem aliquam mandant, diligenter obſeruare ſolent, vt initio rem vniuerſam definiant, deinde partes quærant, vt grammatici primo quærunt quid Grammatica ſit, deinde partes etiam eius explicant definitione, vt quid ſit litera, quid Syllaba, quid dictio, quid oratio. Sic rhetores primo quærunt, quid ſit Rhetorica, deinde quid ſingulę rhetoricæ partes, vt quid inuentio, quid diſpoſitio, quid elocutio. Merito igitur primus locus definitioni datur, ſine qua nulla res quid ſit, intelligi poteſt. Laurentius Valla definitionem vocat regium cenſorem, quæſtoremq; ærarium. quod cuiuſque rei naturam proprietatemq; explicet. Quæramus igitur primo quid definitio ſit. Cornificius ad Herennium, Definitio eſt (inquit) quæ rei alicuius proprias amplectitur poteſtates, breuiter, & abſolute, hoc modo, Maieſtas Reip. eſt in qua continetur dignitas, & amplitudo ciuitatis. Cicero in Topicis ita inquit, Definitio eſt, quæ id, quod quaſi inuolutum eſt, euoluit. Quintilianus. Definitio (inquit) eſt rei propoſitæ propria, & dilucida, & breuiter comprehenſa verbis, enunciatio. talis eſt illa Horatij.

lib. 1. de offic. — Lib. 4. — Lib. 7.

*Virtus eſt medium vitiorum vtrinque reductum.*

& illa Ciceronis; Virtus eſt animi habitus, naturæ, modo, rationi conſentaneus. Ex definitione firmiſsima deducuntur argumenta, vt ſi quis ita colligat, Res quædam egregia eſt, polite, & eleganter dicere, ergo rhetorica eſt perdiſcenda, quæ eſt ars bene dicendi. Cicero pro-

Digitized by Google

ro probat Seſtium in numero optimatium eſſe hac definitione; Omnes optimates ſunt, qui neque nocentes ſunt, nec natura improbi, nec furioſi, nec malis domeſticis impediti. Duplex autem eſt definitio, altera nominis, altera rei. Definitio nominis ipſa eſt ethymologia, ſiue notatio de qua paulo inferius dicemus. Definitio rei conſtat ex genere, & differentijs, ſiue proprietatibus. Sed aliqui tradunt quinque definitionis ſpecies, quæ ſunt omnes ad probandum vtiliſſimæ. Nam aliqua eſt definitio ſubſtantię, aliqua cauſarum, aliqua effectorum, ſiue officiorum, aliqua partium, aliqua accidentium. Definitio ſubſtantię illa eſt, qua philoſophi potiſsimum vtuntur, quia rei naturam explicat, & vera eſt definitio, quæ conſtat ex genere, & differentijs; vt homo eſt animal rationis particeps, & mortale, animal eſt corpus viuum, & ſentiens. Linea eſt longitudo ſine latitudine. color eſt qualitas patibilis, quę ſenſum mouet oculorum. Ab hac huiuſmodi argumenta ducuntur, ſpongia eſt animal, quia viuit, & ſentit. Rhetorica eſt virtus, quia animi habitus eſt, naturæ conſentaneus. Dialectica eſt homini neceſſaria, quia eſt veri, & falſi diſceptatrix. Oratio noſtra debet eſſe perſpicua, quia mentis eſt interpres. Genus inuenire, quoties aliquid definire volumus, facile eſt. Sed non ita facile differentias inuenire poſſumus, quoniam earum penuria laboramus. ideo frequenter oratores, cum differentias non inueniunt, accidentium congerie vtuntur in definiendo, vt Cicero hominem ita definit; Homo eſt animal prouidum, ſagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & conſilij, præclara quadam conditione generatũ a ſummo Deo. & M. Antonius ſic definit hiſtoriam, Hiſtoria eſt teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuncia vetuſtatis. Sed hæc eſt accidentium definitio, de qua poſtea dicemus. Definitio cauſarum, vel omnes, vel ſaltem aliquas rei, quæ definitur, cauſas exprimere ſolet. Sunt autem cauſæ quatuor, materia, forma, efficiens, finis. Vt in ædificio, materia ſunt lapides, cementum, ligna; forma, vel quadrata, vel fornicata; efficiens, architectus, & operarij, finis ipſa habitatio; ſic igitur omnes cauſas vna definitio complectetur; Domus eſt ſubſtructio quadrata, vel fornicata, ex lapidibus, & lignis ab architecto, fabriſq; formata, habitationis gratia. Fit etiam tantum ab vna cauſa definitio, vt Ariſtoteles a materia: Ira eſt ſanguinis feruor circa cor. A fine, vt idem Ariſtoteles, ira eſt appetitus vltionis, & alio loco, Felicitas eſt bonum, quod omnia expetunt. Ab efficiente, vt Felicitas eſt virtutis præmium; a forma, vt Mundus eſt vniuerſa complexio globoſa. Definitio effectorum, vel officiorum frequens eſt apud auctores, vt Magnes eſt lapis, qui ferrũ attrahit; Luna ſydus eſt, cuius vi maria fluunt ac refluunt. Sic ab officijs, quæ parũ ab effectis diſtant, niſi quod effecta magis ad res natura agentes perti-

pro P. Seſtio.

1. de legibus.

2. de Oratore.

2. de Anima.

2. Rheto.

1. Ethico.

F nent,

nent, vt Venus eſt ſtella, cuius vi omnia gignũtur; officia vero ad eas, quæ agunt conſilio, vt prætor eſt, qui iuri dicẽdo in ciuitate præeſt. Iuſtitia eſt virtus, ius ſuũ vnicuique tribuens. Definitio partium debet omnes rei, quæ definitur, partes complecti, vt menſis eſt ſpacium triginta dierum; Dies ciuilis eſt ſpaciũ viginti quatuor horarum. Rhetorica eſt inueniendi, diſponendi, & eloquendi ſcientia; Grammatica eſt ars recte loquendi, recteq; ſcribendi. Oratio rhetorica eſt, quæ conſtat exordio, narratione, confirmatione, concluſione. Definitio accidentium eſt ea, quæ tot accidentia colligit, vt quod definitur, ab alijs omnibus ſeparetur; vt Homo eſt animal bipes, erectum,
1. de nat. Deorum. & ſine plumis. Mulus eſt animal quadrupes, vngula ſolida, ex equa & aſino genitum. Hoc genere definitionis vtitur ſępe Cicero, & pręcipue quando declarat, quæ ſint aues illæ, quæ ibes dicuntur, ſic enim ait; Ibes ſunt aues excelſæ, cruribus rigidis, corneo proceroq; roſtro, quæ auertunt peſtem ab Aegypto, cum volucres angues, ex vaſtitate Lybiæ, vento africo inuectas interficiunt, atque conſumunt. Sed hęc definitio, quæ ab accidentibus ducitur, proprie vocatur deſcriptio, quæ per omnes, quas appellant circumſtantias, ducitur. Eſt enim deſcriptio rei, cauſę, perſonæ, temporis, loci, modi. Deſcriptio rei vocatur ea, quę rem quaſi ante oculos ponit, & eius vires explicat. Qualis
2. de nat. Deorum. eſt ea Lucilij Balbi; Canum vero tam fida cuſtodia, tamque amans dominorum adulatio, tantumq; odium in externos, & tam incredibilis ad inueſtigandum ſagacitas narium, tanta alacritas in venando, quid ſignificat aliud, niſi ſe ad hominum commoditates eſſe generatos? apud Virgilium pulcherrima eſt famæ deſcriptio; 4. Aenei.

*Fama malum, quo non aliud velocius vllum.*
*Mobilitate viget, vireſq; acquirit eundo.* & quæ ſequuntur.

2 Meta. Ouidius eleganter inuidiam deſcribit.

*Pallor in ore ſedet, macies in corpore toto.*
*Nuſquam recta aues, lucent rubigine dentes*
*Pectora felle virent, lingua eſt ſuffuſa veneno,*
*Riſus abeſt, niſi quem viſi fecere dolores, &c.*

11. Meta. Sic per apoſtrophen ſomnum ſuauiſsime deſcribit.

*Somne quies rerum, placidiſſime ſomne deorum*
*Pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris*
*Feſſa miniſterijs, mulces, reparaſq; labori.*

Sunt etiam breues quædam rerum deſcriptiones ab effectis, vt Auditus eſt ſenſus, quo voces ac ſonos percipimus. Viſus eſt ſenſus, quo rerum differentias, & colores diſtinguimus. ſed hæc eadem eſt cum defini-

Digitized by Google

definitione effectorum, & officiorum, de qua diximus. Deſcriptio cauſæ eſt, quę explicat cur aliquid factum ſit, aut non factum, qua hiſtorici frequentiſsime vtuntur, & ſæpe etiam oratores. vt Cicero deſcribit cauſas, cur Clodius Miloni fuerit inſidiatus, quia videbat eum conſulem futurum, & ſuis conatibus obuiam iturum; quia hoſtis eius erat; quia a Milone fuerat in iudicium vocatus, & accuſatus. Liuius cauſas bellorum, induciarum, fæderum pacis ſemper explicat, quoniam ea res non tantum lucem hiſtoriæ, ſed etiam iucunditatem affert. Virgilius cauſam deſcribit, cur Aeneas cum eſſet maxime pius, Turno, vitam precanti, non pepercerit. pro Milone. in Aenei.

*Stetit acer in armis,*
*Aeneas, voluens oculos, dextramq; repreſſit.*
*Et iam iamq; magis cunctantem flectere ſermo*
*Cœperat, infelix humero cum apparuit alto*
*Balteus, & notis fulſerunt cingula bullis*
*Pallantis pueri, victum quem vulnere Turnus*
*Strauerat, atque humeri inimicum inſigne gerebat.*
*Ille oculis poſtquam ſaui monumenta doloris*
*Exuuiasq; hauſit, furijs accenſus, & ira*
*Terribilis.* Et reliqua.

Deſcriptio perſonæ magnam interdum vim affert orationi, vt Cicero facetiſsime C. Fannij Chereæ perſonam, & faciem deſcribit his verbis; Faciem conſiderate, nonne ipſum caput, & ſupercilia illa penitus abraſa, olere malitiam, & clamitare calliditatem videntur? nonne ab imis vnguibus, vſque ad verticem ſummum, ſi quam coniecturam affert hominibus tacita corporis figura, ex fraude, fallacijs, mendacijs conſtare totus videtur. Qui idcirco capite, & ſupercilijs ſemper eſt raſis, ne vllum pilum viri boni habere dicatur. Cuius perſonam præclare Roſcius in ſcena tractare conſueuit, neque tamen pro beneficio ei par gratia refertur. Nam Ballionem illum improbiſsimum, & periuriſsimum Lenonem cum agit Cheream, perſona illa lutulenta, impura, inuiſa, in huius moribus, natura, vitaque eſt expreſſa. Sic Virgilius. Sinonis perſonam & naturam breuiter exprimit, cum ait. Pro Roſcio Aom. 2. Aenei.

*Fidens animi, atque in vtrumque paratus,*
*Seu verſare dolos, ſeu certæ occumbere morti.*

ſed tamen perſonæ deſcriptio potius ad corpus, quam ad animum referri ſolet, qualis eſt illa. 5. Aenei.

*Talis prima Dares caput altum in prælia tollit,*



Digitized by Google

*Oſtenditq; humeros latos, alternaq; iactat,*
*Brachia protendens, & verberat ictibus aures.*

Deſcriptio temporis frequens eſt apud oratores, quoniam plurimum valet ad probandum. Sic Cicero deſcribit tempus, quo Roſcius fuit interfectus, rediens a cœna, cum gladiatorum maxima eſſet impunitas. Et pro Milone, a tempore Clodium oſtendit inſidiatorem, cum præturam peteret, & Milonem eodem tempore futurum conſulem videret. Sed in hoc potiſsimum deſcriptionis genere poetæ ſæpiſsime ludunt, & omnes temporis partes ingenioſe deſcribunt, vt Virgilius mediam noctem, ita breuiter deſcribit.

8. Aenei. *Nox erat, & terras animalia feſſa per omnes.*
*Alituum, pecudumq; genus ſopor altus habebat.*

Matutinum tempus ſic in ſeptimo.

*Iamq; rubeſcebat radijs mare, & æthere ab alto*
*Aurora in roſeis fulgebat lutea bigis.*

Meridiem ſic in quarto Georgicorum.
*Ipſa ego te medios cum Sol accenderit æſtus*
*Cum ſitiunt herbæ, & pecori iam gratior vmbra eſt,*
*In ſecreta ſenis ducam.*

11. Aene. Veſpertinum tempus hoc modo,

*Ni roſeus feſſos iam gurgite Phœbus Ibero*
*Tingat equos, noctemq; die labente reducat.*

Deſcriptio loci, non minus frequens eſt apud oratores, hiſtoricos, & poetas, vt Cicero in Verrem, Latumias ſyracuſanas breuiter ita deſcribit: Latumias ſyracuſanas omnes audiuiſtis, plerique noſtis, opus eſt ingens, magnificum, regum ac tyrannorum, totum eſt e ſaxo in mirandam altitudinem depreſſo, & multorum operis penitus exciſo, nihil tam clauſum ad exitus, nihil tam ſeptum vndique, nihil tam tutum ad cuſtodias, nec fieri, nec cogitari poteſt. Loci deſcriptione multa, & firma idem ducit argumenta. Videamus num, inquit, id quod caput eſt, locus ad inſidias ille ipſe, vbi congreſsi ſunt, utri tandem fuerit aptior, & quæ ſequuntur. Hiſtorici ſæpiſsime locorum deſcriptionibus utuntur, ut Saluſtius primum Africam deſcribit, deinde etiam ſyrtes, & ſæpe ciuitates, apud quas pugnatum eſt, ita etiam Liuius. Poetæ uero, ſicuti in cęteris deſcriptionibus, ita etiam in hac uarie ludunt, & modo ueros locos deſcribunt, quę topographia dicitur, modo ipſi ſuo arbitrio fingunt, quæ topotheſia uocatur. topographia eſt illa Ouidij.

In Verrẽ act. 7

pro Milone.

In iugurtino.

Sepa-

*Separat aonios actæis Phocis ab aruis* 1. Meta.
*Terra ferax dum terra fuit, ſed tempore in illo*
*Pars maris & latus ſubitarum campus aquarum*
*Mons ibi verticibus petit arduus aſtra duobus*
*Nomine Parnaſſus ſuperatq; cacumine nubes*

illam uero topotheſiam eſſe uolunt, qua Virgilius utitur, quia ſit ficta deſcriptio.

*Eſt in ſeceſſu longo locus, inſula portum*
*Efficit obiectu laterum*, & quæ ſequuntur. Eſt enim notiſsimus locus.

Deſcriptio loci ſic rem geſtam ante oculos ponit, vt videri videatur græcè, dicitur ὑποτύπωσις: quam Cornificius demonſtrationem vocat, ea frequenter vtitur Cicero, vt pro Milone. Obuiam fit ei Clodius, expeditus in equo, nulla rheda, nullis impedimentis, nullis græcis comitibus, vt ſolebat, ſine vxore, quod nunquam fere. cum his inſidiator, qui iter illud ad cædem faciendam apparaſſet, cum vxore veheretur in rheda, penulatus, vulgi magno impedimento ac muliebri, & delicato ancillarum, puerorumq. comitatu, & cætera. Rurſus in eadem: Videte nunc illum primum egredientem e villa ſubito, & quæ ſequuntur. Modus enim, quo res aliqua geſta dicitur, plurimum valet ad rem exprimendam, in hac re, ſicut in cæteris Virgilius admirabilis eſt, vt cum pugnam Daretis, & Entelli deſcribit. 1. Aenei.

*Conſtitit in digitos ex templo arrectus vterque*
*Brachiaq. ad ſuperas interritus extulit aureas* 5. Aenei.
*Abduxere retro longe capitu ardua ab ictu.*
*Immiſcentq. manus manibus, pugnaſq. laceſſunt.*

Quid? quam expreſſa eſt illa tempeſtatis deſcriptio, qua naues Aeneæ ſunt a ventis agitatæ, In 1. Aeneid.

*Incubuere mari, totumq. à ſedibus imis*
*Vna Eurusq. Notusq. ruunt, creberq. Procellis*
*Africus, & vaſtos voluit ad litora fluctus.*

Hæ ſunt deſcriptiones, quæ a definitionibus eruuntur, quæ licet, quid ſit res ipſa, quam deſcribunt, non explicent, oſtendunt tamen qualis ſit, quod in hac arte plerunque ſufficit. Neque enim rhetores tam accurate ſolent rerum definitiones inueſtigare, ſicuti philoſophi faciunt; ſed quauis explicatione perſpicua, & veriſimili contenti ſunt. Habent etiam quoddam genus controuerſiæ, quod definitiuum appellant, quia definitione ſit explicandum, de quo inferius ſuo loco dicemus.

Digitized by Google

temus. TVM PARTIVM ENVMERATIO.) Secundus hic locus ab enumeratione partium tribus potiſsimum modis tractatur, vel enim affirmatis omnibus partibus totum affirmatur, vel negatis omnibus partibus totum negatur, vel denique remotis cæteris partibus omnibus vna ſola relinquitur. Ac primo cum totum affirmare volumus, ſingulas partes diligenter conſiderare debemus vt ſi probare velit Cicero Milonem ab vniuerſo populo Romano diligi, videat primo quæ ſint populi R. partes, & cũ inuenerit eſſe tres, hoc eſt Senatum, equeſtrem ordinem, & plebem, tunc ita formabit argumentationem ab enumeratione partium; Milo & a Senatu, & ab equeſtri ordine, & plebe Romana diligitur, ergo ab vniuerſo populo Romano diligitur. Aut ſi probare velimus Ariſtotelem totius philoſophiæ principem extitiſſe; videamus, quæ ſint Philoſophiæ partes, quæ tres enumerantur, moralis, naturalis, & diuina, quam metaphyſicam vocant. Sic igitur argumentari licebit; Ariſtoteles primus & moralem, & naturalem, & diuinam Philoſophiã illuſtrauit; ergo totius philoſophiæ princeps extitit. Cum autem totum negare volumus, ad ſingulas partes infirmandas accedere debemus. Sic enim totum corruet. Vt quoniam tribus tantum modis apud antiquos ſerui libertatem acquirebãt, vel cenſu, vel vindicta, vel teſtamento; ſi quis quempiam liberum eſſe negare velit, qui prius ſeruus extitiſſet, ita formabit argumentum; vt, ſi neque cenſu, neque vindicta, nec teſtamento liber factus eſt, non eſt liber, neque eſt ulla earum rerum, non eſt igitur liber. Cum vero remotis cæteris partibus vna ſola relinquitur, ita ſolemus argumentari; Hanc pecuniam, aut habuiſti ipſe, aut ab aliquo accepiſti, aut inueniſti, aut ſurripuiſti; ſed neque ipſe habuiſti, nec ab aliquo accepiſti, nec inueniſti; reliquum eſt igitur, vt ſurripueris. Quintilianus vocat hoc argumenti genus a remotione. Quod tamen ait eſſe periculoſum, ne ſi vnam fortaſſe partem prætermittamus, merito rideamur. Partes apud Ciceronem duobus modis intelliguntur. Sunt enim partes totius, vt caput, humeri, brachia, torax, crura, ſunt totius corporis partes; & ſunt partes generis, quæ propriæ ſpecies ſeu formæ dicuntur, vt prudentia iuſtitia, fortitudo, temperantia, ſunt partes virtutis. Partes autem totius nunquam ſpecies, neque formæ dici poſſunt. Sed partes generis, & ſpecies, & formæ dicuntur, hoc eſt, quod in Topicis ait Cicero, Formas qui putat idem eſſe, quod partes, confundit artem, & ſimilitudine quadam conturbatus, nõ ſatis acute, quæ ſecernenda ſunt, diſtinguit. Formæ igitur ſunt illæ, in quas genus diuiditur; vt, ſi quis ius, quod eſt genus, diuidat in legem, morem, & æquitatem, quæ ſunt iuris ſpecies. Partes autem ſunt illæ, in quas totum diuiditur, vt totus mundus in quinque corpora ſimplicia diuiditur, in cœlum, ignem, aerem, aquam, terram, quę ſunt principales totius mundi partes. Poſſunt

[Margin: in Top.]

[Margin: Lib. 5.]

igitur

igitur ſpecies, ſeu formæ, etiam partes dici, ſed non contra. Neque enim partes totius dicuntur ſpecies, aut formæ. Quo fit vt pars generalius vocabulum, quam ſpecies eſſe videatur. Sed quatenus ad argumentandi rationem, nihil differt, vtrum partes, an formas enumeres; Erit enim argumentum ab enumeratione partium etiam ſiquis ita colligat: In omnibus actionibus ſuis Socrates, prudenter, iuſte, fortiter, & modeſte ſemper ſe geſsit; ergo fuit omni virtute præditus. Quamuis prudentia, iuſtitia, fortitudo, modeſtia, ſint virtutis ſpecies. Habet autem maximam vim hoc argumenti genus, nam plerunque totas orationes, aut maiorem earum partem amplectitur, vt oratio pro lege Man. tota fere pendet ab vno argumento, quo partes imperatoriæ numerantur. Vult enim Cicero Quiritibus perſuadere, vt, Cneũ Pompeium ad bellũ contra Mithridatem gerendum mittant, quoniam in eo bello, ſummo Imperatore opus eſſet, & Pompeius ſummus eſſet Imperator. Quid ergo? numerat Cicero quatuor res, quas ait in ſummo Imperatore eſſe oportere, ſciẽtiã rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem, & eas omnes in Pompeio maximas eſſe oſtenditi: taque concludit Pompeium ad id bellum eſſe deligendum, vt ſit hæc argumentatio ab enumeratione partium; Quicunque rei militaris ſcientiam habet, & virtutem, & auctoritatem, & felicitatem, is eſt ſummus Imperator: ſed in Pompeio hæc inſunt omnia, quod ab eius rebus præclare geſtis copioſiſsime probat Cicero, ergo Pompeius ſummus eſt Imperator, qui bellum magnum & neceſſarium conficere facile poſsit. Hæc enumeratio partium appellatur etiam inductio, nam inductionis tres ſunt præcipue ſpecies, prima ducitur ab exemplis, quæ apud oratores frequentiſsima eſt. Nam, ut ait Ariſtoteles, exemplum eſt inductio rhetorica, vt Cicero pro Cor. Balbo ſic argumentatur. Si M. Craſſus, ſi Q. Mettelus, ſi L. Sylla. ſi C. Marius. Si Senatus, ſi populus R. iure fœderatos homines ciuitate donauit, etiam Cn. Pompeius Cor. Balbũ fœderatum iure potuit ciuitate donare. Secunda ducitur a ſimilibus, quæ Socratica inductio vocatur, quoniam ea frequenter Socrates vtebatur. Vt, ſi agricola bonus eſt, qui fertiliores & meliores agros reddit; & paſtor ille probandus eſt, qui meliores pecudes efficit, ita etiã princeps laude dignus eſt, qui ſubditos ſuos facit eſſe meliores. Tertia ducitur a partibus, & totum colligit, quæ dicitur partium enumeratio, de qua iamdudum loquimur; vt ſi animantes quæ in terra viuunt, & volucres, & aquatiles, mouentur & ſentiunt, ergo omne animal ſentit & mouetur. Plebs Romana male de Catilina ſentit, & equeſter ordo, & Senatus, totus ergo populus R. de Catilina male ſentit. TVM NOTATIO VERBI.) Hæc Ethymologia græce dicitur, cum ex vi nominis argumentum elicitur. Id eſſet latine verbum ex verbo veriloquium, nos autem (inquit Cicero) nouitatem.

Pro L. Mani.

in Cop.

Digitized by Google

tem verbi, non ſatis apti, fugientes, genus hoc notationem appellamus, quia ſunt verba rerum notæ. Itaque hoc idem Ariſtoteles ſymbolum appellat, quod latine eſt nota. Sed cum intelligitur, quid ſignificetur, minus laborandum eſt de nomine. Multa igitur in diſputando notatione eliciuntur ex verbo; vt cum quæritur poſtliminium quid ſit, hoc eſt cum ipſius poſtliminij vis quæritur, & verbum ipſum notatur, quod Scæuola iunctum putat eſſe verbum, vt fit in eo, & poſt, & limen; vt, quæ a nobis alienata ſunt, cum ad hoſtem peruenerint, & ex ſuo tanquam limine exierint, hinc cum redierint, poſt ad idem limen poſtlimino videantur rediјſſe. M. Antonius ſic ex vocabulo ducit argumentum, Si conſul eſt, qui conſulit patriæ, Quid aliud fecit Opimius? Quintilianus putat in argumentis raro locum habere verbi notationem, niſi ex cauſa prouenerit, ut Lælius ſapiens, Pompeius Magnus; ſed apud me potior eſt Ciceronis ſententia, qui docet in diſputando multa elici ex uerbo argumenta, quod idem probat etiam Ariſtoteles. Nam primo de cœlo probat cœlum in gyrum perpetuo torqueri eo argumento, quod æther, quaſi perpetuo currens ab antiquis fuerit appellatum, id quod etiam Plato teſtatur, & Plinius mundum eſſe rotundum, ideo probat, quod orbis appellatur, & perfectam elegantiam, atque ornatum habere, eo quod a noſtris mundus, à græcis κόσμος dicatur. Quin idẽ Quintilianus notationem tradit uſum aliquãdo neceſſarium habere, ut M. Cælius probare uult ſe hominem frugi, non quia temperans ſit, ſed quia utilis. Rodulphus Agricola fruſtra conatur Ciceronem improbare, quod nomen inter ea, quæ naturam exprimunt, poſuerit, cum potius accidens, quam ſubſtantiam ſignificet. Neque enim Cicero dixit, nomen rei naturam ſignificare, quamuis aliqui putent Platonem in ea ſententia fuiſſe, ut exiſtimaret pleraque nomina eſſe naturalia; quod etiam Nigidius apud A. Gellium acute probare contendit; ſed dixit Cicero nomen ad id totum de quo agitur, adhiberi, quod uериſsimum eſt. Neque enim ulla res exprimi poteſt, niſi nomine ſuo; & argumenta, quæ ducuntur a nomine, totam rem attingunt. Ideo etiam in definitionibus aſsignatur Etymologiæ locus, ut, Philoſophus eſt amator ſapientiæ, Conſul eſt, qui Reipub. conſulit, Geometra eſt, qui terram dimetiri nouit. Præterea multam eruditionem continet etymologia, eo quod uerborum originem quærit, ut Plato copioſe docet in Cratylo, & Lucilius Balbus apud Ciceronem. Quin etiam hiſtorias ſæpe continet, ut unde dicti ſint Bruti, Publicolæ, Torquati, cur Latium, cur Italia dicta. Dupliciter ex hoc loco ducimus argumenta, primo ex ipſa nominis interpretatione, ſeu definitione; vt ſi quis animam ex aere conſtare dicat, quia ſit idem anima, quod aer, aut ventus; vel pecuniam inſtrumentum eſſe, quoniam domum inſtruat; vel ſapientiam in corde ſedem habere,

[Margin notes: 1. de Oratore. — in Cratylin. — Lib. 1 — 4. cap. 10. — 2. de Natura Deorum.]

Digitized by Google

bere, quod cordati ſapientes dicantur, excordes vero inſipientes. Secundo ex cognominatione, vel, vt vulgo dicunt, ex æquiuocatione, cum vnum verbum duo vel plura ſignificat; vel cum per tranſlationem in alia, quàm in propria ſignificatione capitur, vt peſsime faciũt, qui plebem contra patres cõcitant, quoniam nullum nomen ſanctius eſſe debet. Iſocrates in Encomico Helenæ pulchritudinem, ideo laudabilem & admirabilem eſſe concludit, quia virtutem maxime probamus, quæ rerum omnium eſt pulcherrima. Ouidius a tranſlatione nominis pulchrum duxit argumentum hoc modo,

*Quis enim cælauerit ignem*
*Lumine qui ſemper proditur ipſe ſuo?*

Ignem enim pro amore poſuit, & tamen tanquam a uero igne duxit argumentum. Sed aliquando hæc nominis ambiguitas ridiculum facit, ut apud Suetonium de Nerone.

*Quis neget Aeneæ magna de ſtirpe Neronem?*
*Suſtulit hic matrem, ſuſtulit ille patrem.*

Sic Auguſtus Cæſar, cum quidam araret locum paternæ ſepulturæ, hoc eſt (inquit) patrem colere; ita Martialis Quirinalem quendam ait eſſe uerum patrem familias, quia multos filios ex ancilla ſuſtulerat. Quin etiam ſæpe nomen iocandi materiam præbet, ut Cicero iocatur in nomen Verris, quod omnia uerrat, quod tanquam Verres in uolutabro cæni libenter iaceat; quod male fecerit ſacerdos, qui tam malum Verrem non ſuſtulerit. Ita pro Roſcio Am. Venio nunc ad illud nomem aureum Chryſogogni. Idem pro A. Cæcina, Sex. Clodius, cui nomen eſt Phormio, nec minus niger, nec minus confidens, quam ille Terentianus eſt Phormio. Sed hic locus longe lateq; patet, ſiquidem repertorum omnium verborum originem inueſtigat.

## Ex ijs autem rebus, quæ quodammodo affectæ ſunt ad id, de quo quæritur, alia coniugata appellantur.

Iam tres locos explicuimus, qui ad totum adhibentur, hoc eſt, definitiones, partium enumerationem, & notationem verbi: nunc illi ſunt explicandi, qui in ijs rebus ſunt, quæ quodammodo affectæ ſunt ad id, de quo quæritur. Qui tredecim a Cicerone numerantur, hoc eſt, coniugata, genus, forma, ſimilitudo, differentia, cõtrarium, coniuncta, antecedentia, conſequentia, repugnantia, cauſæ, effecta, comparatio. Putat autem Boetius affecta dici à Cicerone, quæ quodãmodo ad aliquid referri poſſunt, ſiue ſint amica inter ſe, ſiue diſsidentia. Qua in opinione fuit etiam Quintilianus, qui ſic ait; Cicero genus & ſpeciem,

Li. 5. cap. 10. quam eandem formam vocat, a finitione deducit, & ijs, quæ ad aliquid ſunt, ſubijcit; ut non audiendi ſint, qui Boetium reprehendant, quaſi male Ciceronis ſententiam perceperit. Volunt etiam affecta dici, quæ non ad finem ipſum, ſed proxime finem progreſſa deducta ve ſunt, quam affecti ſignificationem notauit Gellius, ut de prouincijs conſularibus Cicero, Bellum affectum uidemus, & uere, ut dicam, prope confectum. Volunt igtur affecta dici, quæ totum non conficiunt, ſed tantũ ex parte faciunt, quæ interpretatio falſa eſt omnino, quoniam contraria, repugnantia, differentia, quæ inter affecta numerantur a Cicerone; neque totum, neque partem faciunt, ſed potius deſtruunt. Melius eſt igitur, ut affecta ſint ea, quæ ad aliquid referuntur, & quamuis definitio, partes, & notatio videantur ad aliquid eſſe, res tamen eædem ſunt, licet uoces referantur, quod in alijs locis accidit.

in Top. Primus igitur locus affectorum à coniugatis dicitur. Sunt autem coniugata, ſicut ait Cicero, quæ orta ab uno uarie commutantur, ut ſapiens, ſapientia, ſapienter, quæ uerborũ coniugatio συζυγία græcè di-

2. de Oratore. citur, ex qua huiuſmodi eſt argumentum, ſi compaſcuus eſt ager, ius eſt compaſcere. M. Antonius ponit hoc exemplum; Si pietati ſumma tribuenda laus eſt, debetis moueri, cum Q. Metellum tam pie lugere uideatis. Locus autem hic (vt ait Cicero) notationi finitimus eſt, quoniam a nomine deflectitur, ut ſiquis probare uelit Tyrannidem non eſſe appetendam, quoniam tyranni uitam quietam agere non poſſunt, & ſunt in perpetuo metu, ac periculo, nam uerum id eſt, quod Iuuenalis ait,

*Ad generum Cereris ſine cæde & vulnere pauci*
*Deſcendunt reges & ſicca morte tyranni.*

Quintilianus uidetur hunc locum quodam modo cõtemnere, ac pro nihilo putare, ſic enim ait: His illud adijcere ridiculum putarem, niſi eo Cicero uteretur, quod coniugatum uocant, ut eos qui rem iuſtam faciant, iuſte facere, quod certe non eget probatione. Sed ego cum uideam non tantum Ciceronem, ſed etiam Ariſtotelem ipſum diligenter hunc locum in Topicis tractare, nullo modo Quintiliano poſſum acquieſcere, cum præſertim ſæpenumero uim maximam ad perſuadendum habeat; ut ſi quis dicat non eſſe regnum expetendum, cum regibus tot immineant pericula, tot curæ, tot ſolicitudines: aut doctrinam ſummo ſtudio complectendam, cum doctis viris tanta ſint, & ad opes, & ad dignitates propoſita præmia; Et militiam eſſe fugiendam, cum milites tot labores, tot miſerias, tot diſcrimina quotidie experiantur: Et ſatius eſſe literis, quam mercaturæ operam dare; quoniam literati uiri maiore ſint in honore maioresq; curas habeant, quam mercatores. Hęc enim omnia cõiugata ſunt, regna reges, doctrina docti,



Digitized by Google

militia milites, literæ literati; mercatura mercatores. Multum igitur prodeſſe poteſt huius loci cognitio, contra quam ſentit Quintilianus. Ariſtoteles inter cõiugata,& caſus aliquam ponit differentiam: Nam coniugata uocat nomina & uerba, ut ſapiens, ſapientia, ſapere; Caſus autem uocat aduerbia deducta, uel a nominibus, uel a uerbis, ut ſapienter. Erit igitur argumentum a coniugatis, id, quo utitur Euripides in Bacchis, ſtultus enim ſtulta loquitur; & illud Terentij, Homo ſum, humani nihil alienum a me puto; & illud Ciceronis pro Roſcio Am. Etenim rectum putabat, pro eorum honeſtate ſe pugnare, propter quos ipſe honeſtiſsimus inter ſuos numerabatur. Et libro quarto Tuſcul. Quis enim poteſt in quo libido cupiditasve ſit, non libidinoſus, & cupidus eſſe? in quo ira, non iracundus? in quo angor, non anxius? in quo timor, non timidus? M. Cælius ad Ciceronem, Vide ne dum pudet te parum optimatem eſſe, parum diligenter quod optimum ſit, eligas. A caſibus vero id quod M. Antonius ponit ſecundo de oratore, vt ſupra diximus, eſt illud, Si ſumma iuſtitia eſt nemini nocere, qui neminem offen dit, is omnino iuſte ſe gerit, & illud; Neceſſe eſt maximo ingenio præſtitiſſe Ciceronem, qui tam ingenioſe multa conſcripſit. Sed Cicero nullam inter caſus, & coniugata differentiam ponit.

*Alia ex genere.*

A genere ſic ducitur argumentum, ait in Topicis Cicero, Quoniam argentum omne mulieri legatum eſt, non poteſt ei pecunia, quæ numerata domi relicta eſt, non eſſe legata. Forma enim a genere, quo ad ſuum nomẽ retinet, nunquam ſeiungitur, numerata autem pecunia nomen argenti retinet, legata igitur videtur. M. Antonius vtitur hoc exemplo, ſi magiſtratus in populi R. poteſtate eſſe debent, quid Norbanum accuſas, cuius tribunatus voluntati paruit ciuitatis? 2. de Oratore.
Genus a Cicerone ita deſcribitur, Genus eſt notio ad plures differentias pertinens. Dialectici vero genus ita deſcribunt, Genus eſt, quod in Topicis
dicitur de multis rebus differẽtibus ſpecie, vt animal, quod genus eſt, de homine, equo, & leone dicitur, quæ diuerſæ ſunt inter ſe ſpecies; Et virtus eſt genus, nam de prudentia, iuſtitia, fortitudine, temperantia dicitur, quæ ſunt virtutis ſpecies. Porphyrius ait genus tria ſignificare. Primo principium illud, vnde aliqua multitudo originem habet, vt pater, & patria, ſic dicimus Iulium Cæſarem ab Aenea genus ducere; Fabium Maximum ab Hercule, & Platonem eſſe genere Athenienſem, Pindarum genere Thebanum. Secundo ponitur pro ipſa multitudine, quæ ab vno principio ducat originem, vt Romanos eſſe dicimus Romuli genus, & Athenienſes eſſe genus Cecropis. Tertio dicitur genus, quod multas ſpecies amplectitur, vt arbor, quod pyrum, perſicum, ficum, multasq; alias ſpecies continet. Qua in ſigni-

gnificatione capitur hoc loco, vt magiſtratus eſt genus, cuius ſpecies ſunt, conſulatus, prætura, ædilitas, quæſtura, tribunatus. Atque hoc modo formatur argumentum a genere; Si priuati ciues magiſtrati-

Lib.5. bus obtemperare debent, ergo etiam prætoribus. Quintilianus ſcribit, genus ad probandam ſpeciem minimum valere, plu rimum ad refellendam; vt ſi arbor eſt (inquit) ergo eſt platanus, hoc poteſt eſſe falſum; at ſiquis dicat, non eſt arbor, ergo non eſt platanus, omnino verum eſt. Contra ſpecies, inquit, firmam probationem habet generis, infirmam refutationem; vt iuſtitia eſt, ergo eſt virtus, valet; non eſt iuſtitia, ergo non eſt virtus, non valet. Hæc quidem ita Quintilianus, verum illud ſciendum eſt, quod quotieſcunque generi *ſignum* additur generale, vt omne, quodlibet, quodcunque; vel quoties genus ipſum vniuerſe capitur, etiam vnaquæque ſpecies confirmatur, vt ſi omnes magiſtratus ſunt in poteſtate populi Romani, ergo *etiam* tribunatus. Si omnes ſcientias calluit Ariſtoteles; ergo etiam Geometriam. Si omne argumentum legatum eſt, ergo etiam pecunia numerata. Si ius in ciuitate ſeruandum eſt, nō ſunt leges violandæ. Si vero generale quidem ſignum, ſed negans generi adiungatur, etiam omnes ſpecies negantur, & amouentur; vt ſi nulla virtute præditus Catilina fuit; ergo neque fortitudine. Si nullam ſcientiam Marius didicit, ergo neque muſicam. Sed aduertendum eſt, in hoc argumentandi genere etiam ſpecies vim generis obtinere; vt, Si omnes homines natura doctrinæ ſunt capaces, ergo etiam Therſites. Si nullus homo volare poteſt, ergo neque Dædalus. Si Epicurei putant Deum *iraſci* nemini, ergo etiam Lucretius ita cenſet. Si Philoſophi *rerum diuinarum* & humanarum ſcientiam habent, ergo etiam Socrates. Latiſſime vero patet hic locus, quoniam omnes cauſæ, atque omnia argumenta confirmantur a genere. Neque vlla penitus argumentatio vere neceſſarioq; concludi poteſt, niſi aliquod in ea generale pronunciatum conſtituatur, & hoc eſt, quod aiunt dialectici tantum ex ſingula-

2. de Oratore. ribus propoſitionibus nihil concludi ſolere, quod etiam M. Antonius teſtatur, cum ait, Omnes controuerſias ad vniuerſi generis vim, & naturam referri. Et paulo poſt ita inquit, Nulla denique eſt cauſa, in qua id, quod in iudicium venit; ex eorum perſonis, ac non generũ ipſorũ

in Oratore. vniuerſa diſputatione quæratur. Et ad Brutum ita ſcribit Cicero; Latius enim de genere, quam de parte diſceptare licet, vt quod in vniuerſo ſit probatum; id in parte ſit probari neceſſe. Genus autem vocat Cicero omne commune, generaleq; vocabulum, quod plura complectatur, ſiue id re vera genus ſit, ſiue ſpecies, & tantum indiuidua contineat. Vt pro Murena, comparat ipſum Murenam cum Seruio Sulpitio, vt probet vtiliorem eſſe Reip. Murenam, quam Seruium; quid ergo facit? relinquit proprias Murenæ Seruijq; perſonas, & generali-

ter

ter belli duces, cum iuriſconſultis comparat, atque oſtendit duces belli, multo vtiliores eſſe Reip. quam iuriſconſultos. Sic enim quod in genere probatum fuerit, id etiam in parte probari neceſſe eſt, hoc modo, Belli duces in Rep. ſunt vtiliores quam iuriſconſulti, Murena eſt dux belli, Seruius eſt iuriſconſultus, ergo vtilior eſt Reip. Murena, quam Seruius. Quod argumentandi genus multo firmiſsimum eſt. Sic pro Milone, Inſidiatori vero & latroni, quę poteſt afferri iniuſta nex. Probat enim omnem inſidiatorem iure interfici poſſe, quo probatur etiam Clodium, qui fuit inſidiator, iure interfectum. Hoc in cauſis omnibus valet, vt quare Catilina exterminandus eſt? quia proditor eſt patriæ, & omnes patriæ proditores ſunt exterminandi. Quare Corinthus eſt euertenda, quia ius gentium violauit, & quæcunque ciuitas ius gentium violat, euerti debet. Sic igitur a genere plurima ducuntur argumenta.

*Alia ex forma.*

Forma dicitur etiam ſpecies, vt Cicero docet. (in Topicis) Quæ proprie de ſingularibus tantum, & indiuiduis dicitur, vt homo de Socrate, Platone, Ariſtotele, equus de hoc & illo equo. Sed interdum etiam de pluribus dicitur, quæ ſpecie differant, & tunc eadem eſt ſpecies, & genus, ſpecies quidem quatenus aliquo ſuperiore genere continetur, Vt virtus eſt ſpecies qualitatis, Genus autem quatenus plures ſub ſe ſpecies continet, vt virtus eſt genus prudentiæ, iuſtitiæ, fortitudinis, & temperantiæ. Quatenus autem ad argumentandi rationem, ſi ea, quæ generi, & ſpeciei ſubijciuntur, ſpectare volumus, nihil differt, ſiue à genere, ſiue a forma ducamus argumentum. Nam eadem eſt ratio, vt ſi omnes inſidiatores iure interficiuntur, etiam Clodius iure fuit interfectus. Hoc enim argumentum a genere vocatur, quamuis inſidiator ſpecies ſit improbi hominis. Tale eſt illud argumentum, quod M. Antonius ita adhibet, Ex parte autem ea, quæ eſt ſubiecta generi, Si (2. de Oratore.) omnes, qui Reip. conſulunt, cari nobis eſſe debent, certe in primis imperatores, quorum conſilijs, virtute, periculis, retinemus & noſtram ſalutem, & Imperij dignitatem. Et hæc eſt cauſa, quare Cicero in Topicis argumentum a genere modo diſtinguat ab argumento, quod eſt a forma, modo coniungat; & Ariſtoteles in Topicis, non diſtinguat. Si vero, quæ ſupra ſpeciem ſunt, ſpectemus, hoc eſt ipſa genera, tunc magna erit in argumentando differentia. nam ſpecies, vt ait Quintilianus, firmam generis probationem habet, infirmam refutationem; vt ſi dixero, Patientia eſt fortitudo, ergo eſt virtus, valet argumentum; at, ſi dicam, Iuſtitia non eſt fortitudo, ergo neque virtus eſt, non valet; neque enim negata vna ſpecie, ſtatim negatur genus. Deducuntur a ſpecie huiuſmodi argumenta; Laudabile eſt &

hone-

honeſtum res ſuas curare, quoniam ad prudentiam ſpectat. Eſt enim prudentia ſpecies honeſtatis. Turpe & vituperandum eſt, e qualibet re lucrum quærere; quoniam hoc auari hominis eſt. Auaritia enim turpitudinis ſpecies eſt. Ariſtarchus inter doctos numeratur, fuit enim excellens grammaticus. Nonnunqum per comparationem a ſpecie præclara ducũtur argumenta, vt Cicero pro Q. Ligario, Nulla de virtutib. tuis plurimis, nec gratior, nec admirabilior miſericordia eſt, homines enim ad deos nulla re propius accedunt, quam ſalutem hominibus dando. In prima Philippica ſic a ſpecie ſeu forma Cicero argumentatur; Et vos acta Cæſaris defenditis, qui leges eius *euerti* tis? nam leges Cęſaris ſub actis eius continentur, vt forma ſub genere.

*Alia ex ſimilitudine.*

Similitudines repertæ ſunt ad inferendam rebus lucem, vt Quintilianus ſcribit. Earum aliæ ſunt, quæ probationis gratia inter argumenta ponuntur; aliæ ad exprimendam rerum imaginem compoſitæ. Quæ probationis gratia ſumuntur, tres habent ſpecies, inductionem, *collationem*, exemplum. Inductio, quæ a ſimilitudine ducitur, ea eſt, qua Socrates plurimum vtebatur; vt ſicuti pomum, id nobile dicitur, non quod ex præſtanti arbore decerptum ſit, ſed quod ſuauitatem habeat; & equus nobilis eſt, non qui ſit ex equa nobili natus, ſed qui curſu & robore cæteris antecellit: ita homo nobilis eſt, non qui natalium ſplendore glorietur, ſed qui maxima virtute præditus ſit. Ciceronis illud exemplum eſt, Si tutor fidem præſtare debet, ſi ſocius, ſi cui mandaris, ſi qui fiduciam acceperit, debet etiã procurator. Hoc autem ſimilitudinis genus plura colligit ſimilia, vt quod vult, tandem concludat.

2. de Oratore. Alterum genus parabola græco nomine, latino collatio dicitur, quod apud auctores cuiuſque generis frequentiſsimum eſt. Mar. Antonius ponit hoc exemplum collationis; Si feræ partus ſuos diligunt, qua nos in liberos noſtros indulgentia eſſe debemus? tale eſt illud, quemadmodum agricultura fœcundiores euadunt, ita noſter animus diſciplinis melior fit. Hoc in genere frequentiſsimus eſt, & elegantiſſimus Quintilianus, vt libro primo, Sicut aues ad volatum, equi ad curſum, ad ſæuitiam feræ gignuntur; ita nobis propria eſt mentis agitatio, atque ſolertia, vnde origo animo cæleſtis creditur. Et paulo poſt, Natura tenaciſsimi ſumus eorum, quæ rudibus annis percepimus, vt ſapor, quo noua imbuas, durat, nec lanarum colores, quibus ſimplex ille candor mutatus eſt, elici poſſunt. Et alibi, Vt vaſcula oris anguſti ſuperfuſam humoris copiam reſpuunt, ſenſim autem influentibus, vel etiam inſtillatis complentur; ſic animi puerorum, quantum accipere poſſunt, videndum eſt. Apud Ciceronem ſunt multæ præclaræ ſimilitudines; vt poſt reditum, Sed tanquam bona valetudo iucundior eſt

eis,

eis,qui e graui morbo recreati ſunt, ſic patria, cæteraq; fortunæ bona deſiderata magis, quam quotidie percepta, delectant. In Vatinium, Repente enim te, tanquam ſerpens e latibulis, oculis eminentibus, inflato collo, tumidis ceruicibus intuliſti. Pro P. Seſtio, Vt ſi gladium paruo puero, aut ſi imbecillo ſeni,aut debili dederis, ipſe impetu ſuo nemini noceat, ſin ad nudum uel fortiſsimi uiri corpus acceſſerit, poſsit acie ipſa, & ferri uiribus uulnerari; ita cum hominibus eneruatis,atque exanguibus conſulatus, tanquam gladius eſſet datus, *qui* per ſe pungere neminem unquam potuiſſent, hi ſummi im*perij* nomine armati, Remp. contrucidauerunt. Sed, ut dixi, multæ *ſunt*,& elegantes, apud Ciceronem collationes. Tertium ſimilitudinis genus eſt exemplum, quod rei alicuius geſtæ auctoritate nititur. itaque tantum inter homines proprie ponitur. Quintilianus tria ponit exemplorum genera,ſimile,diſsimile,contrarium. Simile eſt,iure occiſus eſt Saturninus, ſicut Gracchi; Diſsimile, Brutus occidit liberos,proditionem molientes; Manlius uirtutem filij morte mulctauit. Contrarium, Marcellus ornamenta Syracuſanis hoſtibus reſtituit, Verres eadem ſocijs abſtulit. Sed exemplum partim ad locum ſimilitudinis, partim ad comparationis locum refertur, vt infra docebimus. Videndum eſt autem diligenter, ne quod ſimilitudinis gratia aſciſcimus, aut obſcurum ſit, aut ignotum, quod licet poetis interdum concedatur, non tamen oratoribus, cum præſertim ſimilitudo non alia de cauſa uideatur eſſe inuenta, niſi ut lucem rebus adferat. Quintilianus ait hoc ſimilitudinis genus, quod ad argumenta pertinet, orationem ſublimem, floridam, iucundam, mirabilem efficere. Nam quo (inquit) quæque longius petita eſt, hoc plus affert nouitatis, atque inexpectata magis eſt. Illa uulgaria uideri poſſunt, & utilia tamen ad conciliandam fidem, ut, terram cultu, ſic animum diſciplinis meliorem uberioremque fieri: &, ut medici abalienata morbis membra præcidunt,ita turpes ac pernicioſos,etiam ſi nobis ſanguine cohæreant,amputandos. Iam ſublimius illud pro Archia, Saxa atque ſolitudines voci reſpondent; *Beſtiæ ſæpe immanes cantu fle*ctuntur,atque conſiſtunt:nos *inſtituti rebus optimis*, non poetarum voce moueamur? Pulchra *eſt in* oratione pro Murena ſimilitudo illa, Vt,aiunt,in *Græcis artificibus* eos aulædos eſſe, qui citharædi *fieri nõ* potuerunt,*ſic nos videmus*, qui oratores fieri non potuerunt, eos ad iuris ſtudium deuenire. Quin etiam fabulæ ad hunc locum ſimilitudinis pertinent,qualis illa fuit Menemij Agrippæ de membris cæteris cum ventre diſcordia,qua plebem patribus reconciliauit. Sic Horatius muris ruſtici,& vrbani fabulam adducit ad probandum longe felicius eſſe,in paupertate quietum ac liberum viuere, quam in diuitijs cum curis, & ſolicitudine. Cicero pro lege Manilia fabula declarat,

quo-

quomodo Mithridates ex Ponto profugerit; Primum (inquit) ex ſuo regno ſic Mithridates profugit, vt ex eodem Ponto Medæa illa quondam profugiſſe dicitur, quam prædicant in fuga, fratris ſui, membra in ijs locis, qua ſe parens perſequeretur, diſſipauiſſe, vt eorum collectio diſperſa, mœrorq. patrius celeritatem perſequendi retardaret, & reliqua. Habet interdum acrimoniam ſimilitudo; vt Aeſchines Demoſthenem tibijs aſsimilauit, quibus ſi collum demas, reliquum corpus erit inutile, cum oſtendere vellet eum tantum oratione valere. Et Demoſthenes Aeſchinem trutinæ ſimilem, quæ a quacunque parte infunditur, eo inclinat. Sunt aliquæ facetæ iocoſæq. ſimilitudines, *vt apud* Ciceronem de accuſatoribus, quos canibus & anſeribus, *qui in capitolio* paſcebãtur, ſimiles eſſe dicit. Aliquæ breues, vt, Vagari per ſyluas ritu ferarum; Cicero de Clodio, Quo ex iudicio velut vel incendio nudus effugit. Poetæ ſimilitudine frequenter vti ſolent, iucunditatis, & ſublimitatis gratia, qua in re ſicut in cæteris feliciſsimi, Sunt Virgilius, & Homerus. Vt Turni violentiam Leonis ſimilitudine ſic exprimit.

Pro Roſcio Amo.

Lib. 12. Aeneid.

*Vltro implacabilis ardet*
*Attollitq. animos, pænorum qualis in aruis*
*Saucius ille graui venantum vulnere pectus.*
*Tum demũ mouet arma Leo.* quin etiam Lucanus hac potiſsimum laude cenſetur, quod egregias ſimilitudines habeat, qualis eſt illa

Lib 5.

*Cæſaris an curſus veſtræ ſentire putatis*
*Damnum poſſe fugæ? veluti ſi cuncta minentur*
*Flumina quos miſcent pelago ſubducere fontes,*
*Non magis ablatis vnquam decreuerit æquor*
*Quam nunc creſcit aquis.* Ex oratoribus nemo eſt in hac re Quintiliano felicior, apud quem plurimæ ſunt, elegantiſsimæque ſimilitudines.

*Alia ex differentia.*

Differentiam hoc loco pro diſsimilitudine poſuit Cicero, ſicut etiam in Topicis, vbi ita ſcribit, Sequitur ſimilitudinem differentia, rei maxime contraria ſuperiori, ſed eſt eiuſdem diſsimile, & ſimile inuenire. M. Antonius poſt exemplum ſimilitudinis ſtatim ea verba ſubiungit; At ex diſsimilitudine. Si barbarorum eſt in diem viuere, noſtra conſilia in ſempiternum tempus ſpectare debent. Sunt autem hi duo loci copioſi, & vulgi opinioni ſenſibuſq. aptiſsimi: quod ſi quis a ſimilitudine nouit argumẽta ducere, is etiam a diſsimilitudine facile poterit, nam eadem eſt contrariorum diſciplina. Quintilianus coniunxit vtrumque locum hoc modo; Non enim vox illa præceptoris, vt cœna

2 de Oratore.

Lib. 1.

minus

Digitized by Google

minus pluribus ſufficit,ſed vt ſol vniuerſis idem lucis, calorisq́.largi-
tur.Cicero diſsimilitudine vſus eſt,cum ita inquit; Certus autem dies Philip. 4.
non vt ſacrificij,ſic conſilij expectari ſolet.

*Alia ex contraio.*

Contrariorum Cicero quatuor genera facit, primum eorum, quæ in in Top.
eodem genere poſita,plurimum inter ſe differunt. Vt candor,nigror,
ſapientia,ſtultitia,dulce amarum,celeritas traditas,quæ proprio nomi
ne aduerſa dicuntur. Secundum genus eſt eorum, quæ priuantia lati-
ne dicuntur,à græcis verò στερητικὰ quod alterum eorum declaret rem
eſſe priuatam eo, quod illi aptum eſt a natura, vt viſus cæcitas, digni-
tas indignitas, loquens mutus,lux tenebrę. Tertium eorum,quæ cum
aliquo conferuntur,vt duplum ſimplum,multa pauca, longum breue,
maius minus:Quartum & vltimum eorum, quæ negantia vocantur &
à græcis ἀποφάτικα contraria aientibus vt ſi hoc eſt, illud non eſt. Ab
his omnibus generibus argumenta plurima ducuntur. Ac primo ab
aduerſis hoc modo;Si vititium fugiendum eſt, virtus eſt amplectenda.
da.Si ſtultitiæ nomen omnes oderunt, ſummo ſtudio ſapientiæ dan-
da eſt opera.Si patrum ſeueritas filios ad res honeſtas impellit, eorun
dem indulgentia faciet, vt filij patrare turpia non dubitent. Si mentiri
turpe eſt, igitur honeſtum vera dicere. Habet hoc contrariorum ge-
nus in oratione miram gratiam, ideo ponitur inter exornationes ora-
torias.Cornificius,Contrarium (inquit) eſt, quod ex rebus diuerſis Lib. 4. ad
duabus alteram breuiter & facile confirmat hoc pacto; Nam qui ſuis Herēniū.
rationibus inimicus fuerit ſemper, eum quomodo alienis rebus ami-
cum fore ſperes?Nam quem in amicitia perfidioſum eſſe cognoueris,
eum quare putes inimicitias cum fide habere poſſe? Hæc ad fidem fa
ciendam pertinent,illa ad exornationes, quæ contentiones dicuntur;
Habet aſſentatio iucunda principia, eadem exitus amariſsimos habet
inimicis te placabilem, amicis inexorabilem præbes. Quo in genere
Cicero mirus eſt artifex, vt pro lege Man.Cuius adoleſentia ad ſcien
tiam rei militaris non alienis præceptis, ſed ſuis imperijs, non offen
ſionibus belli, ſed victorijs, non ſtipendijs, ſed triumphis eſt tradu-
cta.Rurſus in eadem, Non auaritia ab inſtituto curſu ad prædam ali-
quam reuocauit, non libido ad voluptatem, non amænitas ad dele-
ctionem, non nobilitas vrbis ad cognitionem, non denique labor
ipſe ad quietem. Illa vero pulcherrima ex aduerſis contentio,Quem pro Milo-
igitur cum omnium gratia noluit, hunc voluit cum aliquorum que- ne.
rela? quem iure, quem loco, quem tempore, quem impune non
eſt auſus,hunc iniuria, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis
non dubitauit occidere?Sed quid vnum aut alterum exemplum pro-
fero, cum totus vbique ſcateat huiuſmodi contrarijs Cicero. Itaque



Digitized by Google

in Oratore ad Brutum. præcipit, vt hoc genere contrariorum frequenter orationem noſtram illuſtremus, quod & ad fidem valet plurimum, & ad orationem ornatam, & numerorosam efficiendam. Priuantia proprie dicuntur ea, quę nos aliqua naturali facultate ſpoliant, vt cæcitas, ſurditas, obliuio, tarditas. Itaque lapis proprie cæcus dici non poteſt, quia natura viſum ei non dedit, neque catuli priuſquam nonum diem expleuerint. Cicero in Top. dicit ea eſſe priuantia, quibus præpoſitio in, adiungitur, vt humanitas, inhumanitas, ſed hoc non ſemper verum eſt, plurima ſunt enim priuantia, quibus præpoſitio in, non adiungitur. Nam videns, cæcus, audiens, ſurdus; loquens mutus, ſine vlla dubitatione ſunt, & tamen *eis* non adiungitur in præpoſitio. Contra vero iuſtitia & iniuſtitia, probitas & improbitas, non priuantia ſunt, ſed aduerſa. Ariſtoteles ait a priuatione ad habitum non eſſe regreſsionem, & tamen in hiſtorijs legimus Cræſi regis Lydorum filium, & Aeglem Samium ex mutis loquentes euaſiſſe. Ab hoc contrariorum genere poſſunt hoc modo argumenta deduci; Non eſt quod vereare, præſente Craſſo, mecum arcana communicare, non enim audire poterit, quia ſurdus eſt. Non poterit Aegles, quæ domi facta ſunt, verbis enunciare, cum mutus ſit. pro M. Cęlio. Quid eſt, quod ſperes in iudicio poſſe te ab homine infantiſsimo defendi? pulcherrimum vero illud Ciceronis eſt in hoc genere, Exiſtat igitur ex hac ipſa familia aliquis, ac potiſsimum cæcus ille, minimum enim dolorem capiet, qui iſtam non videbit. Quæ cum aliquo conferuntur vocantur ab Ariſtotele πρός τι idest ad aliquid, quia nunquam per ſe intelligi poſſunt, ſed ſemper ad alterum reſpiciunt, vt pater, filius, dominus ſeruus, creditor debitor, dux comes, Plura pauciora, colles campi. Ab hoc genere nonnunquam firma deducuntur argumenta, vt, Quos ex collibus deiecimus, cum ijs in campo metuimus dimicare? Qui cum plures erant, paucis nobis exæquari non potuerunt, hi poſtquam pauciores ſunt, metuimus, ne ſint ſuperiores? Ab hoc loco Li. 5. car. deduxit illud pulcherrimum argumentum Horatius,

*Fortes creantur fortibus, & bonis.*
*Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum*
*Virtus nec imbellem feroces*
*Progenerant aquilæ columbam.*

1. de inuẽtione. Cicero ſic ait: In ijs rebus, quæ ſub eandem rationem cadunt, hoc modo probabile conſideratur: Nam ſi Rhodijs turpe non eſt portoriũ locare, nec Hermacreonti quidẽ turpe eſt cõducere. In Oratore ad Brutum ita argumentatur; Cur aut diſcere turpe eſt, quod ſcire honeſtum eſt? aut quod noſſe pulcherrimũ eſt, id non glorioſum docere? pro M. Marcello, pulchrũ eſt huius generis argumẽtũ, Ex quo perfecto intelligis, quanta in dato veneficio ſit laus, cũ in accepto tanta ſit gloria. Negantia

gantia

Digitized by Google

gantia dicuntur ēt contradicentia, quæ ſunt eius naturæ, vt, ſi vnū verū neceſſario ſit falſum; & cōtra, niſi de rebus futuris eiuſmodi verba faciamus, quæ aut euenire, aut non euenire poſsint. Cicero videtur argumentationem, quæ ducitur ab hoc loco, ſimplicem concluſionem appellare, cuius eſt hoc exemplum; Si quo tempore me iſtud feciſſe dicitis, ego trans mare fui; relinquitur, vt id, quod dicitis, non modo, non fecerim, ſed potuerim quidem facere, contradicunt enim, me hic fuiſſe, & trans mare fuiſſe, nam ſi hoc eſt, non eſt illud. Ita Clodius cum accuſaretur de pollutis ſacris bonæ Deę, dixit eo die ſe non Romæ, ſed Interamnæ fuiſſe. Nam hæc contradicentia ſunt, Romæ non fuiſſe, & Romæ ſacra polluiſſe. In ſummma dicitur ille contradicere, quicunque rem, aut ab alio, aut a ſe prius affirmatam negat, aut negatam affirmat, vt accuſator Roſcij Amerini ait; Roſcius patrem interfecit. Patronus cōtra, Roſcius patrē nō interfecit. T. Labienus ait, C. Rabirio, Maieſtatem populi. R. imminuiſti, Rabirius reſpondet, Immo non imminui. Sunt autem omnium maxime contraria, quæ per negationem opponuntur, vt interfecit, non interfecit, imminuit, non imminuit. Itaque turpiſsimum putant ſibi ipſum contradicere, quod ijs aliquando accidit, qui vel differendi rationem ignorant, vel contra veritatem ſuſcipere diſputationem auſi ſunt. Generaliter autem omnes ſententiæ, quæ a contrarijs ducuntur, enthymemata vocantur, vt ait Cicero, quæ maximam habent vim, & venuſtatem. Vt ſeruare potui, perdere an poſſim rogas? Cicero pro Q. Ligario, Quorum igitur impunitas, Cæſar, tuæ clementię laus eſt, eorum ipſorum te ad crudelitatem acuet oratio. Pro Milone, Eius igitur mortis ſedetis vltores, cuius vitam ſi putetis per vos reſtitui poſſe, noletis? nōnunquam etiam totas fere orationes contraria conſumunt, vt octaua Philippica Cicero, pacem fieri cum Antonio turpe eſſe oſtēdit, vt bellum ſuadeat.

1. de inuentione. in Top.

*Alia ex coniunctis.*

Coniuncta uocat hoc loco, quæ in Topicis adiuncta dixit; M. Antonius huius loci non meminit, uel potius cum antecedentibus, & conſequentibus coniunxit, ſicut etiam Quintilianus facere uidetur. Sed Cicero diſtinxit adiuncta ab eo loco, in quo ſunt antecedentia, & conſequentia. Quoniam adiuncta non ſunt neceſſaria, ſed tantum ueriſimilia, & ſigna, uel circunſtantiæ rerum. Antecedentia uero & conſequentia neceſsitatem habent, ut poſtea docebimus. Admonet autem hic locus, ut ait Cicero, ut quæratur quid ante rem, quid cum re, quid. poſt rem euenerit. Eſt igitur magna ex parte oratorius. Ante rem enim quæruntur, quæ talia ſunt, apparatus, colloquia, locus, conſtitutum, conuiuium: cum re autem, pedum crepitus, ſtrepitus hominum, corporum umbræ, & ſiquid eiuſmodi. At poſt rem

2. de Oratore.

rubor, pallor, titubatio, ſiqua alia ſigna conturbationis, & conſcientiæ. Præterea reſtinctus ignis, gladius cruentus, cætera, quæ ſuſpicionem facti mouere poſſunt. Continet igitur hic locus omnia ſigna, quæ tantum probabilia ſunt, non autem illa, quæ ſunt neceſſaria, quæ græco nomine τεκμήρια uocantur, ut, Si lac habet mulier, ergo peperit. Hæc autem uel rem antecedunt, ut erat inimicus, & contra illum homines, & arma parauerat, ergo illum interfecit: Vel cum reipſa ſunt, ut uiſus eſt in eo loco, & uox eius audita, cum cædes fieret; Vel rem conſequuntur, ut ſanguine reſperſus fuit, expalluit. Eſt autem hic locus in cauſis coniecturalibus maxime neceſſarius. Itaque diligenter eum tractat pro Milone Cicero. Ante rem oſtendit apparatum Clodij, qui ſeruos quoſdam barbaros, quibus uti ad maleficia ſolebat, ſecũ haberet, quod Miloni mortem minatus eſſet. In ipſa re, quod expeditus in equo Miloni obuiam factus eſſet; quod nulla ſecum impedimenta, nullos græcos comites, non uxorem, ut antea ſemper ſolebat, adduxiſſet. Poſt rem, quod Milo recta Romam ueniſſet, quod ſe populo R. quod iudicio commiſiſſet. Eodem modo Lentulus, & Cethegus in coniurationis ſuſpicionem uenerunt, quod enſes, & tela cuiuſque generis præparaſſent; quod in domo Porcij Leptæ conuentus nocturnos gererent. Ita filij Bruti, & Aquilij, & Vitellij quia frequenter cum Tarquinij legatis loquerentur, in ſuſpicionem proditionis Vindicio ſeruo uenerunt. Coniuncta ſunt etiam illa quæ græco nomine περιςάσεις dicuntur, à quibuſdam latinè circumſtantiæ, præcipue, perſona, locus, tempus, modus. Vnde quæcunque a perſona, a loco, a tempore ducuntur argumenta, ea dicuntur a coniunctis duci. A perſona, ut non eſſe uirginem Atalantam, quæ cum iuuenibus per ſyluas uagetur; non eſſe parricidam Roſcium, qui ruſticana uita ſimpliciq; delectetur. Chæream a Roſcio comœdo non fuiſſe pecunia fraudatum, cum Roſcius innocens ſit, & maxime liberalis. Sic Areopagitæ puerum damnarunt, cothurnicibus oculos eruentem, & eas deinde cæcas emittentem, quod malæ mentis, id eſſet indicium. Loco, ut ſacrilegum eſſe, qui pecunias in templo furatus ſit. Corinthum facile bellum reparare poſſe, quod in Iſthmo poſita ſit. Nam Cicero tradit Romanos, opportunitatem loci ſecutos, Corinthum euertiſſe, ne quando bellum reparare poſſet. Sic Annibal apud Liuium militibus ſuis neceſſario pugnandum eſſe a loco argumentatur, quod a tergo alpes, a fronte Romanos haberent. Sic Aiax apud Ouidium a loco ſuam orationem incipit; Agimus, proh Iupiter, inquit, Ante rates cauſam & mecum confertur Vlyſſes. Et Miloni obiectum eſt, quod in monumentis maiorum ſuorum Clodium occidiſſet. A tempore Cicero pro Milone argumentatur, non eſſe veriſimile voluiſſe Milonem Clodio inſidias ſtruere, quo tempore conſulatum

1. de Officijs.

ſulatum petebat. Ita Cicero non caruit reprehenſione, quod in bello ciuili cum cæteri valde mærerent, ipſe dicax fuerit. Ita Virgilius inuictum Priami animum a tempore oſtendit, cum ita inquit,

*Hic Priamus quanquam in media iam morte tenetur,*
*Non tamen abſtinuit, nec voci iræq; pepercit,*

& Dido a tempore ducit argumentum, quo Aeneam a diſceſſu reuocet,

*Quin etiam hyberno moliris ſydere claſſem* Lib. 4. Aeneid.
*Et medijs properas aquilonibus ire per altum*
*Crudelis.*

Sed communiter omnia ſigna, ſicut initio diximus, quæ non habent neceſſariam concluſionem, ſed quandam tantum probabilitatem, coniuncta vel adiuncta vocantur, vt Simo Terentianus, Non dubium eſt, quin vxorem nolit filius, ita Dauum timere ſenſi. Sic ij, qui aliquem accuſant, anteactam vitam diligenter excutiunt, ſi quid a reo peccati commiſſum fuit. Nam qui ſemel malus fuit, ſemper talis exiſtimatur. Aſdrubal apud Varum fluuium cognouit auctas eſſe Romanorum copias, cum ſcuta vetera hoſtium notaſſet, vt ait Liuius, & ſtrigoſiores equos. Et Annibal cum exercitum vrbi admouiſſet, nondum fractas Romanorum opes agnouit, quoniam ager, in quo caſtra locauerat, proſcriptus ſit, & emptorem inuenerit. Cicero Catilinam oſtendit, neceſsitate coactum, mali aliquid meditari, quod magna rei familiaris anguſtia premeretur; & æris alieni plurimum haberet. Talia erunt argumenta ab adiunctis, ſiquis pauperem, quia ſumptuoſe viuat, furem eſſe dicat; & Matronam, quia ſola noctu per viam ambulet, adulteram eſſe.

## Alia ex antecedentibus, alia ex conſequentibus, alia ex repugnantibus,

Cicero in Topicis de hoc loco ſic ait, Deinceps eſt locus Dialecticorum proprius ex conſequentibus, & antecedentibus, & repugnantibus, qui etiam ab adiunctis longe diuerſus eſt. Nam adiuncta, de quibus paulo ante diximus, non ſemper eueniunt; conſequentia autem ſemper. Ea enim dico conſequentia, quę rem neceſſario conſequuntur, itemq; & antecedentia, & repugnantia. Quicquid enim antecedit quamque rem, id cohæret cum re neceſſario; & quicquid repugnat, id eiuſmodi eſt, vt cohærere nunquam poſsit. Cum tripartito igitur diſtribuatur locus hic, in conſecutionem, anteceſsionem, repugnantiam; reperiendi argumenti locus ſimplex eſt, tractandi triplex;

hæc

Digitized by Google

hæc ibi Cicero. In quibus duo notanda ſunt, primum quod argumenta, quæ ex hoc loco ducuntur, omnia ſunt neceſſaria; ſecundum quod vnus quidem locus eſt, quatenus ad inuentionem, ſed triplex quatenus ad tractationem. Et antecedens quidem id dicitur, quo poſito, neceſſe eſt, vt aliud ſequatur; Vt, ſi patientia fortitudo eſt, neceſſe eſt, vt etiam ſit virtus. Si Socrates eſt homo, etiam neceſſario eſt animal. Conſequens id vocatur, quod rem aliquam neceſſario ſequitur; vt, Mors neceſſario ſequitur cordis vulnerationem; & vita neceſſario reſpirationem ſequitur; nam ſi reſpirat animal, neceſſe eſt, vt viuat. Repugnans appellatur id, quod cum re nunquam cohærere poteſt; vt, nocendi cupiditas amicitiæ repugnat. Fiunt autem argumentationes hoc in genere ferè tantum ex connexis pronunciatis, & ab antecedente quidem, plerunque affirmando; a conſequente, plerunque negando; a repugnante vtroque modo, & affirmando, & negando. Porro ab aſſumptione cognoſcitur argumentum, nam ſi in ipſa aſſumptione fuerit antecedens; erit argumentum ab antecedente, vt, Si nemini nocere iuſtitia eſt, etiam virtus eſt; ſed nemini poteſt eſſe dubium quin iuſtitia ſit nemini nocere, quare virtus etiam erit neceſſario. Talia ſunt illa, Si homo eſt, doctrinæ capax eſt; ſed eſt homo, ergo doctrinæ capax; Si color eſt, etiam qualitas eſt; ſed eſt color, ergo qualitas. Si vero in aſſumptione fuerit conſequens; argumentum erit a conſequente; vt, ſi Gracchus eſt orator, eſt etiam vir bonus; ſed non eſt vir bonus, non eſt igitur orator. Si lapis eſt animal, ſenſum habet; ſed nihil ſentit lapis, ergo non eſt animal. Quod ſi negetur antecedens; licebit interdum etiam affirmando argumentum a conſequente ducere; ut, ſi philoſophiæ non eſt incumbendum, neque honeſta, neque vtilis eſt philoſophia; ſed eſt & honeſta & vtilis, ergo illi incumbendum eſt. Verum ſæpius (vt dixi) per negationem a conſequente ducimus argumenta, vt ſi Cornelius Balbus ciuitate priuatus fuerit, erit irritum Gn. Pompeij beneficium; non eſt autem irritum faciendum Pompeij beneficium, non igitur Cornelius ciuitate priuari debet. Si A. Cæcinna deiectus e fundo fuit, interdicto reſtituendus eſt; ſed non eſt reſtituendus, ergo non fuit deiectus. Repugnantia vocat Boethius, quæ contrariorum ſunt conſequentia; vt dormire & vigilare ſunt contraria; conſequi autem plerunque ſolet, vt dormientes ſtertant, ergo hęc repugnantia ſunt vigilare, & ſtertere. Ita amicitia, & inimicitia cõtraria ſunt, Odium autem ſequitur inimicitiam, ergo amicum ęſſe, & odio habere ſunt inter ſe repugnantia. Itaque a repugnantibus argumẽta ſunt huiuſmodi; Si Plato ſtertit, certe nõ vigilat; Si Milonem odit Clodius, non eſt illi amicus. Cicero nobiliſsimam illam orationẽ pro Milone, a repugnantibus incepit. Et ſi vereor, Iudices, ne turpe ſit, pro fortiſsimo viro dicere incipientẽ timere.

Digitized by Google

mere. Nam hæc duo repugnantia ſunt, fortiſsimum eſſe, & timere. Quidam hunc locum, a repugnantibus incipiunt a negatione hoc modo; Non, ſi iuſte fuit expulſus Tarquinius, etiam iuſte reſtituetur, atqui iuſte fuit expulſus, non igitur iuſte reſtituetur. Non, ſi hoſtis a Senatu iudicatus fuit Antonius, copijs adiuuandus eſt, eſt autem iudicatus hoſtis, non igitur copijs eſt adiuuandus; Quo genere argumentandi frequentiſsime Stoici vtebantur, vt in multis locis oſtendit Cicero. Quin pro Milone, Sic ipſe Cicero argumentatur; Eſt, eſt profecto illa *vis*, neque in his corporibus, atque in hac imbecillitate noſtra in*eſt quiddã*, quod vigeat, & ſentiat; & non ineſt in hoc tanto naturæ, tam præclaro motu. Illud etiam a repugnantibus eſt in eadem oratione; Eius igitur mortis ſedetis vltores, cuius vitam, ſi putetis per vos reſtitui poſſe, nolitis? repugnant enim hęc, mortem alicuius vlciſci, & eidem vitam nolle reſtitui. Sed ſciendum eſt hũc triplicem locum apud Dialecticos, quorum proprius eſt (vt ſentit Cicero) varijs modis tractari per Syllogiſmos, quos vocant hypotheticos, quorum tria ſunt genera. Nam aliqui fiunt ex connexis pronunciatis, aliqui ex diſiunctis, aliqui ex copulatis. Connexum pronunciatum illud dicitur, cui adiungitur coniunctio illa, *Si*, quæ oſtendat poſteriorem partem ex priore neceſſario ſequi; vt, Si currit, mouetur; Si ſpirat, viuit; Si peperit, cum viro concubuit. Diſiunctum vocatur, quod pluribus conſtat ſimplicibus pronunciatis, per illam coniunctionem, aut diſtincte coniunctis; vt, Voluptas aut eſt bonum, aut malum, aut neutrum. Omne corpus, aut eſt animatum, aut inanime. Omne animal aut eſt particeps rationis, aut expers. Hæc autem, quæ in diſiunctis pronunciatis ponuntur, contraria, ſeu oppoſita eſſe debent; quorum vnum ſatis eſt eſſe verum. Copulatum illud appellatur, in quo plura pronunciata colligantur per illam coniunctionem, &, vt, Scipio & ducis & militis officio fungitur; Homo & animal, & corpus, & ſubſtantia eſt. Copulati partes oẽs veræ eſſe debent, nam ſi vna tantum pars falſo fuerit adiuncta, totũ pronunciatũ falſum erit. Ex his pronunciatis ſeptem fiunt argumentandi formulæ, quas in Topicis Cicero numerat, ſed paulo cõfuſius; nos ita diſtinguemus, vt tres primę formulæ connexis accõmodẽtur, quarta & quinta diſiunctis, ſexta & ſeptima copulatis. Prima igitur argumentandi formula in connexis, ita ab antecedentibus ducitur; Si grauida eſt mulier, cum viro concubuit; eſt autem grauida, concubuit igitur. Si pecunia ſignata argentum eſt, legata eſt mulieri; eſt autẽ pecunia ſignata argentum, legata igitur eſt. Secunda formula ducitur a conſequentibus, vt, Si orator eſt Plinius, apte, diſtincte & ornate dicit; ſed non apte, diſtincte & ornate dicit, non eſt igitur orator. Si Cicero non fuit bonus conſul, Remp. ſua ſapientia non conſeruauit, ſed Remp. conſeruauit, fuit igitur bo-

nus conſul. Si numerata pecunia non eſt legata,non eſt numerata pecunia argentum; eſt autem numerata pecunia argentum,legata igitur eſt. Tertia formula ducitur a repugnantibus,vt,Non,ſi Chryſippus valens eſt Dialecticus, non acute diſputat; atqui Chryſippus eſt valens Dialecticus, igitur acute diſputat; Non, ſi Clodius Miloni inimicus eſt,eum non odit,eſt autem inimicus,odit igitur, Non,& legatum argentum eſt,& non eſt legata numerata pecunia;legatum autem argentum eſt,legata igitur numerata pecunia eſt. Quarta formula ducitur a disiunctis,cum prior pars affirmatur, alia vero, vel aliæ, ſi plures fuerint,negantur,vt, Aut eſt ſapiens Socrates, aut inſipiens; atqui ſapiens eſt,non eſt igitur inſipiens.Si arbor corpus eſt, aut eſt animatum, aut inanime;ſed animatum corpus eſt, non eſt igitur inanime. Voluptas aut eſt bona,aut mala,aut neutra;ſed bona eſt, igitur neque mala, neque neutra. Quinta formula ducitur etiam a disiunctis,cum prior pars negatur,altera confirmatur; Aut dimicandum eſt a Cicerone contra Clodium,aut Roma exeundum; ſed dimicandum non eſt in multorum ciuium perniciem, Roma igitur exeundum. Aues aut participes ſunt rationis,aut expertes;ſed nequaquam rationis participes ſunt, igitur ſunt expertes. Iudicium aut a Cluentio, aut ab Oppianico corruptum eſt; ſed a Cluentio non eſt corruptum, igitur ab Oppianico; Sic enim Cicero pro A. Cluentio argumentatur. Sexta formula ducitur a copulatis, cum prior copulati pars affirmatur, altera negatur; vt, Non & dux eſt, & miles in eodem bello Scipio; dux autem eſt, non igitur miles.Non,& animal eſt,& planta Spongia;ſed eſt animal, non igitur planta. Septima formula etiam a copulatis ducitur, cum prior copulati pars negatur,altera confirmatur; Non, & ſaluam vult eſſe patriam Antonius, & eſt hoſtis patriæ; ſed non vult patriam eſſe ſaluam, eius igitur hoſtis eſt. Non, & pacem cum Pompeio vult habere Cæſar, & dominatum regium occupare; ſed cum Pompeio pacem habere non vult, ergo dominatum regium occupare cupit. Hæc paulo fuſius, & copioſius perſecuti ſumus. Quia neque Cicero quamuis innuat,ſatis ea diſtinxit, neque Topicorum interpretes ſatis aduerterunt. Sunt autem hæ formulę potius Dialecticorum,quam rhetorum propriæ.

*Alia ex cauſis.*

Cauſarum locus latiſsime patet,& maximam oratori dicendi copiam ſubminiſtrat,cum enim orator in ciuilibus quæſtionibus, & in actionibus hominum ſit occupatus; neque quicquam fere homines, ſine cauſa faciant; certe ſi quis factorum omnium cauſas explicare nouerit, ei nunquam dicendi materia deeſſe poterit. Omnes autem cauſæ ad quatuor genera reducuntur, hoc eſt, ad materiam, ad formam, ad effici-

efficientem, & ad finem. Materia illa dicitur, ex qua fit aliquid; vt, Ex ferro fit enſis, ex ligno ſcamnum, ergo ferrum eſt materia enſis, & lignum ſcamni materia. Forma vocatur ea, quę rebus omnibus nomina dat, & a qua res appellantur; vt, Domus non a lapidibus, aut lignis, ex quibus ſubſtructa eſt, ſed a forma nomen habet; poſſunt enim eſſe lapides & ligna, neque tamen erit domus, niſi poſtquam ſuam formam habuerit. Efficiens cauſa eſt, quæ facit, vt aliquid ſit; vt architectus cauſa efficiens eſt ædificij; & ignis cauſa incendij, & ſtudium doctrinæ. *Finis* denique eſt, cuius gratia reliqua omnia fiunt. Quicquid *enim* fit, alicuius gratia fieri videtur, & cum finem ſuum, quicquam fuerit adeptum, tunc quieſcit. Itaque cauſarum omnium præſtantiſſimum & optimum, dicũt eſſe finem, quoniam aliæ omnes ad hanc referuntur; vt cur Imperator militum delectum habet, arma & commeatum parat, in hoſtes proficiſcitur, ſigna confert, prælium committit? certe vt victoriam conſequatur. Igitur victoria, quæ vltima eſt ac finis, omnium eſt optima. Quo fit, vt in omni deliberatione duo potiſsimum conſiderari ſoleant; fieri ne poſsit id, de quo deliberatur, & an expediat? quorum alterum ab efficientibus cauſis colligimus, alterum a fine, vt Cicero pro Lege Man. probat bellum contra Mithridatem confici poſſe, ſi Pompeius ſummus Imperator illi præficiatur, quod argumentum eſt ab efficiente cauſa; probat etiam eſſe ſuſcipiendum, quoniam eſt honeſtum, & vtile, honeſtum, quia gloriam Romanis afferet, & iam ſuſceptam ignominiam eluet; vtile, quia vectigalia maxima, quæ percipiuntur in Aſia, conſeruabit, & bona multorum ciuium, & ſociorum; quę argumenta ducuntur a fine. Quamuis autem quatuor ſint genera cauſarum; tamen quia materia, & forma partes ſunt rei, ideo fere ſolent oratores tantum efficientem, & finem cauſas appellare, & eis vti frequentiſsime. Licet etiam a materia ſæpe firma ducantur argumenta; vt, imaginem eſſe mollem, quia ſit ex cera; aut duram, quia ſit ex ęre; aut nummum vel annulum eſſe precioſum, quia ſit ex auro factus; ita etiam a forma, vt cœlum facile circumagi, quia ſit rotundum; & talum ſemper rectum conſiſtere, quia ſit quadratus. Sed oratores tamen, vt dixi, ſæpius efficientes, & fines conſiderant. Efficiens cauſa duplex eſt. Vel enim a neceſsitate pendet, vel a delectu. Nam duo ſunt, quæ ſemper alicuius gratia faciunt, nempe natura, & voluntas. In natura neceſsitas eſt; vt cum Sol oritur, neceſſario fit dies; Ignis, admota materia ſicca, neceſſario comburit; Quod ſemel ortum eſt, neceſſario moritur. In voluntate eſt delectus, vt homo ſibi parat, quæ ſunt vtilia; & quæ honeſta ſunt agit. Beſtię mediam quãdam viam habent, vt partim a natura, partim a voluntate quadam & appetitu trahantur. Sed nos de hominibus loquamur, in quibus duę cauſæ efficientes eſſe ſolent, hoc eſt, ratiocinatio, & impulſio. Ratio-

I cina-

Lib. 2. de Diu. cinatio eſt, vt ait Cicero, diligens & conſiderata faciendi aliquid, aut non faciendi excogitatio; vt, ſi amicitiæ quid cauſa factum dicatur, ſi inimici vlciſcendi, ſi metus, ſi gloriæ, ſi pecuniæ, cæteraq; eius generis explicantur; vt, pro lege Man. Maiores veſtri ſæpe mercatoribus, ac nauiculatoribus, iniurioſius tractatis, bella geſſerunt. Item, Legati, quod erant appellati ſuperbius, Corinthum patres veſtri, totius grçciæ lumen extinctum eſſe voluerunt. Talis eſt illa raciocinatio pro Mil. P. Clodius cum ſtatuiſſet omni ſcelere in prætura vexare Remp. videretq; ita tracta eſſe comitia anno ſuperiore, vt non multos menſes præturam gerere poſſet, Et quæ ſequuntur. Impulſio eſt, *quæ ſine* cogitatione per quandam affectionem animi facere aliquid hortatur, vt amor, iracundia, ægritudo, vinolentia, cæteraq; ſimilia. Nam interdum ſic animus occupatur a perturbationibus, vt nullus ſit rationi, aut conſilio locus; vt Alexãder Magnus ira commotus Clytum amicum, & familiarem ſuum interfecit, quo facto deinde magnopere doluit, ita Theſeus propter iram filium ſuum Hyppolitum deuouit. Cicero pro Milone tangit impulſionem, cum ita inquit; At valuit odium, fecit iratus, fecit inimicus, fecit vltor iniuriæ, punitor doloris. Pro M. Cælio idem errata Cælij diluere conatur ea ratione, quod propter ętatem & adoleſcentiam, ad ea fuerit impulſus. Idem alio loco docet, leuiora eſſe peccata, quæ repentino aliquo motu accidunt, quam ea, quæ meditata, & præparata inferuntur. Eſt etiam illa in cauſis efficiëtibus differentia, quod aliquæ principales ſunt, aliæ ſecundariæ; principales ſunt, in quibus initium eſt efficiendi, vt imperator cauſa principalis eſt victoriæ; ſecundariæ vero dicuntur, quæ principalibus auxilio ſunt, atque illis ſubſeruiunt, vt milites, tela, tormẽta. Nam etiam inſtrumenta ponuntur inter cauſas efficientes, ſed ſecundarias; vt libri doctrinę cauſa ſunt; verum per ſe nihil inſtrumenta poſſunt efficere, niſi prius cauſæ principales accedant; vt pręceptor, & ſtudium. Ab efficientibus igitur ita poterimus argumentari; Qui ſibi cupit eloquẽtiam parare, eum multa diligenter audire, legere, ſcribere oportet. Hæc enim tria ſunt quibus dicendi facultas acquiritur. Talis eſt ea ſententia,

Lib. 1 de offi.

*Labor omnia vincit.*
*Improbus, & duris vrgens in rebus egeſtas.*

Et Platonis illud, Gloria eſt laboris filia; Et illud Ciceronis, Nihil eſt, quod ſtudio & amore effici non poſſit; & Senecæ illud, Animus hominis quicquid ſibi imperauit, obtinuit. Cicero ſeptima in Verrem actione, Marcelli virtute captæ, miſericordia conſeruatæ ſunt Syracuſæ. Præterea caſus & fortuna ponuntur inter cauſas efficientes, nam multa caſu fortuitoq; eueniunt, præter ſpem & cogitatio-

nem

Digitized by Google

nem noſtram, vt Adraſtus cum aprum venabulo peteret, imprudens Cræſi filium, cuius cuſtos erat, interemit. Hoc igitur caſu fortuitoq; dicitur eueniſſe. Ita ſiquis agrum fodiens theſaurum inueniret, id a fortuna diceretur accidiſſe; ſed hæc cauſa latens & incerta eſt; quo fit, vt in ciuilibus controuerſijs raro locum habeat. Iam vero finis, quæm omnium cauſarum optimum eſſe diximus, plurima nobis argumenta ſuppeditare ſolet. Tria ſunt enim, quæ ſibi homines, tanquam fines expetendos proponunt, hoc eſt, honeſtas, vtilitas, voluptas. *Itaque* cum aliquid ſuadere volumus, id vel honeſtum, vel vtile, *vel iucundum* eſſe, probare debemus. Sic enim facile mouebitur animus ad illud amplectendum. Vt Cicero pro P. Seſtio ſic adhortatur a fine; Hæc imitamini per Deos immortales, qui dignitatem, qui laudem, qui gloriam quæritis, hæc ampla ſunt, hæc diuina, hæc immortalia, hæc fama celebrantur, monimentis annalium mandantur, poſteritati propagantur. A fine duxit illud argumentum Iuuenalis;

*Quis enim virtutem amplectitur ipſam.*
*Præmia ſi tollas?* & Horatius illud,

*Impiger extremos currit mercator ad Indos*
*Per mare pauperiem fugiens per ſaxa, per ignes,*

Sic Turnus milites ſuos hortatur, vt pro cõiugibus & domeſticis ſuis & pro gloria dimicent, ſic enim ait, Lib. 10. Aeneid.

*Nunc coniugis eſto.*
*Quiſque ſuæ, tectiq. memor, nunc magna referto*
*Facta patrum laudes.* Sed finis longe lateq; patet, quicquid enim ſibi homines proponunt, & cuius gratia faciunt aliquid, is finis dicitur, & cum ab eo ducuntur argumenta, dicuntur a fine duci.

*Alia ex effectibus.*

Quæ efficiuntur ex cauſis, a Cicerone modo effectus, modo euenta dicuntur. Locus autem hic ab effectibus, ijs, qui ornate & copioſe loqui poſſunt, mirabilem copiam dicendi ſuppeditare ſolet, cum denunciant, quid ex quaque re ſit futurum. Cauſarum enim cognitio, cognitionem euentorum facit. Cic. in Topic. M. Antonius apud Ciceronem ſic ait, Ex ijs autem, quæ ſunt orta de cauſis, Si ærarij copijs, & ad belli adiumenta, & ad ornamenta pacis vtimur, vectigalibus ſeruiamus. Lib. 2. de or. Cicero pro lege Man. Etenim ſi vectigalia neruos eſſe Reip. ſemper duximus, eum certe ordinem, qui exercet illa, firmamentum cæterorum ordinum recte eſſe dicemus. In eadem oratione probat ab effectis Pompeium rei militaris eſſe peritiſsimum, quod nullum belli genus eſſe poſſet, quod non ille cum laude confeciſſet. Atque in eodem Pompeio magnam



Digitized by Google

eſſe virtutem, & auctoritatem etiam ab effectis probat. Quin quoties aliquem laudamus, aut vituperamus, ſemper fere ab effectis argumenta ducimus. Igitur huiuſmodi argumenta ducuntur ex effectibus. Socrates gaudet officio, neminem offendit, ergo vir bonus eſt. M. Antonius contra patriæ liberatores bellum gerit; ergo eſt hoſtis patriæ. Lac habet mulier, ergo peperit. Melior dux Scipio quam Annibal, vicit enim Annibalem. Cato bonus eſt agricola, nam vberes fructus ex prædijs ſuis colligit. Cicero res a ſe geſtas plurimum laudat, ergo eſt ambitioſus. Acute diſputat Chryſippus ergo valens eſt dialecticus. In ſumma quoties ex factis alicuius, aut ex euentis aliquid colligimus, tunc ex hoc loco ducimus argumentum, quod quidem & apud oratores, & apud reliquos ſcriptores frequentiſsimum eſt.

### *Alia ex comparatione maiorum, aut parium, aut minorum.*

Comparatio dicitur, quoties duo vel plura ſic inter ſe conferuntur, vt intelligatur quid maius ſit, quid par, quid minus. Qui locus eſt copioſiſsimus, vt cũ quærimus, quid honeſtius, aut ęque, aut minus honeſtũ; quid vtilius, aut ęque, aut minus vtile; quid iucundius, aut æque, aut minus iucundũ. Quæ diligenter in Topicis Cicero perſequitur, & longe diligentius Ariſtoteles tertio Topicorum. Honeſtius, vt illud, Si bona exiſtimatio diuitijs pręſtat, & pecunia tantopere expetitur; quanto gloria magis eſt expetenda. Aeque honeſtum, vt illud, Si conſilio iuuare ciues, & auxilio, æqua in laude ponendum eſt pari gloria debent eſſe ij, qui conſulunt, & ij, qui defendunt. Minus honeſtum, & illud, Hic (Ter. in And.) paruæ conſuetudinis cauſa, huius mortem fert tam familiariter, Quid ſi amaſſet, quid mihi hic faciet patri? Eodem modo etiam contraria comparantur, vt quid turpius, quid æque turpe, quid minus turpe. Vt, Si turpius eſt, improbum eſſe, quam pauperem; & omnes paupertatem tantopere fugiunt; quare non magis fugienda eſt improbitas. Si æque turpe eſt, & per malitiam fallere, & per imprudentiam falli vtrumque eodem modo cauendum eſt. Si minus peccat, qui mendacium dicit, quam qui peierat; & vir bonus ab omni mendatio abſtinet, quanto magis periurium vitabit? Iam in vtilibus eadem eſt comparationis ratio; vt melius eſt eſſe ſanum & pauperem, quam diuitem & ægrotum. Aeque vtile eſt, opulento viro ſuas res domeſticas curare, & opifici in arte ſua diligentem eſſe; Minus vtile eſt literarum ſtudijs inhærere, quam mercaturam exercere. Quod autem in rebus honeſtis & vtilibus fit, idem etiam in iucundis. Vt longe iucundius eſt, in rerum altiſsimarum contemplatione verſari, quam Remp. adminiſtrare. Aeque iucundum eſt, bonam amici fortunam, atque ſuam intueri, minus delectat iuri ciuili operam dare, quam Philoſophiæ. Atque hæ quidem comparationes ſunt de rebus expetendis, aut fugiendis. Sunt

aliæ,

Digitized by Google

aliæ, quę ducuntur ab hominum actionibus, vel a maiori, vel a minori vel a pari. A maiore, vt qui fallere conſueuit patrem, tanto magis audebit cæteros. Si quis ſacrilegium fecit, faciet etiam furtum. Omnium eſt communis inimicus, qui fuit hoſtis ſuorum. Quid putandum eſt Verrem in Sicilia & externis locis feciſſe, qui Romæ tam improbe latrocinatus eſt. Si Annibal imperium Romanum euertere non potuit, multo minus Antiochus poterit. Cæſarē ferre non potuimus, & Antoniū perferemus? A minore, An vero vir ampliſsimus P. Scipio Pontifex Max. Tib. Gracchum mediocriter labectantem ſtatum Reip priuatus interfecit, Catilanum vero orbem terræ cæde atque incendijs vaſtare cupientem, nos conſules perſemus? Virgilius. 1. in Cat.

*Lachrymisq. coacti* lib. 2. Aen.
*Quos neque Tydides, nec Lariſeus Achilles*
*Non anni domuere decem, non mille carinæ,* Horatius.
*Nam cur*
*Quæ lędunt oculos feſtinas demere, ſi quod* lib. 1. Ep.
*Eſt animum differs curandi tempus in annum.*

Cicero pro Lege Man. Illi libertatem ciuium imminutam non tulerunt; vos vitam ereptam negligetis? ius legationis verbo violatum illi perſecuti ſunt, vos legatum populi R. omni ſupplicio interfectum, inultum relinquetis? A pari, vt.

*Si te Carthaginis altæ*
*Phœniſſam Libycæq. aſpectus detinet vrbis*
*Quæ tandem auſonia teucros conſidere terra*
*Inuidia eſt, & nos fas extera quærere regna.* lib 4. Aen.

Qui ob rem iudicandam pecuniam accepit, & ob dicendum falſum teſtimonium accipiet. Eiuſdem eſt & eripere contra Remp. & largiri pecunias. Differt ab exemplo comparatio, quoniam exemplum eſt comparationis ſpecies, nam multæ comparationes ſunt, quæ non ſunt exempla, vt illud L. Craſsi contra Philippū, Ego te conſulem putem cum tu me non putes conſularem? Quintilianus, Tu ſi tribunus eſſes, hoc feciſſes? ſi miles, hoc tuliſſes. Cicero pro Milone, Facere enim probus adoleſcens periculoſe, quam perpeti turpiter maluit. Exemplum vero comparatio quædam eſt, vt illud Lucani.

*Nec longe factorum exempla petantur,*
*Fraterno primi manduerunt ſanguine muri.*

Rhodulphus Agricola comparationem a ſimilitudine ſic diſcreuit; quod comparatio ſit, cum duo vel plura ſic inter ſe conferuntur, vt in tertio aliquo, quod commune ſit eis, vel quaſi commune, conueniant;

vt ſi

vt, ſi Catoni licuit bellum ciuile ſequi, licuit etiam Ciceroni. Similitudo vero cum duo ſic inter ſe conferuntur, vt quemadmodum hoc in iſto, ſic illud etiam ſe habeat in illo; vt apes mellis ſaporem ex multis floribus conficiunt, ita eloquentia pluribus conſtat ſcientijs. Mihi magis placet ea diſtinctio, quod exempla proprie comparationesq; tantum ad homines & ad hominum res & facta pertinent; Similitudines autem ad res omnes tã inanimitas, quam animatas, vt lõge ſit amplior ſimilitudo, quam comparatio proprie dicta. Nam communiter omnis ſimilitudo dicitur etiam comparatio, & contra. Quo fit vt ſi communiter loqui velimus, nulla ſit inter cõparationem & ſimilitudinem differentia; ſi proprie, comparatio tantum ad homines referatur, vt ab exemplis ſupra poſitis intelligi poteſt.

## Vt definitio, vt contrarium, ut ea, quæ ſunt ipſi, contrarioue eius, aut ſimilia, aut diſſimilia, aut conſentanea, uel diſſentanea.

Hunc locum nemo hactenus interpretatum, quod ſciam, intellexit. Nam Valla putat Ciceronem locos ſupra poſitos breuiter tractare, quod ineptum eſſet in tanta breuitate, ſupra enim locorum tantum nomina poſuit. Catomius putat, hæc eſſe tanquam exempla locorum, ſupra poſitorum, quemadmodum etiam ante dixit Cicero, diuinum teſtimonium eſt, vt oracula, vt auſpicia, vt vaticinationes: ſed quam ridiculum eſſet, ſi quis ita diceret, definitio eſt, vt definitio, contrarium eſt, vt contrarium? eſt enim abſurdum idem per idem exponere. Strebæus putat hos nõ eſſe veros locos, ſed locorum ſimilitudinem habentes. Eſt.n. aliqua vera definitio, de qua ſupra dictum eſt; eſt ẽt quæ re vera non eſt definitio, ſed vt definitio, hoc eſt quæ definitionis ſpeciẽ habet, licet reuera non ſit definitio, atq; ita de alijs ſentit. Sed hæc interpretatio, ideo falſa eſt, quia nõ tã exquiſite rhetores locos tractãt, vt dialectici; ſed quicquid definitionis ſimilitudinem habet, id vocant definitionem, etiã ſi non ſit vera definitio, vt non ſit opus duos locos facere, quorum alter dicatur Definitio, alter, vt Definitio. Quid ergo? quomodo nos locum hunc interpretabimur? equidem exiſtimo continuandam eſſe cum ſuperiore loco ſententiam, vt ſignificare velit Cicero, comparationem omnes fere locos peragrare, vt ſit ſenſus, Alia ex comparatione maiorũ, aut parium, aut minorum, vt definitio, vt contrariũ, & reliqua; hoc eſt alia vocantur argumenta & comparatione, vt quãdo definitio cũ definitione comparatur, aut contrarium cũ contrario, aut ſimile cũ ſimili, & ita de reliquis. Vt hæc omnia, quæ deinceps enumerantur, ad vnum cõparationis locum pertineãt, quem

& in Topicis, & alio loco, & hic, locorum affectorum poſtremum facit. Non eſt autem dubium, quin in comparatione ponantur aliquando & definitiones, & contraria, & ſimilia, & cætera quæ hic ponuntur, vt docet Ariſtoteles, & ipſe Cicero in Topicis. Quam interpretationem meam adiuuant ea verba Ciceronis, quæ in extrema parte huius loci ponuntur, cum ita inquit: In quibus aut naturæ rerum, aut facultas comparantur. Cum enim in comparatione definitiones ponuntur, tunc naturæ rerum inter ſe comparantur; cum autem contraria, vel ſimilia, vel cauſæ adhibentur, tunc comparantur facultates. Interdum igitur ad comparationis locum definitio refertur. Vt Quemadmodum Rhetorica eſt bene dicendi ſcientia, ita Dialectica bene iudicandi; Sicut optimates ij dicuntur, qui conſilia ſua optimo cuiq; probari volunt: ita populares, qui populi ſalutem curant. Melius eſt diuinarum atque humanarum rerum ſcientiam habere, quam polite loqui; ergo Philoſophia Rhetoricæ præſtat. Huc refertur quæſtio de eodem, & altero, quę ad definitionem pertinet, vt Ariſtoteles eſt auctor, & per comparationem explicatur, vt Cicero pro M. Cælio. Sed aliud eſt maledicere, aliud accuſare; accuſatio crimen deſiderat, rem vt definiat, hominem, vt notet, argumento probet, teſte confirmet; Maledictio autem nihil habet propoſiti præter contumeliam, quæ ſi petulantius iactatur, conuicium, ſi facetius, vrbanitas nominatur. Idem pro Roſcio; Aliud eſt iudicium, aliud arbitrium, iudicium eſt pecuniæ certæ, arbitrium incertæ. Non idem rex eſt, & tyrannus, Rex enim is eſt, qui iuſtitiam, & leges plurimum valere vult, & non tantum ſuam, quam ſubditorum vtilitatem quærit: tyrannus autem eſt, qui contemptis legibus ad vtilitatem ſuam omnia refert, & pro libidine cuncta administrat. Quod autem quæſtio de eodem & altero ſub comparatione contineatur, auctor eſt etiam in Topicis Cicero. Vt non dubitandum ſit, quin interdum definitionis locus in comparatione ponatur. VT CONTRARIVM.) Sæpe etiam inter ſe contraria comparantur; vt Quemadmodum ſapor dulcis, guſtu iucundus eſt, ſic amarus eſt moleſtus; vt Laborioſus homo, quęcunque vult, efficit, ita ignauus nullum recte negocium exequitur. Sicuti melior eſt vir iuſtus, quam fortis, ita deterior eſt iniuſtus, quam ignauus. Longe vtilior eſt bonæ valetudini exercitatio, quam otium. Magis obeſt puerorum ingenijs patrum indulgentia, quam ſeueritas. VT SIMILIA.) Interdum aliqua cõparantur inter ſe, non alia de cauſa, niſi vt ſimilia videãtur. Vt adulter prodigo per quam ſimilis eſt, ambo enim pecunias temere profundunt. Cicero de Antonio. Quid intereſt vtrum hanc vrbem oppugnet, an huius vrbis propugnaculum? Forti vero ſimilior eſt audax, quam patiens. Nam patiens tantum ea, quę iam euenerunt, mala tolerat; audax vero ſine vllo timore venientibus periculis occurrit.

Lib 2. de Ora.

Li. 3. Top.

Philip. 5.

rit. VT DISSIMILIA.) Non eodem modo procurator fidem præſtare debet, quo tutor; neque enim procurator parentis loco eſt, ſicuti tutor. Non ex poetarum lectione tanta vtilitas percipitur, quanta ex libris philoſophorum. Nam poetæ iucundis fabellis oblectare ſolent; philoſophi vero vtiliſſima ad bene beateq; viuendum præcepta tradunt. CONSENTANEA.) Qui melior ciuis eſt, is etiam melius Remp. adminiſtrabit. Si Cæſar ſupplicantibus alijs pepercit, etiam Ligario ſupplicanti parcet. Si Stalenus in alijs iudicijs corruptus fuit, etiam in iudicio Cluentij corruptum fuiſſe veriſimile eſt. DISSENTANEA.) ſic inter ſe comparantur, ſi ægrotus *eſt Plato.* non poteſt eſſe bene coloratus. Si formoſa eſt mulier, & audax, pudica eſſe non poteſt. Hęc enim diſſentanea ſunt; eſſe ægrotum, & eſſe bene coloratum; eſſe formoſam, atque audacem, & eſſe pudicam.

*Aut ea, quæ ſunt quaſi coniuncta,*

Comparantur ea ſæpe inter ſe, quæ quaſi coniuncta ſunt, & rem vel antecedunt, vel cum ea cohærent, vel eam ſequuntur, cuius rei pulcherrimum eſt exemplũ apud Ciceronem illis verbis. Reſtat Iudices, vt hæc dubitemus, vter potius Sex. Roſciũ occiderit, is, ad quẽ morte eius diuitę venerint, an is, ad quem mẽdicitas; is, qui antea tenuis fuerit, an is, qui poſtea factus ſit egentiſsimus; is, qui ardens auaritia, feratur infeſtus in ſuos, an is, qui ſemper ita vixerit, vt quæſtum noſſet nullũ, fructum aũt eum ſolum, quem labore peperiſſet; is, qui omniũ ſectorũ audaciſsimus ſit, an is, qui propter fori iudiciorumq; inſolentiã non modo ſubſellia, verum etiã vrbem ipſam reformidat. Hæc.n. omnia, quæ ponuntur in hac cõparatione, quaſi coniũcta ſunt, & declarant vter magis culpę ſit affinis. Tale eſt illud, Audacior & cõfidentior is eſſe ſolet, qui inter militem & armatos aſsidue verſatur, quã qui vitam amat ruſticanam. Impudentior eſt mulier quæ frequenter cum viris familiariter loquitur, quam quæ virorum congreſſum fugit.

In or. pro Roſcio Am.

*Aut ea, quæ ſunt quaſi pugnantia inter ſe.*

Ea, quę ſunt inter ſe pugnantia, cum in comparatione ponuntur, magnam ſæpe vim habent, vt Cicero, tanto magis eſſe laudandum Octauium adoleſcentem ait, quod exercitum contra M. Antonium coegiſſet, quo minus, id ab eo expectabatur. Sunt enim hæc quaſi pugnãtia, Eſſe adoleſcentem, & exercitum contra ſummum imperatorem ex tempore cogere. Talia ſunt illa, Eo laudabilior, & admirabilior Themiſtoclis virtus imperatoria fuit, quo ille intemperantiorem egit adoleſcentiã. Tanto maiorem ignominiam ſubijt Demoſthenes, cum in conſpectu Philippi verba facturus, obmutuit, quanto præſtantior apud Athenienſes orator habebatur.

At

*Aut earum rerum, de quibus agitur, cauſæ.*

Sæpe etiam cauſæ rerum inter ſe comparantur, & præcipue in coniecturalibus controuerſijs, cum de facto quæritur. Vt pro Milone Cicero probat, multo plures cauſas habuiſſe Clodium, cur inſidias Miloni strueret, quã Milonem, cur Clodio inſidiaretur. Quid enim, inquit, odiſſet Clodium Milo ſegetem ac materiam ſuæ gloriæ, præter hoc ciuile odium, quo omnes improbos odimus? ille erat, vt odiſſet primum defenſorem ſalutis meæ, deinde vexatorem furoris, domitorem armorum ſuorum, poſtremo etiam accuſatorem ſuum. Ita in oratione pro Roſcio Am. docet, in Roſcio nullam fuiſſe cauſam, cur patrem interficeret, in accuſatoribus autem plurimas. Talia ſunt illa argumenta; Magis ciuilis belli Cato cauſa fuit, quam Pompeius, Cato enim Cæſari ſemper infeſtus fuit, & Pompeium etiam contra Cæſarem incitauit. Non Clodius auctor fuit, vt in exilium Cicero proficiſceretur, ſed Cæſar, qui Clodij conatibus auxilio fuit. Cicero in Antonium, Tibi certe confitendum, cauſam pernicioſiſsimi belli in tua perſona conſtitiſſe.

*Aut cauſarum euentus, id eſt, quæ ſunt effecta de cauſis.*

Euentus vel effecta ſi comparentur inter ſe, declarant quanta ſit inter cauſarum efficientium præſtantiam differentia. Nam cuius artificis opera præſtantiora ſunt, & pulchriora, is etiam melior haberi ſolet. Vt ſi Phidiæ ſimulachra ſtatuæq;, Lyſippi ſtatuis antecellunt; ergo Phidias Lyſippo melior artifex eſt. Si Demoſthenis orationes maiorem dicendi vim in ſe habent, quam orationes Ciceronis; ergo Demoſthenes in eloquentia Ciceroni præſtat. Huc ſpectat ea Cæſaris vox, quam emiſit, Pharnace Ponti Rege deuicto, O te felicem Pompeium, cui contigit, cum tam imbelli hominum genere dimicare. Nam hac voce declarauit, ſe præſtantiorem eſſe Imperatorem, quam Pompeius fuerit, quoniam ipſe Heluetios, Germanos, & Gallos, qui populi bellicoſiſsimi ſunt, deuicerat, Pompeius autem Aſiæ populos imbelles ſuperarat. Cicero in Piſonem res a ſe geſtas, & earum euentus, honoreſq; ac dignitates, quas adeptus fuerat, cum rebus a Piſone geſtis comparat, vt oſtendat ſe meliorem, & Reip. vtiliorem eſſe virum, quam eſſet ipſe Piſo. Idem pro lege Man. facta Pompeij cum reliquorum imperatorum factis comparat; Nam ea magis, inquit, ex aliorum contentione, quam ipſa per ſeſe cognoſci, atque intelligi poſſunt.

*Vt diſtributiones.* Lib. 4. ad Her.

Diſtributio eſt, vt ait Cornificius, cum in plures res, aut perſonas cer-

K tas

tas negotia quædam diſpertiuntur hoc modo. Accuſatoris officiũ eſt inferre crimina, defenſiones diluere, & propulſare. Cicero de Prouincijs conſularibus, Actum eſt de decem legatis, quos alij omninò non dabant, alij exempla quærebant, alij tempus differebant, alij ſine vllis verborum ornamentis dabant. Pro M. Cælio, Si voluit accuſare, pietati tribuo; ſi iuſſus eſt, neceſsitati; Si ſperauit aliquid, pueritiæ. In eadem, Sed iſtarum partium culpa eſt eorum, qui te agere voluerunt, laus pudoris tui, quod ea te inuitum dicere videbamus; ingenij, quod ornate politeq. dixiſti. Rurſus in eadem. Cum triſtibus ſeuere, cum remiſsis iucunde, cum ſenibus grauiter, cum iuuentute comiter, *cum* facinoroſis audacter, cum libidinoſis luxurioſe viuere. Eſt autem hoc genus quoddam comparationis, vt ſatis apparet, quod per diſtributionem fit. Vt, Sicuti Senatus officium eſt conſilio ciuitatem iuuare, ita magiſtratus opera, & diligentia conſequi Senatus voluntatem, populi vero, idoneos viros ſuis ſuffragijs eligere.

*Vt genera partium, generumuè partes.*

Ex comparatione generum inter ſe plerunque ſpecies, ſeu partes cognoſcuntur, ita etiam contra, ſi partes inter ſe comparentur, ſæpe genera dignoſcuntur. Vt, quemadmodum virtus, & vitium in genere qualitatis ſunt, ita etiam Sapientia, & ſtultitia, ſapientia enim virtutis pars eſt, ſtultitia vitij. Si belli duces vtiliores ſunt Reip. quam iuriſconſulti, L. Murena qui belli dux eſt, Seruio Sulpicio iuriſcõſulto eſt anteponẽdus. Hæc enim duo genera ſunt, duces belli, & iuriſconſulti; partes autem eorum ſunt ſinguli homines, qui fiunt belli duces, aut iuriſconſulti. Grauius peccatum eſt ſenis, quam adoleſcentis, Senex enim cum propter ætatem, quæ iam deferbuit, tum propter vſum rerum prudentior eſſe debet, adoleſcenti vero conceſſu omnium, datur aliquis ludus, & ipſa natura profundit adoleſcentiæ cupiditates. Itaq; maiori dignus eſt reprehenſione Cato cenſorius, qui iam octogenarius puellam liberti ſui filiam vitiauit, quam Cælius, qui florenti ætate Clodiæ amoribus deditus fuit. Hoc enim argumentum ex comparatione ſenum & adoleſcentium ductum eſt, quæ duo ſunt hominum genera; partes autem ſunt, Cato, & Cælius. Nam apud Oratores quicquid multa complectitur, genus dicitur, etiam ſi illa, quæ continentur, ſingularia ſint, & indiuidua, vt Murena, Seruius, Cato, Cælius; quæ vero continentur, partes appellantur. Cicero cum probare
li.1.de of. velit, multas res vrbanas maiores clarioresq. quam bellicas fuiſſe, commemorat Solonis vrbanum factum, quo Areopagitas conſtituit, & illud cum victorijs Themiſtoclis comparat, & Lycurgi leges cum Pauſaniæ Lyſandriq. rebus geſtis confert, itaque ex partium collatione, probat id, quod in genere poſuerat. Quare licet vel ex gene-

rum

rum comparatione de partibus aliquid concludere; vel contra, ex contentione partium, de generibus concludere, quæ volumus.

## Vt primordia rerum, & quaſi præcurrentia, in quibus ineſt aliquid argumenti.

Quæ rem præcedunt, eius quaſi primordia ſunt, inter ſe collata, nobis interdum argumentandi facultatem præbent; ſunt enim tanquam *præiudicia* quædam: hoc argumentandi genere copioſiſsime Cicero vtitur in ea oratione, quę Diuinatio inſcribitur, vbi ſe cum Cæcilio comparat, & oſtendit ſe longe meliorem Verris accuſatorem futurum, quam Cæcilium; quod ipſe magno ſtudio a pueritia in arte dicendi elaboraſſet, quod in foro iudicijsq; ita verſatus eſſet, vt eiuſdem ętatis, aut nemo, aut pauci plures cauſas defendiſſent, & omne tempus, quod ſibi ab animorum negocijs daretur, in ſtudijs laboribusq; conſumeret, quo paratior ad vſum forenſem promptiorq; eſſe poſſet; cum interium Cæcilius nihil laboraſſet, nihil de ijs ſtudijs cogitaſſet. Nam hæc, quibus ſe ſtuduiſſe dicit, ſunt primordia boni oratoris, & quaſi præcurrentia, ad fortem & conſtantem accuſatorem. Talia ſunt illa argumenta; Cæſar in bello ciuili ſuperior ea de cauſa fuit, quod robuſtiores & magis ueteranos milites habebat, quam Pompeius. Cicero non alia de cauſa Cæſare fuit eloquentior, niſi quia Cæſar rei militari magis ſtuduit: Cicero autem magno ſtudio fere quotidie in dicendi ratione ſe exercuit.

## Vt rerum contentiones, quid maius, quid par, quid minus ſit, in quibus, aut naturæ rerum, aut facultas comparantur.

In comparationis loco ſpectantur rerum contentiones, ex quibus intelligitur, quid ſit maius, quid par, quid minus. Comparantur autem inter ſe naturæ rerum, vt ſciri poſsit, quæ melior, & quæ deterior natura ſit: & facultates, vt quæ res maiorem vim habeat, quę parem, quę minorem. In natura ſpectatur numerus & ſpecies. Numero ſic comparantur, vt plura bona paucioribus bonis anteponantur, pauciora mala malis pluribus. Specie comparantur, vt quæ propter ſe expetenda ſunt, ijs, quę propter aliud, anteponantur; Honeſta vtilibus, procliuia laborioſis; neceſſaria non neceſſarijs; In facultate ſpectatur vis & affectio. Vis in comparatione ſic cernitur, efficiens cauſa grauior, quam non efficiens. Quæ ſeipſis contenta ſunt, meliora, quam quæ egent alijs; ſtabilia, incertis. Affectio, vt principum commoda maiora,



Digitized by Google

quam reliquorum; quæ iucundiora; quæ pluribus probata; quæ ab optimo quoque laudata. Parium vere comparatio, nec elationem habet, nec ſubmiſsionem, eſt enim æqualis. Sed hæc Ariſtoteles copioſe
li. 3. Top. pertractat. Exempla poſſunt hæc eſſe; primo quid maius. Ferrum auro multo vtilius eſt, quoniam eo pluribus in rebus, quam auro vtimur: ſecundo quid minus, Philoſophi ſunt iuriſconſultis inferiores; quoniam vitam ſolitariam amant, & ſibi tantum ſtudent; iureconſulti autem ciuibus auxilio ſunt, & Remp. iuſte adminiſtrant. Tertio quid par. Non minus debent Athenienſes Soloni, qui leges condidit, quam Themiſtocli, qui patriam ſeruauit. Sed a Cicerone *ſumamus* exempla, quæ frequentiſsima ſunt, vt, A maiori pro Cor. Balbo, Etenim cum pro ſua patria pauci poſt genus hominum natum reperti ſunt, qui nullis præmijs propoſitis, vitam ſuam hoſtium telis obiecerint, pro aliena Rep. quenquam fore putamus. Qui ſe opponat periculis, non modo nullo propoſito præmio, ſed etiam interdicto? A minori, vt in eadem oratione; Cum græci homines, ſpectati viri, noluerint religione videri potius, quam veritate fidem eſſe conſtrictam, vos, etiam in ipſa religione & legum & fœderum conſeruanda, qualis fuerit Gn. Pomp. dubitabimus. A pari, vt in eadem, Quod ſi ciui romano licet eſſe Gaditanum, ſiue exilio, ſiue poſtliminio, ſiue reiectione huius ciuitatis, quid eſt quamobrem ciui Gaditano in hanc ciuitatem venire non liceat?

C. F. omnibus ne igitur ex his locis argumenta ſumemus? C. P. immo uero ſcrutabimur, & quæremus ex omnibus: ſed adhibebimus iudicium, ut leuia ſemper reijciamus, nonnunquam etiam communia prætermitamus, & non neceſſaria.

Poſtquam enumeratos a patre locos, & argumentorum ſedes, Cicero filius audiuit; nunc petit, an oporteat ſemper ex omnibus argumenta ſumere; hoc eſt, cum de aliqua re diſputare volumus, an ſemper opus ſit locos omnes perſcrutari, & videre, quæ argumenta poſsint ex eis erui, ad probandam rem propoſitam. Et reſpondet pater opus quidem eſſe ſcrutari, & quærere argumenta ex locis omnibus, ſed tamen id eſſe cum iudicio faciendum. Tria ſunt enim argumentorum genera, quæ vel nihil, vel parum admodum in cauſis proſunt, hoc eſt, Leuia, communia, & non neceſſaria. Leuia dicuntur, quæ probandi vim non habent; vt, Erucius dicebat a Roſcio patrem interfectum fuiſſe, propterea quod eum pater rus ablegarat, hoc eſſe leuiſsimum Cicero oſten-

Digitized by Google

oſtendit. Itaque hoc genus ab oratore prorſus eſt reijcienudm, quoniam ab aduerſarijs, atque etiam a iudicibus cõtemnitur. Communia dicuntur, quibus etiam aduerſarij poſſunt vti, atque in nos retorquere; vt idem Erucius dixerat, a Roſcio filio patrem interfectum co tempore, quo magna erat impunitas gladiorum; hoc in accuſatores Roſcij Cicero retorquet, quod eſſent ſicarij, & audaciſsimi homines. Quare debet orator etiam hæc argumenta, quæ communia ſunt prætermittere. Non neceſſaria dicuntur illa, quæ concluſionem neceſſariam non habent, etiam ſi vera ſint, vt eum, qui domi fuit, furtum feciſſe. Vt Ciceronem mortis Cæſaris & coniurationis in eum fuiſſe conſcium, quod M. Brutus pugionem, quo Cæſarem trucidarat, cruentum tenens, Ciceronem nomine compellaſſet; hæc interdum ſunt omittenda quando parum adiuuant, interdum adhibenda, quando multa ſimul concurrunt. Nam quamus ſingula parum firma ſint, tamen conglobata, & coaceruata valent. Sicut etiam communia quãdoque propter multitudinem vim habent maximam. Imitabitur autem orator bonum imperatorem, qui cum delectum militum habet, pueros & ſenes reijcit; eos autem, qui virili ſunt in ætate conſtituti, potiſsimũ eligit. Deinde quos fortiſsimos eſſe intelligit, eos in cornibus, & a fronte, atque a tergo collocat, infirmiores autem in medio ſtatuit, vt vel inuiti pugnare compellantur. Quod ordinis & diſpoſitionis genus, apud Homerum Neſtor vehementer approbat. Sic orator initio confirmationis ſuæ, ſemper aliqua firmiſsima collocare debet argumenta, ita etiam in fine, ſed in medio poterit etiam leuiora, & non neceſſaria plerunque ponere, quæ a circumſtantibus probandi uim accipient. Quoniam igitur Cicero præcipit, vt ſcrutemur, & quæramus ex omnibus locis argumenta; uideamus quomodo id facere poſsimus, in aliquo propoſito themate, ut ſi probandum ſit hoc: Philoſophiæ danda eſt opera, vel Philoſophia eſt expetenda. Primum igitur a Philoſophiæ definitione ſic argumentari licet. Rerum diuinarum atque humanarum cognitio, quæ noſtros animos perficit, magnopere eſt expetenda; ſed Philoſophia nihil aliud eſt, quam rerum diuinarum, & humanarum cognitio; quare philoſophia magnopere expetenda eſt, Ab enumeratione partium; Tria ſunt, quæ debent homines vehementer expetere, hoc eſt prudenter loqui, honeſte ſe gerere, & rerum cauſas intelligere; ſed hæc omnia ſola philoſophia docet; igitur philoſophia vehementer eſt expetenda. A Notatione verbi; ſapientię ſtudium maxime laudabile eſt, & expetendum; ſed philoſophia nihil aliud ſignificat, quam ſapientiæ ſtudium; ergo philoſophia laudabilis eſt, & expetenda. A coniugatis, Res quædam præclara eſt, & oratione, & vita philoſophari, vt mores honeſti probatæ orationi reſpondeant;

deant;

deãt;itaq; ſi quis,& viuere & loqui philoſophicę cupit;is philoſophię det operam oportet. A genere; Liberalibus quidem ſcientijs omnibus incumbendum eſt,ſed ijs præcipue,quæ reliquis antecellunt;philoſophia vero quaſi regina eſt optimarum artium : quamobrem ei potiſsimum eſt incumbendum. A forma; Si ciuilis ſcientia,quæ ſpecies quædam eſt,& pars philoſophiæ,propterea,quod magnos honores,& vtilitates affert, tantopere eſt expetẽda; quanto magis vniuerſa philoſophia expeti debet, quæ non tantum ciuilem ſcientiam , ſed etiam alias multas egregias artes continet ? A ſimilitudine , Quemadmodum ea ſtudioſe quærimus, quibus corpus adiuuatur & exornatur;ita etiam philoſophiam ſtudioſe amplecti debemus, quæ plurimum animum adiuuat,& exornat. A differentia, Non vt diuitiarum, ſic etiam philoſophiæ poſſeſsio eſt; nam diuitias auferre nobis facile fortuna poteſt; Philoſophiæ vero firma eſt, & ſtabilis poſſeſsio; multo igitur magis philoſophiæ , quam diuitijs operam dare debemus . A contrario, Inſipientia totis viribus fugienda eſt, quare, philoſophiæ danda opera eſt, quæ ſapientiam præſtat. A coniunctis,Præclarum eſt ſumma cum animi trãquillitate viuere,ea contemnere,quæ cæteri mirantur,nemini nocere,prodeſſe quamplurimus; hæc autem philoſophicę vitæ coniuncta ſunt; igitur philoſophiæ danda eſt opera . Ab antecedentibus, Si philoſophia magnum eſt animi ornamentum & perfectio; vehementer expetenda eſt;eſt autem philoſophia magnum animi ornamentum & perfectio ; expetenda igitur. A conſequentibus; Si Philoſophia non eſt expetenda,aut damnum aliquod affert hominibus,aut nihil prodeſt; ſed nullum damnum affert,& plurimum prodeſt; igitur eſt expetenda. A repugnantibus; Non ſi honeſta & vtilis eſt philoſophia, non eſt expetenda, repugnat enim aliquid eſſe honeſtum & vtile, & id non eſſe expetendum;eſt autem philoſophia honeſta & vtilis; expetenda igitur. A cauſis, hoc eſt ab efficiente & fine; cum omnes homines naturæ ipſius inſtinctu bene beateq; viuere cupiant, & felicitatem conſequi, id autem Philoſophiæ ſtudium præſtare poſsit ; quis eſt qui philoſophiæ non operam magnam dandam eſſe cenſeat? Ab effectis, Philoſophia eſt vitæ dux, virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum, quæ nobis tranquillitatem vitæ largitur; & terrorem mortis aufert; totis igitur eam viribus amplecti debemus . A comparatione, Si tanto ſtudio diuitias accumulare ſtudemus, quæ momento temporis amitti poſſunt, neque nos meliores efficiunt; quanto magis philoſophiæ ſtudendum eſt,quam nemo nobis eripere poteſt, & bonos ac beatos efficit? Ab exemplo, quæ ſpecies eſt comparationis,vt antea docuimus; Pythagoras,Democritus, Plato plurimiq; alij diuerſas mundi regiones magno cum vitæ diſcrimine peragrarunt, philoſophiam vt diſcerent; nos domi noſtræ quieti

atque

Digitized by Google

atque ſecuri philoſophiæ operam non dabimus? Hoc igitur modo ſcrutabimur, & quæremus ex omnibus locis argumenta; quinetiam ab ijs, quæ aſſumuntur extrinſecus, quæ teſtimonia vocantur, poſſumus hoc idem affirmare. A diuino teſtimonio, Socrates, quia moralis philoſophiæ fuit auctor, & illi maxime deditus, ab Apollinis oraculo ſapientiſsimus omnium iudicatus fuit; igitur vt ſapientes habeamur, philoſophiæ eſt incumbendum. Ab humano teſtimonio, Plato ait, Nullum bonum optabilius philoſophia, nullum præſtantius, neque datum eſſe mortalium generi deorum conceſſu, neque datum iri; quapropter maiorem in modum eſt expetenda philoſophia. Iam ſatis conſtat qua ratione ſint ex locis argumenta ducenda, quod enim nos in vno themate ſiue pronunciato fecimus, idem etiam in alijs fieri poteſt. Quod ſi non omnes loci cuilibet pronunciato conueniant, plures tamen ſemper conuenient; vt ei, qui locos in promptu habeat, nunquam omnino ſint in re qualibet, argumenta defutura.

C. F. Quoniam de fide reſpondiſti, volo audire de motu C. P. loco tu quidem quæris, ſed planius quod vis explicabitur. cum ad orationis ipſius, quæſtionumq. rationem venero.

Quoniam duo dixerat eſſe, quæ orator quærere debet, hoc eſt, quemadmodum fidem faciat eis, quibus volet perſuadere; & quemadmodum motum eorum animis afferat, iamque de primo ſatis dixit, & docuit, quibus rebus fides fit, conſequi videtur, vt doceat, quemadmodum motus animis afferatur. Hoc eſt quod filius ait, iam explicata ſunt, quæ ad fidem pertinent, ſupereſt vt de motu dicatur. Pater autem reiectione vtitur, vt de cauſa, & collocatione prius aliqua dicat, quæ verba reiectionis, ideo interponit, ne ordinem propoſitum confundere videatur. Nam filij quidem interrogationem probat, quod loco & tempore de motu velit audire, ſed tamen quæ ad motum attinent, ſe commodius tunc explanaturum ait, cum de oratione & quæſtione præcepta dabit. Hoc enim docendi ratio poſtulat, vt interdum aliqua differantur, & in opportunum tempus omittantur quod Horatius etiam poetis præcipit,

*Pleraque differat, & præſens in tempus omittat.*

C. F. Quid ſequitur igitur? C. P. cum inueneris, collocare, cuius in infinita quæſtione ordo eſt idem

fere,

ſere, quem expoſui, locorum. indeſinita autem adhibenda ſunt illa etiam, quæ ad motus animorum pertinent.

Prima rhetoricæ pars eſt inuentio, debet enim orator primo inuenire res veras, aut veriſimiles, quę cauſam ſuam probabilem reddant; & quæ rationes aduerſariorum refellant; deinde quæ inuenit, ordine diſponere, & collocare: quo fit, vt ſecunda rhetoricæ pars ſit *collocatio*, quæ duplex eſt, rerum, & verborum. Collocatio rerum proprie *diſpoſitio* vocatur, verborum autem collocatio vocatur *compoſitio*. De

Lib. 9. inſtitu. Ora.

qua Quintilianus multa dicit. Sed cum duo ſint quæſtionum genera, alterū infinitum, finitū alterū. In quęſtione infinita fides tantum quęritur, neque ad aliud quicquid reſpicitur, niſi vt probentur ea, quæ propoſita ſunt. Itaque debemus eum ordinem locorum ſequi, de quo ante iam diximus, vt primo definitionem eius rei, de qua diſſerendūm eſt, quæramus, deinde partes eius, tum verbi notationem, denique ea, quæ quodammodo ſunt affecta ad eam rem, de qua ſuſcepta eſt diſputatio, vt coniugata, genus, forma, & reliqua. Nam in quæſtionibus infinitis ſola probatio ſufficit, motus autem animorum, vel nunquam, vel certe rariſsime adhibentur. Et hæc eſt cauſa, cur Dialectici, Philophi, Mathematici, nunquam animos commouere, aut perturbare tentant, quia quæſtiones tantum generales, & infinitas tractant; Singularia vero & indiuidua tanquam incerta, & innumerabilia prætermittunt, quia comprehendi ſcientia non poſſunt. Quin artium fere omnium præcepta generalia ſunt, & communia, ſiue infinita, hoc eſt, non ad hanc tantum, aut ad illam rem pertinentia, ſed ad omnes, quæcunque ſunt eiuſdem generis. Cicero tamen in oratione pro Roſcio Am. videtur in quæſtione infinita voluiſſe animos commouere, cum in parricidas inueheretur. Sed in cauſis, & definitis quæſtionibus fere ſemper motus adhibentur, præſertim in exordijs, & perorationibus. Quamuis apud Areopagitas, & multis in ciuitatibus cautum eſſet, ne oratores animos cōmouere tentarent, vt ſcribit Ariſtoteles.

Li. 1. Rhe.

Verum Cicero & Quintilianus in hac vna re putant orationem maxime regnare, ſi animos vehementer commoueat.

C.F. Quomodo igitur iſta explicas? C. P. Habeo communia præcepta fidem faciendi, & commouendi. quoniam fides eſt firma opinio, motus autem animi incitatio, aut ad voluptatem, aut ad moleſtiam

ſtiam, aut ad metum, aut ad cupiditatem, tot enim ſunt motus genera, partes plures generum ſingulorum.

Cum oſtenderit Cicero pater, in cauſa & quæſtione definita non tantum fidem, ſed etiam motum adhibendum; nunc petit filius, quomodo hæc duo ſint explicanda, quaq. ratione ſimul & fides fieri, & motus adhiberi poſsit? cui reſpõdet pater vtriuſque rei communia quædam eſſe præcepta, licet ipſa differant inter ſe. Neque enim idem eſt fides & motus. Nam quorum definitiones ſunt diuerſæ, ipſa quoque inter ſe diuerſa ſunt. Sed fidei & motus diuerſę ſunt definitiones, nam fides ita definitur, Fides eſt firma opinio. Motus autem hoc modo. Motus eſt incitatio animi, aut ad voluptatem, aut ad moleſtiam, aut ad metum, aut ad cupiditatem. Definitio fidei conſtat ex genere & differentia, nam opinio, fidei genus eſt, firma vero, differentia. Definitio motus conſtat ex partium enumeratione. Quatuor enim tantum ſunt animorum incitationes, voluptas, moleſtia, metus, cupiditas, quamuis vnicuique harum motionum plures partes ſubijciantur, vt Cicero docet. Voluptas alio modo lætitia, & gaudium dicitur. Moleſtia dicitur etiam ægritudo, & mæror. Hæ perturbationes non ab animo, ſed a corpore naſcuntur, vt ait Virgilius. Li. 4. diſp. Tuſc. Li. 6. Aeneid.

*Igneus eſt ollis vigor & cæleſtis origo*
*Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,*
*Terreniq; hebetant artus moribundaq; membra,*
*Hinc metuunt, cupiuntq;, dolent gaudentq; nec auras*
*Reſpiciunt clauſæ tenebris & carcere cæco.*

Vbi Seruius ait, Varronem & omnes Philoſophos exiſtimare quatuor eſſe perpeſsiones, duas a malis, & duas a bonis opinatis. Nam dolere & timere duæ ſunt opiniones malæ, vna præſentis, altera futuri temporis; Gaudere & cupere duæ ſunt opiniones bonæ, vna præſentis, altera futuri. Quo fit vt hæ opiniones temporibus diſtribuantur, & duæ ſint præſentis temporis, duæ vero futuri. Præſentis temporis ſunt voluptas & moleſtia; futuri ſunt metus & cupiditas. Ergo voluptas eſt opinio boni præſentis, quo animus gaudet & lætatur, vnde etiam gaudiũ & lætitia, & iucunditas, & delectatio vocatur. Moleſtia eſt opinio præſentis mali, quo animus dolet & contriſtatur, ideo dicitur etiam dolor & triſtitia, & mæror, & ægritudo. Cupiditas eſt opinio futuri boni, quod animus ſperat & deſiderat, atque ideo vocatur etiam ſpes & deſiderium, & libido. Nam hoc loco Valla decipitur, qui putat a Cicerone voluptatem pro ſpe poſitam eſſe, quod omni



Digitized by Google

prorſus ratione caret. Metus eſt opinio futuri, quod animus timet, ne accidat, & timor, & formido etiam appellatur. Hos Stoici volunt eſſe quaſi morbos animi, & ſapientem eis carere. Nam in opinione eſſe volunt, & contra naturam; ſed Academici & Peripatetici naturales dicunt hos motus, & vtiliter nobis a natura datos. Nam Plato animum in duas partes diuidit, alteram rationis participem, alteram expertem. In participe rationis ait eſſe tranquillitatem placidamq; conſtantiam, in illa altera motus turbidos, tum iræ, tum cupiditatis, tum aliarum perturbationum, qui contrarij ſunt, atque inimici rationi, ſed de his Cicero copioſe quarto Tuſculanarum libro diſputat. *FIRMA OPINIO.*) Ex hoc loco facile refellitur Laurentius *Valla*, & eius adſtipulator Longolius, qui putant a Chriſtianis nõ recte, neque latine fidem dici, pro illi perſuaſione, quam habemus de chriſtiana religione. Nam ſi perſuaſio, quod ait Valla, pro certa opinione, atque ſentẽtia ponitur, & fides, vt ait hoc in loco Cicero, eſt firma opinio, ſequitur vt fides ſit idem, quod perſuaſio, cum eandem habeat definitionem; & apud Latinos, idem eſt fidem facere, & perſuadere, quod mirum eſt a Valla non fuiſſe animaduerſum.

Valla lib. 5. cap. 30.

Omnem collocationem ad finem accommodo quæſtionis. nam eſt in propoſito finis, fides in cauſa, & fides, & motus. quare cum de cauſa dixero, in qua eſt propoſitum, de vtroque dixero.

Quia dixerat ſe præcepta quædam habere communia fidem faciendi, & commouendi; nunc oſtendere vult ea præcepta proprie ad cauſas pertinere. Cum enim omnis collocatio ſit ad quæſtionis finem accommodanda, & Propoſitum, hoc eſt infinita quæſtio, in eo differat a cauſa, quod in propoſito ſatis eſt probare, & fidem facere; in cauſa vero & quæſtione finita, non tantum fidem facere, ſed etiam animos mouere oportet; ſi quis bene intelligat, quomodo cauſa ſit tractanda, idem etiam ſciet, quomodo tractandum ſit propoſitum. Omnis igitur collocatio eſt ad finem quæſtionis accommodanda; finis autem quęſtionis infinitæ eſt fides; finis cauſæ, eſt fides, & motus, ergo omnis collocatio eſt accommodanda ad fidem, & motum. Hic quęri poteſt, quare dicat Cicero propoſitum eſſe in cauſa? cum potius contrarium eſſe videatur. Nam propoſitum idem eſt, quod infinita quæſtio, quæ eſt multo latior, quam cauſa, multoq; plura cõtinet, & eſt tanquam totum; Cauſa vero eſt tanquam pars. Sed totum nequaquam recte dicitur eſſe in parte, verum pars eſſe in toto recte dicitur. Eodem igitur modo videtur non recte dici propoſitum, quod totum quoddam eſt,

in cau-

in cauſa eſſe, quæ eſt pars, ſed potius cauſam eſſe in propoſito, vt pars in ſuo toto. Cur igitur dixit Cicero propoſitum eſſe in cauſa? duobus modis hæc quæſtio ſolui poteſt: Primo, quia nulla cauſa probari plene poteſt, niſi ad propoſitum referatur. Et hoc eſt quod in Oratore ad Brutum ait Cicero, excellentem oratorem ſolere ſemper cauſam, quam tractat, ad infinitam quæſtionem traducere, quia latius licet de genere diſputare, & quod in genere probatum fuerit, id etiam in parte probari neceſſe eſt. Quoniam igitur in cauſa propoſitum etiam tractatur, & adiungitur, tanquam id, vnde vis omnis probationis manat, *ideo dixit* Cicero propoſitũ in cauſa eſſe. Deinde quia genus in definitione ſpeciei poni ſolet, vt cum hominem definimus, dicimus eſſe animal particeps rationis, fit vt hac ratione genus ſit tanquam pars ſpeciei, quo modo etiam propoſitum erit pars cauſę. Nam ſiquis propoſito certas aliquas perſonas adiunxerit, ſtatim efficietur cauſa. Vt Propoſitum eſt, An ſit vxor ducenda? Cauſa, An ſit vxor Catoni ducenda. Ita Propoſitum eſt, An inſidiator iure poſsit interfici. Cauſa, An Clodius inſidiator iure poſsit interfici. Qua ſane ratione cauſa plura, quam propoſitum, complecti videtur, quia certas perſonas propoſito adiungit, & hoc modo propoſitum eſſe in cauſa dicitur. Bene igitur dixit Cicero, quæ de cauſa dicuntur, etiam ad propoſitum pertinere; & qui bene cauſam tractare nouerit, eundem etiam recte propoſitum tractaturum.

C. F. Quid habes igitur de cauſa dicere? C. P. Auditorum eam genere diſtingui. nam aut auſcultator eſt modo, qui audit, aut diſceptator, ideſt rei ſententiæque moderator, ita vt delectetur, aut ſtatuat aliquid. Statuit autem aut de præteritis, vt iudex, aut de futuris, vt Senatus. Sic tria ſunt genera, iudicij, deliberationis, exornationis: quæ quia in laudationes maxime confertur, proprium habet iam ex eo nomen..

Iam ad cauſas tranſit, & eas in tria genera partitur, hoc eſt iudiciale, deliberatiuum, & demonſtratiuum, licet his uocabulis ipſe non utatur. Sic autem probat eſſe tria cauſarum genera. Cauſæ coram auditoribus aguntur, itaque quot auditorum genera ſunt, tot ſunt etiam genera cauſarum. Sed qui audiunt, aut tantum auſcultatores ſunt, aut diſceptatores, qui de re, quæ tractatur, ſentẽtiam fere poſsint. Au-

ſcultatores delectationem tantum quærunt. Diſceptatores uero ſtatuunt aliquid, uel de præteritis rebus, ut iudices ſolent, uel de futuris, ut Senatus, & qui deliberant. Hoc modo ſunt tria genera cauſarum, unum, quod ad auſcultatores pertinet, quam Cicero exornationem uocat, & quia in eo laudare maxime ſolemus, ideo laudatio etiam uocatur; alterum, quod pertinet ad iudices, quod iudicium appellatur. Tertium, in quo de futuris ſtatuitur, & dicitur deliberatio. Auſcultator eſt modo, ideſt, tantum auditor, ut nihil de re ſtatuat. Eſt tamen aliqua inter auditorem, & auſcultatorem differentia, nam auſcultator eſt, qui diligenter audit. Multique audiunt, ſed non auſcultant, apud Gellium Cato, ita eſt cupidus orationis, ut conducat, qui auſcultent, itaque auditis non auſcultatis, tanquam pharmacopolam. Cicero primo de Diuinat. Magis audiendum, quam auſcultandum cenſeo. Diſceptator quid ſit, declarat ipſe Cicero, cum addit, ideſt rei ſententiæque moderator. Eſt enim is diſceptator, qui auditis vtriuſque partibus, ſuam de re tractata ſententiam fert. Et, Diſceptare controuerſias eſt lata ſententia finire, quod etiam decidere dicitur. Hanc partitionem cauſarum omnes fere boni ſcriptores ab Ariſtotele acceptam ſecuti ſunt, vt ait Quintilianus. Quamuis apud Ciceronem. Marc. Antonius duo tantum genera faciat, hoc eſt iudiciale, & deliberatiuum. Nam laudationem, per ſe non eſſe genus cenſet, verum cum illis duabus commiſceri. Quintilianus duabus rationibus eſſe tria genera probat hoc modo, omne oratoris officium, aut in iudicijs eſt, aut extra iudicia. Eorum, de quibus iudicio quæritur, manifeſtum genus eſt, ea, quæ ad iudicem non veniunt, aut præteritum habent tempus, aut futurum, præterita laudamus, aut vituperamus; de futuris deliberamus. Hæc eſt prima ratio. Deinde ſubiūgit alteram hoc modo. Omnia de quibus dicendum eſt, aut certa ſint neceſse eſt, aut dubia; certa, vt cuique eſt animus, laudat, aut culpat: ex dubijs partim nobis ipſis ad electionem ſunt libera, de his deliberatur, partim aliorum ſententiæ commiſſa, de his lite cōtenditur. Ariſtoteles vocat hæc tria rhetoricæ genera, quoniam in ſingulis tota rhetorica verſatur, hoc eſt uis oratoris, oratio, quæſtio. Noſtri potius genera cauſarum vocare voluerunt; quoniam oratores ſoli cauſas forenſes, & ciuiles tractant. Iudiciale genus græcè δικανικὸν vocatur, in quo eſt actor, & reus, & accuſationem, atque defenſionem continet, vel petitionem, & recuſationem. Ad hoc genus referuntur reprehenſiones, obiurgationes, comminationes, excuſationes, purgationes. Deliberatiuum vocatur etiam ſententiæ dictio, & ſententia, & conſilium, & a Quintiliano ſuaſorium, græcè συμβουλευτικὸν, & continet ſuaſionem, & diſſuaſionem. Ad hoc deducuntur conſolationes, exhortationes, petitiones, commendatiæ literæ. De-

Lib 5. cap. 15. 100.

In Tuſcu. pro diiudicare.

Lib. 3. Lib. 2. de Orat.

mon-

monſtratiuum, dicitur etiam exornatio, & laudatio, & à Quintiliano laudatiuum græcè ἐπιδεικτικὸν continet laudem, & vituperationem. Ad hoc referuntur gratiarum actiones, funebres orationes, Epitaphia, orationes nuptiales. Copioſum autem hoc genus eſt, & in omnia dicendi genera ſpargitur. Iudicialis generis apud Ciceronem multæ ſunt orationes, vt actiones in Verrem, pro Milone. pro Roſcio, pro Murena. Deliberatiui etiam multæ, vt omnes fere philippicæ, pro lege Man. in Catilinam. Demonſtratiui pauciores, quia raro hoc genus per ſe tractatur, tamen huc refertur illa, quam habuit in Senatu poſt reditum, & quam habuit ad Quirites, quæ gratiarum actiones continet. Item ſecunda Philippica, quæ in vituperatione verſatur, & in Piſonem. Sunt aliquæ mixtæ, vt pro lege Man. quæ Pōpeij laudes complectitur. Vt nona Philippica in qua Ser. Sulpicium laudat. Quin omnibus cauſis iudicialibus admiſcetur laus & vituperatio; vt pro Milone vehementer extollit, ac laudat Milonem, Clodium autem deprimit, & acerrime vituperat. Itaque recte ſenſit Iſocrates, qui, vt Quintilianus auctor eſt, in omni genere ineſſe laudem ac vituperationem exiſtimauit. Poteſt aūt quæri, cum in demonſtratiuo genere non minus vituperatio ſit, quam laudatio, cur proprium nomen a laudatione ſumat. Vt ait hoc loco Cicero. Et hanc quæſtionem ipſe Cicero ſoluere videtur, cum ait, Quia in laudationes, maxime confertur. Semper enim ab eo, quod maxime excellit in aliqua re, tota res appellatur, frequentius autem in publicis orationibus laudare, quam vituperare conſueuimus. Et hoc genus ideo repertum eſt, vt excellentes viri, qui rerum geſtarum gloria floruerunt, dignis laudibus exornarentur, vnde etiam exornatio dicitur.

C. F. Quas res ſibi proponet in iſtis tribus generibus orator? C. P. Delectationem in exornatione, in iudicio aut ſæuitiam, aut clementiam iudicis, in ſuaſione autem aut ſpem, aut reformidationem deliberantis.

Expoſitis tribus cauſarum generibus, nunc quærit quid in ſingulis orator ſibi proponere debeat, vt audientium animos moueat. Duo ſunt enim in vnoquoque genere fines, alter, qui ad genus ipſum pertinet, de quo poſtea ſuo loco dicetur; alter, qui ad motus animorū adhibentur, de quo nunc verba facit; vt in demonſtratiuo genere, finis, qui ad ipſum genus refertur, eſt honeſtas, vt infra docebit: finis autem, qui ad motus animorum accōmodatur, eſt delectatio: in iudiciali genere

li genere finis ipſius generis eſt æquitas; finis mouendi eſt in accuſationibus ſæuitia; in defenſionibus clementia; in deliberatiuo finis generis eſt vtilitas; finis mouendi eſt in ſuaſionibus ſpes: in diſſuaſionibus reformidatio. Ita ſunt in vnoquoque genere duo fines. Quorum vnus refertur ad fidem, & ad genus ipſum, alter ad motum, & ad iudices vel auditores. Hic igitur de illo fine agit, qui ad motum animorũ refertur. Ac primo ait in exornatione, hoc eſt in demõſtratiuo genere, oratorem ſibi delectationem proponere. Cum enim ij, qui tantum ſunt auſcultatores, de nulla re ſentẽtiam laturi ſint, niſi de *oratoris* ingenio & facultate; debet orator ſumma ope niti, vt au*ſcultatorũ* animis magnam delectationẽ afferat; ſic enim illi oratoris ingenium admirabuntur. Eſt enim hoc genus ad oſtentationem fere comparatum, itaque ſcatere debet omni floſculorum genere, & amplificationibus præcipue cumulari, quod admirabiliter Cicero facit in vtraque oratione poſt reditum ſuum. Prodeſt enim in hoc genere artem, & ingenium oſtendere, atque adeo oſtentare, cum in alijs generibus ſit ars occultanda, nam (vt ait Ouidius)

*Si lateat ars prodeſt, affert deprehenſa pudorem.*

Declarant autem res nouæ, magnæ, admirabiles, magnificæ, præclaræ, liberales, caræ, denique quicquid cum honeſtate coniunctum eſt. Nam demonſtratiui generis finis eſt honeſtas. Quid enim iucundius & ſuauius illa Ciceronis oratione: Quæ tanta poteſt exiſtere vbertas ingenij, quæ tanta dicendi copia, quod tam diuinum, *atque incredibile* genus orationis, quo quiſquã poſſit veſtra in nos vniuerſa *pro* merita, non dicam complecti orando, ſed percenſere numerãdo? qui mihi fratrem optatiſsimum, me fratri amantiſsimo, liberis noſtris parentes, nobis liberos, qui dignitatẽ, qui ordinem, qui fortunas, qui ampliſsimam Remp. qui patriam, qua nihil poteſt eſſe iucundius, qui denique noſmetipſos nobis reddidiſtis, & quæ ſequuntur. Nam tota eſt multo iucundiſsima. In iudiciali primo ſęuitia quæritur, quia prius eſt accuſare, quam defendere; tanto autem maior in reum ſæuitia cõcitatur, quanto pluribus ſceleribus infectus oſtenditur, vt in Verrem Cicero; Non enim furem, ſed raptorem, non adulterum ſed expugnatorem pudicitiæ, non ſacrilegum ſed hoſtem ſacrorum religionumq;, non ſicarium ſed crudeliſsimum carnificem, ciuium ſociorumq. in veſtrum iudicium adduximus. Contra vero in defenſionibus clementia comparatur virtutibus ipſius Rei commemorandis, & amplificandis, vt pro Milone: Vos in viri, & ciuis inuicti, appello periculo centuriones, voſq. milites, vobis non modo inſpectantibus, ſed etiam armatis, & huic iudicio præſidentibus, hæc tanta virtus ex hac vrbe expelletur, exterminabitur, eijcietur? & paulo poſt. Hunc ſua

quiſ-

quiſquam ſententia ex hac vrbe expellet, quem omnes vrbes expulſum a vobis ad ſe vocabunt? o terram illam beatam, quæ hunc virum exceperit, hanc ingratam, ſi eiecerit, miſeram, ſi amiſerit. In deliberatiuo, cum ſuademus, ſpem proponere debemus, quæ concitatur enumeratione commodorum, quæ ſucceſſura dicuntur, vt præmiorum, glorię, dignitatis, vtilitatis, aut contrariorum vitatione; vt pro lege Manilia Cicero ſuadet bellum contra Mithridatem ſuſcipiendum, quod ea ratione Romani ſint gloriam ſuam, ſalutem ſociorum, atque amicorum. Populi R. vectigalia, bona multorum ciuium conſeruaturi, *quæ omnia* commoda copioſe perſequitur. Contra in diſſuaſionibus metum, & reformidationem incutere debemus, incommoda proponendo, & damna; & ignominias, atque dedecora, vt Philippica decima tertia, Cicero pacem cum Antonio fieri diſſuadet, quod ea Reip. perniciosa ſit futura, quod maximum dedecus, & ignominiam ſit allatura, maximasq. calamitates importatura. Quod denique vel nulla, vel non diuturna poſsit eſſe. Duo vero hi motus ſpei & reformidationis, maximam omnium vim habent ad perſuadendum. Quantum enim vtilitatis & honeſtatis ſpes poteſt ad ſuadendum; tantum damni & turpitudinis formidatio ad diſſuadendum.

C. F. Cur igitur exponis hoc loco genera controuerſiarum? C. P. vt rationem collocandi ad finem cuiuſque accommodem.

Poſtquam expoſuit pater controuerſiarum genera, atque earum fines, qui ad mouendos animos pertinent; quærit cauſam filius, cur hoc in loco potiſsimum genera cauſarum exponantur; & ait pater ideo ſe feciſſe, vt melius collocandi rationem explicare poſsit, quæ ſolet ad finem cuiuſq; generis accommodari. Non enim eadem eſt in omnibus generibus collocatio; ſed aliam exquirit exornatio, aliã iudicium, aliã deliberatio. Quare nemo recte collocandi rationem intelliget, niſi qui prius cauſarum genera cognouerit; vt vnicuiq; generi ſuam collocationem attribuere poſsit, quo facilius finem propoſitum aſſequatur. Omnis enim inuentio, & collocatio, & denique omnis actio ad vnum aliquem finem dirigitur, cuius gratia fiunt omnia, quæ præcedunt.

C. F. Quonam tandem modo? C. P. Quia quibus in orationibus delectatio finis eſt, uarij ſunt ordines collocandi. Nam aut temporum ſeruantur gradus, aut generum diſtributiones, aut a mi-

noribus

Digitized by Google

noribus ad maiora aſcendimus, aut a maioribus ad minora delabimur, aut hæc in æquabili varietate diſtinguimus, cum parua magnis, ſimplicia coniunctis, obſcura dilucidis, Læta triſtibus, incredibilia probabilibus, inteximus, quæ in exornationem cadunt omnia.

Primo demonſtratiui generis collocationem explicat, de quo poſtea ſuo loco plura tractabit. Sũt (inquit) in exornatione, quæ delectationis gratia comparata eſt, plures collocandi ordines. Sed duo præcipui, prior eſt, cum gradus temporum ſeruantur, vt cum aliquem laudantes, prius eius genus, patriam, parentes explicamus; deinde quomodo educatus fuerit, quibus ſtudijs deditus, quos præceptores habuerit, tum in adoleſcentia, quam temperatè vixerit, quam fortiter, quam iuſte, quam prudenter iuuenilem ætatem tranſegerit; denique quas res præclare geſſerit, quoque tempore: poſtremo, ſi de mortuo verba facimus, quo genere mortis fuerit extinctus, & quã magno animo mortem ſubierit, ſic enim temporum gradus ſeruari facile poterunt, atque vt quidque primum geſtum eſt, ita etiam primo narrari poterit, quem ordinem Iſocrates in Euagora Cypri rege exornando ſeruauit; & Cicero ſecunda Philippica parum ab eo declinauit. Dũ enim Antonij vitia recenſet, & eum acriter vituperat, temporum gradus magna ex parte ſeruat. Secundus ordo eſt, cum generum diſtributiones ſequimur, nulla temporum habita ratione. Vt, ſi primo fortunæ bona explicemus. Qualia ſunt nobilitas, diuitię, opes, poteſtates: deinde ponamus bona corporis, vt bonam valetudinem, robur, pulchritudinem; tum ad animi bona veniamus, quæ ſunt artes, ſcientiæ, virtutes: Vel, quia vera laus omnis a virtute proficiſcitur, proſequamur genera virtutum, & ad ea ſigillatim referamus eius facta quem laudamus. Vt ad prudentiam, quæcunque ille ſcienter, ingenioſe, callide, ſapienter geſſerit; ad iuſtitiam, quæcunque iuſte, legitime, religioſe, pie, vere, amice, beneuole, liberaliter fecerit; ad fortitudinem, quæcunque magno animo, conſtanter, fidenter, patienter ſubierit; ad temperantiam denique, quicquid modeſte, decore, temperate, continenter factum ab eo fuerit. Sic enim generum diſtributiones ſeruabuntur. Interdum etiam noſtro arbitrio genera quædam in laudando ſtatuimus, ad quæ laudes omnes referamus, quod Cicero pro Lege Man. fecit. Cũ enim Pompeium tãquam ſummum imperatorem exornaturus, eſſet, quatuor res eſſe dixit in ſummo imperatore ineſſe oportere, ſcientiã



Digitized by Google

rei militaris, uirtutē, auctoritatem, felicitatem; & ad hęc quattuor quaſi genera laudes omnes Pompeij reducit. Atque hi ſunt duo collocationis modi, quos in exornatione ſequi debemus. Licet etiam alij ſint ordines, quos, ſi libet, ſeruare poſſumus. Vt ſi a minoribus incipiamus, & paulatim aſcendamus ad maiora, donec in fine, quæ maxima ſunt omnium, collocemus. Qui ordo etiam in accuſationibus interdum ſeruari ſolet, ut Cicero in Verrem primo rapinas eius commemorat, deinde ſacrilegia, tum ciuium Romanorum atrociſsima ſupplicia. *Sic* orator ille Troianus, apud Virgiliū Didonem laudans a minori progreditur ad maius,

*O regina nouam cui condere Iuppiter vrbem*
*Iuſtitiaq; dedit gentes frenare ſuperbas.*

Minus eſt enim urbem condere, quam gentes ſuperbas iuſtitia frenare. Ita Cicero, vbi de ſcientia militari Pompeij verba facit, primo dicit eum è ludo, atque pueritiæ diſciplina ad patris exercitum profectum fuiſſe; deinde extrema pueritia militem fuiſſe ſummi imperatoris; tum ineunte adoleſcentia fuiſſe maximi exercitus imperatorem; poſtremo multa bella confeciſſe, & multas inſignes victorias reportaſſe. Sic enim a minoribus ad maiora aſcendit. Poſſumus etiam ordine contrario procedere, hoc eſt, a maioribus incipere, & paulatim ad minora delabi, quod Cicero pro Cor. Balbo feciſſe videtur; vbi Pompeium laudat. Primo enim triumphos eius & victorias ponit, quæ res maximæ ſunt, & maxime glorioſæ, deinde laudat eius ingenium, tum pudorem, poſtremo auctoritatem. Hunc ordinem egregie Virgilius expreſsit, cum Didonem de laudibus Aeneę cogitantem facit. Sic enim ait. Lib 4 Aeneid.

*Multa viri virtus animo, multuſq; recurſat*
*Gentis honos, hærent infixi pectore vultus*
*Verbaq;*

Poſſunt etiam eius facta, quem laudamus, inæquabili varietate diſtingui, vt cum parua magnis intexūtur. Vt ſi quis inter egregias Socratis virtutes etiam memoret, eum iam ſenem fidibus diſcere voluiſſe. Aut ſi quis Ciceronis laudes maximas perſequens, dicat etiam, quam facetus, & vrbanus fuerit. Ita Cicero pro Lege Man. inter maximas Pompeij laudes, narrat etiam eius facilitatem in audiendis priuatorum iniurijs; & continentiam, quod ea, quæ cęteri tollenda eſſe arbitrantur, vbi ille ne viſenda quidem exiſtimaret. Vel cum ſimplicia coniunctis adiunguntur. Simplicia dicuntur, quę ad vnam tantum virtutem pertinent vt ad fidem, ad temperantiam, qualia ſunt illa pro Lege Man. Fidem vero eius inter ſocios quantam exiſtimari putatis, quam hoſtes



Digitized by Google

omnium gentium ſanctiſsimam eſſe iudicarunt. Humanitate iam tan ta eſt, vt difficile dictu ſit, vtrum hoſtes magis virtutem eius pugnantes timuerint;an manſuetudinem victi dilexerint. Coniuncta vero dicuntur, quę ſimul ad plures virtutes pertinent, quale eſt illud in eadem oratione; Iam quantum conſilio, quantum dicendi grauitate, & copia valeat, in quo ipſo ineſt quædam dignitas imperatoria, vos Quirites hoc ipſo in loco ſępe cognoſtis. Vel cum obſcura dilucidis immiſcentur; vt Cicero inter ea, quæ dilucidè Pompeij ſummam auctoritatem declarabant, poſuit etiam illud, quod erat obſcurum; Idem ipſe Mithridates, nonne ad eundem Cn. Pompeium legatum vſque *in Hiſpaniam* miſit? eumq; Pompeius legatum ſemper iudicauit; ij, *quibus* ſemper erat moleſtium, ad eum potiſsimum eſſe miſſum, ſpeculatorem quam legatum iudicare maluerunt. Vel cum læta triſtibus adduntur, quæ res magnopere delectat; vt pro Lege Man. Nam quid ego Hoſtienſe incommodum, atque illam labem, atque ignominiam Reip. querar? cum prope inſpectantibus vobis, claſsis ea, cui conſul populi R. prępoſitus eſſet, a prędonibus capta, atq; oppreſſa eſt. Proh. *Dij* immortales, tanta ne huius hominis incredibilis, ac diuina virtus tam breui tempore lucem afferre Reip. potuit, vt vos, qui modo ante hoſtium tyberinum claſſem hoſtium videbatis, ij nunc nullam intra Oceani oſtium prædonum nauem eſſe audiatis. Ita ſiquis Brutum laudaret, poſſet læta triſtibus permiſcere; Læta ſunt enim illa, quod prudenter ſtultitiam ſimularit; quod oraculum de matre oſculanda ingenioſe interpretatus fuerit; quod Tarquinium ſuperbum expulerit; quod patriam a dominatu regio in libertatem vindicarit. At vero *illa triſtia*, quæ in Bruto laudando commemorari neceſſe eſt, Tarquinij crudelitas cum in alienos, tum in ſuos; Lucretiæ conſtupratio illata a Tarquinij filio; morsq; ipſius Lucretiæ pudiciſsimæ fœminæ; filiorum Bruti cædes, quos ipſe pater proditionis damnatos interfici iuſsit; denique ipſius Bruti mors, qui pro patria fortiter dimicans occubuit. Vel cum incredibilia probabilibus adiungimus; vt pro lege Man. Itaque omnes quidem nunc in his locis Cn. Pompeium ſicut aliquem non ex hac vrbe miſſum, ſed de cœlo delapſum intuentur: nunc denique incipiunt credere, fuiſſe homines romanos hac quondam abſtinentia, quod iam nationibus exteris incredibile ac falſo memoriæ proditum videbatur, nunc imperij noſtri ſplendor illis gentibus lucet, & quæ ſequuntur. Ita ſi quis Romulum laudet, poterit ea, qua ſunt incredibilia probabilibus immiſcere. Incredibilia ſunt illa, quod a Marte genitus fuerit, quod a lupa lacte nutritus, quod expoſito picus auis cibum ſæpe tulerit, quod in cęlum aſcenderit, & in Deorum numerum cooptatus fuerit; Illa vero probabilia, quod expoſitus fuerit, & a paſtore nutritus, quod Amulium occiderit, & Numitori auo materno regnum reſtitue-

rit quod vrbē Romám cōdiderit, & eam ſapienter longo tēpore adminiſtrarit. Nā in laudādo licet interdū veritatē excedere, & delectationis gratia, etiam incredibilia miſcere; vt Cicero dicit, Pompeij uoluntatibus non modo ciues ſemper aſſenſiſſe, ſocios obtemperaſſe, hoſtes obediſſe; ſed etiam uentos tempeſtateſq; ſemper obſecundaſſe, quæ aperte ſunt incredibilia. Sed hæc omnia, quæ diximus, in exornationem cadunt, & propter uarietatem mirifice delectant.

C. F. Quid in deliberatione, quid ſpectas? C. P. principia vel non longa, vel ſæpe nulla, ſunt enim ad audiendum, qui deliberant, ſua cauſa parati. nec multum ſane ſæpe narrandum eſt. eſt narratio præteritarum rerum, aut præſentium, ſuaſio autem futurarum. quare ad fidem & ad motum adhibenda eſt omnis oratio.

Docuit, quæ collocatio ſeruari debet in demonſtratiuo genere, nunc ad deliberationem tranſit, & ait in deliberatione uel parua eſſe exordia, uel nulla; rationemq; affert, quoniam qui deliberat, ſua ſponte paratus eſt ad audiendum. Addit etiam non eſſe narrationem neceſſariam, quia narratio vel de præteritis rebus eſt, vel de præſentibus; Suaſio autem tantum de futuris eſt. Quare duæ tantum orationis partes neceſſariæ ſunt in deliberatione, hoc eſt confirmatio, & concluſio, ita vt confirmatio ad fidem referatur, concluſio vero ad motum. Hæc quidem ita præcipit Cicero, ſed tamen ipſe interdum in deliberationibus longiſsimis vtitur exordijs, vt pro lege Man. Et de lege Agraria contra Rullum, quę concio pulcherrima eſt, & a Plinio mirifice commendatur. Habet tamen, vt dixi, perquam longum exordium, quia ſcilicet ipſa cauſa hoc poſtulabat. Neque enim ſemper artis præcepta ſequenda ſunt, cum res aliter poſtulare videtur. Quod autem ait hoc loco ſæpe in deliberatione nulla eſſe principia, ſic intelligēdum eſt, nulla eſſe talia, qualia ſunt in iudicijs: alioqui principium omne prooemij ſpeciem aliquam habere debet, vt ait Quintilianus. Nec abrupte incipiendum, cum in omni materia ſit aliquid naturaliter primum, Nullum exordium eſſe videtur in Philippica decima tertia, quam ita incepit, In principio huius belli P.C. quod cū impijs ciuibus ſceleratiſq; ſuſcepimus, timui, ne condito inſidioſa pacis, libertatis recuperandæ ſtudia reſtingueret. Item philippica xiiij. Si, vt ex literis, quæ recitatę ſunt, P. C. ſceleratorum hoſtium exercitum cæſum, fuſumque cognoui, ſic, id quod & omnes maxime optamus,

mus, & quę ſequuntur. Hoc autem cum ratione fit, vt exordia prętermittantur in deliberatione, nam exordium non alia de cauſa adhibetur, niſi vt animi præparentur ad audiendum; ſed qui deliberant, ſua ſponte parati ſunt ad audiendum; ergo ſuperuacaneum eſt exordium. Eodem modo etiam narratio prætermittitur, quamuis ſæpe multa extrinſecus narrentur, ad cauſam pertinentia, vt pro Lege Man. narrat Cicero res geſtas a L. Lucullo contra Mithridatem, vt declaret, quomodo bellum adhuc magnum reſtet; & de Lege Agraria narrat, quid a Rullo factum ſit, & quid fiat, vt oſtẽdat eum nihil ſani cogitare. Sed quid ſi populo R. ſuadẽdum ſit, vt Carthaginem deſtruat, *an nõ erunt* narranda damna, periculaq; in Romanos ab ea ciuitate illata? non exponẽdum quid primo bello Punico, quid ſecũdo, quid tertio geſtum ſit? non narrabitur Reguli calamitas? non Sempronij, non Flamminij, non Pauli Aemilij, non Marcelli? certè hæ narrationes extrinſecus aſſumentur, non tanquam eius rei, de qua deliberatur, proprię narrationes, ſed tanquam argumenta cauſęq; ſuaſionis; vt, ſiquis Chorinthum euertendam dicat, & eam afferat cauſam, quod Romanorum legatos violarit, narretq; quomodo legati uiolati fuerint, hæc non erit narratio, ſed potius ſuaſionis confirmatio, non aliter, atque ſi quis iuuenem quempiam ad ingenuarum artium ſtudia adhortetur, narretque quot honores, quot dignitates, quot præmia conſequantur ij, qui ſe ſtudijs literarum dediderunt. narratio illa cauſam confirmabit; neque tamen erit propria cauſæ narratio. Cum igitur neque principium, neque narratio neceſſaria ſit in ſuaſione, duæ tantum orationis partes ſupererunt, confirmatio, & peroratio, quarum altera fidem, altera motum quærit. Hoc eſt quod ait Cicero in ſuaſione ad fidem, & ad motum, omnem orationem eſſe adhibendam.

C. F. Quid in iudicijs, quæ eſt collocatio? C. P. Non eadem accuſatoris, & rei, quod accuſator rerum ordinem perſequitur, & ſingula argumenta, quaſi haſta in manu collocata vehementer proponit, concludit acriter, confirmat tabulis, decretis, teſtimonijs, accuratiuſq. in ſingulis commoratur, perorationiſq; præceptis, quæ ad incitandos animos valent, & in reliqua oratione paululum digrediens de curſu dicendi, vtitur, & vehementius in perorando. eſt enim propoſitum, vt iratum efficiat iudicem.

In

In iudicijs duplicem ait eſſe collocationem, alteram accuſatoris, alteram defenſoris. Prius explicat quo genere collocationis accuſator vtatur, deinde quo defenſor. Accuſator, inquit, ſolet ordinem verum in accuſando perſequi, vt quod prius commiſſum eſt a reo, prius explicet; vel, vt omnia, quę ſunt eiuſdem generis, crimina, in vnum locum conijciat; & non aliter, atque miles ſtrenuus, hoſtem inuadens, proponit argumenta, quæ acriter concludat; & quæ dicit, teſtimonijs corroborat, & vnumquodque amplificat, tum in reum iudicum animos incitat, partim in media oratione per digreſsionem, partim in extrema parte cum perorationem adhibet. nihil enim aliud ſtudet, niſi vt iram iudices in reum incitet. RERVM ORDINEM.) Ita Cicero cum ſibi accuſandum Verrem ſuſcepiſſet, eum ordinem ſecutus eſt, vt primo, quid in quæſtura turpiter geſſerat, explicaret; deinde quid in legatione, tum quid in prætura vrbana, denique quid in prætura Sicilienſi. atq; hoc ordine, quæ prius à Verre nefarie geſta fuerant, prius etiam expoſuit; ipſam vero Sicilienſem adminiſtrationem, pro qua totam accuſationem ſuſceperat, quatuor in partes diſtribuit, quas ordine ſuo ſingulas perſequitur. Ac primo quidem, quæ ad iuriſdictionem attinent, explicat, deinde, quæ ad rem frumentariam, tum quæ ad ſigna deorum ablata, poſtremo quæ ad ſupplicia ciuium Romanorum, & ſociorum. quæ quoniam omnium grauiſsima, atque atrociſsima ſunt, ideo poſtremo loco poſuit. Sic Aiax apud Ouidium rerũ ordinem in accuſando Vlyſſe perſequitur. Primo quod ſanguine ſyſiphio cretus, fraudibus & furtis patri ſimilis eſſet; deinde quod ficto furore militiam detrectaſſet; tum quod Philocteti maximarum miſeriarũ auctor fuiſſet; denique quod Palamedem innocentem falſis criminibus oppreſsiſſet; poſtremo quod in prælio Neſtorem, ſuum auxilium implorantem, deſeruiſſet. Meta. 13 QVASI HASTA IN MANV.) Tranſlatio ſumpta a militibus, dum hoſtem, magno animo, tenentes haſtam, aggrediuntur. Eodem modo primo de oratore, firma argumenta vocat haſtas amentatas. & in Bruto ſic ait; Vt haſtæ velitibus amentatæ, ſic apta quædam & parata ſingulis cauſarum generibus argumenta traduntur. Sic dicimus haſtas miniſtrare, id eſt argumenta ſuppeditare. Debet autem accuſator in ſingulis criminibus amplificandis occupatus eſſe, vt maiora videātur, ſic enim acrius in reum iudices inflammantur, quod in Verrem Cicero diligentiſsime ſeruat. vt in tertia actione, de prodito Carbone, de ſupplicio Philodami, de ſpoliatione pupilli Iunij. VEHEMENTER PROPONIT.) Hoc dicit, quia ſolet interdum accuſator crimina ſimul plurima proponere, quæ deinde ſuo ordine ſingula copioſius & accuratius pertractet. Hoc facit Cicero tertia in Verrem actione. ibi enim breuiter omnia proponit, quæ Verres turpiter,

& im-

& improbe,& in quæſtura,& in legatione , & in prætura vrbana,& in prætura Sicilienſi geſſerat:hoc modo, Quæſtura primus gradus dignitatis,quid aliud habet in ſe, niſi Cn. Carbonem ſpoliatum à quæſtore ſuo pecunia publica? nudatum & proditum conſulem? deſertum exercitũ? relictam prouinciam? ſortis neceſsitudinem religionemque violatam? Deinde ita de legatione, Cuius legatio exitium fuit Aſiæ totius & Pamphiliæ.quibus in prouincijs multas domos, plurimas vrbes,omnia fana depeculatus eſt; Tum de prætura vrbana; Cuius prætura vrbana ædium ſacrarum fuit, publicorumq. operum depopulatio : ſimul in iure dicendo bonorum poſſeſsionumq. contra omniũ inſtituta addictio & cõdonatio; Deniq; de Sicilenſi prætura; Iam vero omnium vitiorum ſuorum plurima & maxima conſtituit monimenta,& iudicia in prouincia Sicilia, quam iſte per biennium ita vexauit,ac perdidit,vt ea reſtitui in antiquum ſtatum nullo modo poſsit. Hæ ſunt vehementes ſane propoſitiones, quas deinde ſingillatim acerrimè perſequitur. CONCLVDIT ACRITER.) Hoc ad ſingula crimina referri poteſt,quæ poſtquam expoſita fuerint,acriter concluduntur & amplificantur; vt poſt quæſturæ crimen Cicero, O ſcelus,o portentum in vltimas terras exportandum, non enim poteſt ea natura,quæ tantum facinus commiſerit, hoc vno ſcelere eſſe contenta,neceſſe eſt,ſemper aliquid eiuſmodi moliatur. Et poſt Philodami condemnationem; Quid lacrymarum ipſum Neronem putatis profudiſſe? quem fletum totius Aſiæ fuiſſe? quem luctum & gemitum Lampſacernarum? Sic Aiax poſt crimen detrectatæ militiæ apud Ouidium.

*Atque vtinam aut verus furor ille, aut creditus eſſet*
*Nec comes hic phrygias vnquam veniſſet ad arces,*
*Hortator ſcelerum.*

CONFIRMAT TABVLIS.) Tabulas, ET SCRIPTA PROFERT.) Cicero ex tabulis ipſius Verris probat ab eo deceptum Carbonem,atque ex literis eiuſdem Verris ad Neronem ſcriptis,probat iniuſte damnatum fuiſſe Philodemum. DECRETIS.) Vel ab ipſo reo factis,qualia ſũt edicta Verris,quæ a Cicerone multis in locis vehementer reprehenduntur,vel in reum editis,qualia ſunt multa decreta,& Senatuſconſulta ciuitatum Sicilienſium in Verrem, quæ Cicero recitat. TESTIMONIIS.) Quæ plurimum in iudicijs valent, vt Quintilianus teſtatur; & ideo Cicero paſsim in Verrem plurimorum teſtimonia profert. Quod probationis genus vſurpat etiam Aiax in eadem oratione, cum ait.

*Non hæc mihi crimina*
*Fingiſcit bene Tydides*

Qui

*Qui non me ſæpe vocatum*
*Corripuit, trepidoq. fugam exprobrauit amico.*

Hæc tria probationis genera, quæ ducuntur a tabulis, teſtimonijs, decretis, ſunt quidem artis expertia, quod ab oratore non inueniuntur, ſed extrinſecus aſſumuntur; veruntamen maxima arte pertractari debent, vt a Cicerone fieri videmus. Debet autem accuſator in ſingulis criminibus accuratius cõmorari, & ea amplificare, vt grauiora videantur, non enim ſceleris magnitudo poteſt apparere, niſi accurate explicetur, & amplificetur. Quam enim diu commoratur Cicero in crimine Verris de P. Annij filia? quamdiu de æde Caſtoris a P. Iunij filio pupillo ſarta tecta? quam diu in cauſa Philodami, & eiuſdem filij q. ſupplicio? Sic Aiax apud Ouidium in Crimine Philoctetis diu moratur, vt grauius Vlyſſem premat. ſic enim ait,

*Non te pæantia proles*
*Expoſitum Lemnos noſtro cum crimine haberet,*
*Qui nunc, vt memorant, ſyluestribus abditus antris*
*Saxa moues gemitu, Laertiadæq. precaris.*
*Quæ meruit, quæ, ſi Dij ſunt, non vana precaris.*
*Et nunc ille eadem nobis iuratus in arma*
*Heu pars vna ducum, quo ſucceſſore ſagittæ*
*Herculis vtuntur, fractus morboq. fameq.*
*Velaturq. aliturq. auibus, volucresq. petendo,*
*Debita troianis exercet ſpicula fatis.*

PERORATIONISQ. PRÆCEPTIS.) Præcepta perorationis ſunt, quibus iudex ad ſæuitiam concitatur in accuſando, ea præcepta vel locum proprium habent, cum adhibentur in peroratione, quæ motum animorum potiſsimum requirit; vel in alium locum transferuntur, cum in media oratione digredimur de curſu dicendi, vt quæ crimina com memorauimus, per digreſsionem augeamus. Cuius rei plura ſunt in accuſationibus Ciceronis exempla, ſed illud vnum ſatis erit huic loco, quod eſt in ſexta actione contra Verrem, de precioſiſſimo illo candelabro, quod Verres a filio regis Antiochi per vim abſtulerat. Quæ vox, quæ latera, quæ vires huius vnius carminis querimoniam poſſunt ſuſtinere, & quæ ſequuntur. Et paulo poſt; Hoc loco Q. Catule te appello. loquor enim de tuo clariſsimo. pulcherrimoque monimento, non iudicis ſolum ſeueritatem in hoc crimine, ſed prope inimici, atque accuſatoris vim ſuſcipere debes & cętera. Eſt enim perquam ſane longa digreſsio. Sed in perorando vehementius agendum eſt, vt in fine ſeptimæ actionis; Potero ſilere Hortenſi? potero diſsimulare? cum tantum Reſp. vulnus acceperit, vt expilatę prouinciæ, vexati ſocij. Dei immortales ſpoliati, Ciues Romani cruciati, & ne-

& necati impune me actore eſſe videantur. EST ENIM PROPOSITVM.) Hæc eſt ratio ſumpta a fine, quare vehementius in perorando ſit animi concitandi, nempe vt iudex reo ſit iratior. Quod peccatorum aggeratione facile fieri poteſt; vt Cicero, Vti C. Verrem, ſi eius omnia ſunt inaudita, & ſingularia facinora, ſceleris audaciæ, perfidiæ, libidinis, auariæ, crudelitatis, dignos exitus, eiuſmodi vita, atque factis, veſtro iudicio conſequatur.

C. F. Quid faciendum eſt contra reo? C. P. omnia longe ſecus, ſumenda principia ad beneuolentiam conciliandam, narrationes, aut amputandæ, quæ lædunt, aut relinquendæ, ſi totæ ſunt moleſtæ. firmammenta ad fidem poſita, aut per ſe diluenda, aut obſcuranda, aut digreſsionibus obruenda, perorationes autem ad miſericordiam conferendæ.

Docuit, quo genere collocationis accuſator vti debeat, nunc defenſorem etiam inſtruit. Eſt autem multo difficilius defendere, quam accuſare. ſicuti ſanare difficilius eſt, quam vulnerare. nam accuſator vulnera facit, patronus eius medetur. nullum verò lætalius reo vulnus eſt, quam ira iudicis. Itaque totum exordium patronus in eo conſumet, vt iudicem ab accuſatore criminibus exaſperatum mitiget, & eius beneuolentiam ſibi conciliet. Quod ſane magnæ prudentiæ eſt, ita iudicum animos ab aſperitate criminum, ad clementiam traducere, vt beneuoli reddantur, & attente defenſionem audiant; quod cum in exordio factum fuerit, tunc ad narrationem accedendum eſt, in qua ſiquid eſt, quod reum lædat, id totum eſt amputandum. aut ſi forte tota narratio fuerit reo contraria, tota eſt relinquenda. In confirmatione ita laborandũ eſt, vt crimina vel prorſus diluantur, & falſa eſſe oſtendantur; aut ſaltem imminuantur, & defendendo obſcurentur; vel ſi neutrum fieri poteſt, digreſsionibus vtendum eſt, quibus ad alias res animi iudicum abſtrahantur, & ita crimina obruentur. Denique in perorationibus commouenda miſericordia eſt, vt facilius a commotis iudicibus reus abſoluatur. Fingit igitur breuiter hoc loco Cicero, quid in ſingulis orationis partibus a reo faciendum ſit. Ac primo docet in exordio conciliandam eſſe beneuolentiam; hoc autem fit commemorandis rei virtutibus, vt ſi vir fortis eſſe dicatur, ſi iuſtus, ſi amãs patriæ, quod Cicero pro Milione ſtatim initio facit; Et ſi vereor iudices



Digitized by Google

ces ne turpe ſit, pro fortiſsimo viro dicere incipientem timere, minimeq; deceat, cum T. Annius Milo ipſe magis de Reip. ſalute, quam de ſua perturbetur, me ad eius cauſam parem animi magnitudinem afferre non poſſe, & cætera. Ita pro L. Flacco, ſtatim docet Flaccum, quem defendit ſocium atque adiutorem ſibi in liberanda patria fuiſſe. quod idem in exordio pro P. Seſtio facit. Aliquando patronus non a perſona rei, ſed a ſua ſumit exordium; vt pro Archia poeta Cicero; Si quid eſt in me ingenij, iudices, quod ſentio, quam ſit exiguum, & quæ ſequuntur. *Ita* pro Deiotaro; Cum in omnibus cauſis grauioribus, C. *Cæſar*, *initio* dicendi commoueri ſoleam vehementius, quam videtur vel vſus uel ętas mea poſtulare, tũ in hac cauſa ita me multa perturbant, & reliqua. Nonnunquam ab ipſis aduerſarijs exordium ſumitur, vt pro P. Quintio, quæ res in ciuitate duæ plurimum poſſunt, hæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore, ſumma gratia & eloquentia, quarum alteram C. Aquili vereor, alteram metuo, eloquentia. Q. Hortenſij, ne me dicendo impediat, nõ nihil commoueor, gratia Sex. Næuij, ne P. Quintio noceat, id vero non mediocriter pertimeſco. Et pro A. Cæcina, ſtatim aduerſarium criminari incipit, quod ingenioſe Turnus, apud Virgilium contra Drancem accuſatorem ſuum facit, ſic enim incipit;

*Larga quidem ſemper Drances tibi copia fandi* Lib. 11. Aen.
*Tunc cum bella manus poſcunt patribusq. vocatis,*
*Primus ades, ſed non replenda eſt curia verbis,*
*Quæ tuto tibi magna volant.*

Interdum a re ipſa defenſor incipit, vt pro A. Cluentio, Animaduerti, Iudices, omnem accuſatoris orationem in duas diuiſam eſſe partes, quarum altera mihi niti, & magnopere confidere videbatur inuidia iam inueterata iudicij Iuniani. Sæpe etiam ipſos Iudices patronus in exordio laudat, vt pro Domo ſua ad Pontifices. Cum multa diuinitus Pontifices a maioribus noſtris inuenta, atque inſtituta ſunt, tum nihil præclarius, quam quod vos eoſdem & religionibus deorum immortalium, & ſummæ Reip. præeſſe voluerunt. Sed nullum eſt artificioſius exordij genus ad beneuolentiam conciliandam, quam cum reus oſtendit voluntatem ſuam cum iudicum voluntate ſemper fuiſſe coniunctam, ſic enim ſumma oſtenditur amicitia. quod pro Cn. Plancio Cicero facit cum multis verbis oſtendit Plancium eiuſdem ſemper fuiſſe voluntatis cum iudicibus ipſis, in ſalute ſua cuſtodienda, atq. in patria defendenda. Hoc idem ingenioſiſsime facit Vlyſſes, apud Ouidium, vbi criminibus Aiacis reſpondet, ſic enim incipit.

Lib. 13 Met.
*Si mea cum veſtris valuiſſent nota Pelaſgi,*



Digitized by Google

*Non foret ambiguus tanti certaminis hæres,*
*Tuq. tuis armis, nos te potiremur Achille.*

Sic igitur exordia ſunt ad beneuolentiam conferenda. Narrationes vel pro nobis faciunt, vel nos lędunt, vel partim adiuuant, partim offendunt. Si pro nobis faciunt, eas; quantum vtile eſſe videntur, dilatabimus, vt pro Roſcio Am. longiſsima narratione vtitur, & pro P. Quintio, & pro Milone. Si vero nos lædunt, totæ ſunt relinquēdæ, ſtatimq. poſt exordium argumentationibus vtendum, quibus crimina diluamus, vt pro L. Murena Cicero nulla narratione vtitur, ſed poſt exordium, aduerſarios refellere incipit, ex eo loco; Intelligo, iudices, tres totius accuſationis partes fuiſſe, & earum vnam in reprehenſione vitæ, alterā in contētione dignitatis, tertiam in criminibus ambitus eſſe verſatam. Ita pro Deiotaro totā narrationē prætermittit, niſi quod aduerſariorum narrationem breuiter repetēs tribus fere verſibus expedit. Si partim adiuuant, partim offendunt, ea pars, quæ offendit, amputanda eſt, vt pro Cælio nonnullę ſunt narrationes, quas breuiter Cicero proponit, & ſtatim refellit, ac diluit. Iā vero firmamēta, quæ poſuit accuſator ad fidem faciendam, tribus modis a defenſore tractantur. vocat autē hoc loco Cicero firmamenta, firma accuſatoris argumenta, quæ defenſor vel per ſe diluit, oſtendens eſſe falſa, vel obſcurat, vel digreſsionibus obruit. Sed omnium tutiſsimum eſt (vt ait Quintilianus) ſi crimina negare poſſumus, vt Cicero pro Roſcio Am. negat a Roſcio patrem interfectum; pro Deiotaro, negat Deiotarum de interficiendo Cæſare cogitaſſe; pro Cælio, negat Cælium Clodiæ venenum paraſſe; & in his defenſionibus firmamenta accuſatorum per ſe diluit, tale eſt illud Turni, apud Virgilium.

*Pulſus ego? aut quiſquam merito fœdiſſimè pulſum*
*Arguet? iliaco tumidum qui creſcere Tybrim*
*Sanguine, & Euandri tota cum ſtirpe videbit*
*Procubuiſſe domum, atque exutos arcadas armis?*

Tale illud pro Deiotaro, Quæ crux huic fugitiuo poteſt ſatis ſupplicij afferre? Deiotarum ſaltantem quiſquā aut ebrium vidit vnquam? Per ſe diluūtur illa quæ vel ficta, vel falſa eſſe oſtēdūtur. Ficta, vt quod Roſcius patri non placeret, quod ita diluit Cicero: Ille, quomodo crimen cōmentitiū cōfirmaret non inueniebat, ego res tam leues qua ratione infirmem, ac diluam, reperire non poſſum. Item illud, quod Roſcium pater exhæredare vellet; Quid ergo affers, quare id factum putemus? verè nihil potes dicere; finge aliquid ſaltem commodè, vt ne planè uidearis id facere, quod aperte facis, huius miſeri fortunis, & horum uirorum talium uirtuti illudere. Falſa ut pro Milone Cicero,

cum

cum aduerſarij dixiſſent,nefas eſſe lucem intueri,qui a ſe occiſum hominem fateretur. Probat hoc eſſe falſum. quia multa tempora accidere poſſunt,quibus liceat hominem interficere. Illa vero, quæ per ſe diluere non poterimus, obſcurare contendemus, vt Cicero gloriatus eſt in cauſa Cluentij ſe tenebras iudicibus offudiſſe. pro L. Murena, cum negare largitionem non poſſet, negat ambitum à Murena commiſſum,ſed liberalitate, & magnificentia populi R. voluntatem conciliatam. Pro Deiotaro,non exercitum contra Cæſarem, ſed ad fines ſuos tuendos præparatum ait. ſic Vlyſſes, apud Ouidium crimen detractatæ militiæ Achillis exemplo obſcurat, hoc modo.

*Quid? quod me duri fugientem munera belli*
*Arguit incepto ſerum acceſſiſſe labori*
*Nec ſe magnanimo maledicere ſentit Achilli,*
*Si ſimulaſſe vocas crimen, ſimulauimus ambo,*
*Si mora pro culpa eſt, ego ſum maturior illo.*
*Me pia detinuit coniux, pia mater Achillem.*

Pro Cælio Cicero pluribus verbis occupatus eſt in explicandis iuuenum voluptatibus, vt crimina in Cælium illata facilius obſcuret, ex eo loco, Deliciarum obiurgatio fuit longa, & ea lenior, pluſq. diſputationis habuit,quam atrocitatis. Sed ea crimina, quæ neque per ſe diluere, neque obſcurare poſſumus, digreſsionibus obruere tentabimus, quod efficere poterimus, ſi vel ad hilaritatem & riſum Iudices adducemus; vt pro L. Murena, Ser. Sulpitio auctoritatẽ adimit, dum ius ciuile facetiſsime ridet; & M. Catoni, dum Stoicorum diſciplinam iudicibus ipſis deridendam propinat. Itaque totũ illud iudicium riſu diſſolutum fuiſſe dicitur. Vel rem aliquam triſtem in mediũ adducemus, vt pro Cælio, cum dixiſſent aduerſarij, venenum a Cælio comprobatum in ſeruo quodam, ad rem ipſam parato, ſtatim Q. Metelli interitum deplorare incipit, vt digreſsione crimẽ illud Cælij obruat, Vidi enim, vidi, & illum hauſi dolorem vel acerbiſsimum in vita, cum Q. Metellus abſtraheretur, è ſinu gremioq. patriæ. Et in eadem oratione, cum eſſet obiecta Cælio Catilinæ familiaritas, digreditur a cauſa, & Catilinæ perſonam deſcribit, a quo multi decepti fuerant. Sic Vlyſſes crimen illud, quod Neſtorem in bello deſeruiſſet, quod negare non poterat, obruit digreſsione illa, qua cõmemorat in bello multos a ſe interfectos, ſic enim ait.

*Quid lycij referam Sarpedonis agmina ferro*
*Deuaſtata meo? cum multo ſanguine fudi*
*Ceranon. Iphytidemq;, Alaſtoraq; Chroniumq;*
*Alcandrumq;, Haliumq;, Næmenaq;, Prytaninq;*

 Obruun-

Digitized by Google

Obruuntur etiam artificioſe crimina, cum aut rem pro perſona, aut perſonam pro re, aut rem pro re, aut perſonam pro perſona ſubijcimus. Vt ſi quis Manlium Capitolinum defendat reum affectati regni, dicatq; donandam ei vitam eſſe, quamuis deliquerit, pro eo ſummo beneficio, quod in Remp. intulit, cum Gallos a Capitolio deiecit. Sic enim rem pro perſona ſubijciet. Perſonam vero pro re Cicero pro Cælio ſubijcit, cum ait ignoſcendum eſſe Cælio, quamuis in aliquos errores propter adoleſcētiam inciderit, quoniam iuuenis ſit bonę indolis ac ſpei, ſtudijſque optimarum artium deditus. Rem pro re, vt ſi Epaminondas accuſatus, quòd legibus non paruerit; neque exercitum nouo imperatori tradiderit, defendatur, quòd eodem facto patriam a Lacedæmoniorum impetu liberarit. Perſonam pro perſona, vt ſi quis dicat parcendum eſſe filijs Bruti, proditionem molientibus, propterea quod eorum pater libertatis auctor fuerit. Hoc igitur modo, quæ ad fidē attinent, in defenſionibus collocanda ſunt; in perorationib. vero miſericordia cōcitāda eſt. Nuſquā.n. magis vis oratoris apparet, quam cum in perorationibus iudices, vel inuitos, & repugnantes lachrymare compellit. Hac in re merito gloriatur Cicero ſe excelluiſſe. Quid ego (inquit) de miſerationibus loquar? quibus eo ſum vſus pluribus, quod etiam ſi plures dicebamus, perorationem mihi tamen omnes relinquebant. In quo vt viderer excellere non ingenio, ſed dolore aſſequebar. Hæc Cicero. In quibus licet ingenium diſsimulet, tamen in omnibus eius defenſionibus maxime apparet. Quis enim perorationem pro Milone legere poteſt, quin eius animus ad lachrymas moueatur? idem pro Cn. Plancio, pro P. Sylla, pro L. Flacco, multiſq; alijs. Pręcipiunt tamen rhetores, vt hęc orationis pars, in qua lachrymæ concitantur, breuis ſit, quoniam, vt Apollonius Molonus aiebat, lachryma nihil citius areſcit.

In Orat. ad Brut.

C. F. ſemper ne igitur ordinem collocandi, quem uolumus, tenere poſſumus? C. P. Non ſane. nam auditorum aures moderantur oratori prudenti, & prouido, & quod reſpuunt immutandum eſt.

Hactenus qui ſit ordo collocationis in omnibus generibus oſtenſum eſt; nunc quærit filius, an eundem ſemper ordinem in collocando ſeruare poſsimus, vt nunquam ab eo recedamus. Cui reſpondet pater, hoc a conſilio & prudentia oratoris pendere, qui diligenter aduertere debet, quid aures auditorum requirant, quid cupiant, quid reſpuant; vt ea, quæ reſpuunt, immutare poſsit; quæ vero cupiunt, ſequi valeat.

Nam

Nam hæc quidem præcepta dicendi frequentius obſeruari ſolent; ſed non tamen ita firma ſunt, ut mutari non queant. Neque enim tanquam decretis, & legibus aſtrictus eſt orator, ut locus, tempus, cauſa poſtulat, non mutare præceptorum ordinem poſsit. Nam (ut ait Quintilianus) res in oratore præcipua conſilium eſt. Vt pro Milone Cicero priuſquam narrat, præiudicia refutat. Pro P. Sylla, ultimo ferè loco de eius uita uerba facit. Ordo quidem naturalis eſt, ut primo loco exordiamur, deinde narremus, tunc confirmemus, poſtremo peroremus; ars autem naturam, quantum poteſt, imitatur; ſed tamen interdum cauſa poſtulat, ut ordo naturalis immutetur. Nam ueluti Citharædus cautus numeroſq; arbitrio multitudinis moderatur, & aſtantibus placere ſtudet; ſic orator, quid auditorum aures poſtulent, diligenter aduertet. Neque enim laudanda eſt in hoc genere uox illa Antigenidæ, qui cum eius diſcipulus, in corona canens, non probaretur, exclamauit, Mihi cane & muſis. Perinde quaſi cantor ſibi canat, & non audientium delectationem quærat. Tota igitur popularis eſſe debet oratio: cum illa uitioſa ſit, quæ a populari conſuetudine abhorret. Quare neceſſe eſt etiam oratori multitudinis ineptias deuorare, quas qui pati non poſſunt, in magnis oratoribus non ſunt habendi, ut Cicero in Bruto de M. Piſone, Hominũ, inquit, ineptias, ac ſtultitias, quæ deuorandæ nobis ſunt, non ferebat, iracundiusq; reſpuebat. Et hæc fuit cauſa, cur Piſo, quamuis eſſet eloquentiſsimus, tamen non magnam gloriam ſit adeptus.

C.F. Expone deinceps, quæ ipſius orationis, uerborumquè præcepta ſunt. C.P. Vnum igitur genus eſt eloquendi ſua ſponte fuſum, alterum uerſum atque mutatum.

De inuentione & diſpoſitione breuiter tractauit, nũc ad elocutionem tranſit, quæ cum tribus conſtet, elegantia, compoſitione, dignitate; primo de elegantia agendum eſt. Eſt autem elegantia in verborum delectu, ſicuti compoſitio in cõcinnitate, iunctura, & numero; dignitas in exornationibus, hoc eſt, figuris verborum & ſententiarum. *Petit igitur filius a patre*, vt deinceps exponat, *quæ præcepta ſint orationis* & verborum, quoniam de oratoris vi, *quæ in inuentione*, & diſpoſitione verſatur, iam dictum eſt. Cui reſpondet pater, duo eſſe genera eloquendi, vnum quodammodo naturale, & ſua ſponte fuſum, alterum artificioſum, quod verſum atque mutatum vocat. Illud quod ſua ſponte fuſum eſt, quotidiano ſermoni, familiaribusque epiſtolis ferè conue-

conuenit,in quibus ita loqui ſolemus, vt nobis dictat ipſa natura,neq; admodum in eis elaborandum eſſe cenſemus. Quod autem verſum atque mutatum eſt,contentionibus, & grauioribus orationibus eſt aptiſsimum: in eoq; vis omnis eloquentiæ perſpicitur, quod exemplo declarandum eſt. Quod enim ſua ſponte fuſum eſt, id eſt ſimplex, vt,Virtus poteſt omnia; Sed verſum atque mutatum, varium,& multiplex eſt,& planè oratorium: vt ſi eandem ſententiam ita per interrogationem proferamus, Quid eſt,quod virtus efficere non poſsit? vel per negationem,vt Nihil eſt,quod virtute non poſsit effici;vel per circuitionem, vt, Nihil tam alte poſitum eſt a natura, quo virtutis amor eniti non valeat. Quod ſi quis hoc idem ſublimius enunciare velit, ita per cognominationem amplificare poterit? Quid eſt enim in omni rerum natura, atque in vniuerſo cœli ambitu tam arduum,tam difficile, tam abditum, quod non facile virtus amplecti, ſuperare, atque in lucem educere poſsit? uel per epiphonema, ſeu acclamationem, ut, Tanta eſt uis,ac poteſtas in uirtute poſita, ut quæ plerique nullo modo fieri poſſe exiſtimant,ea ſine ulla pene difficultate perficiat.Atque hoc modo poteſt eadem ſententia uarie proferri, ſicut infra clarius etiam oſtendetur.

## Prima vis eſt in ſimplicibus verbis, in coniunctis altera. ſimplicia inuenienda ſunt, coniuncta collocanda.

Cum de uerborum præceptis hoc loco ſit dicturus, primo uerba ipſa diſtinguit. Nam ex uerbis alia ſimplicia ſunt,alia coniuncta. Itaque fit,ut prima uis orationis in ſimplicibus uerbis ſit; altera uero in coniunctis. Oportet autem ea, quæ ſimplicia ſunt, excogitare & inuenire; quæ uero ſunt coniuncta,diſtincte atque aptè collocare. Quamobrem ita ſunt inuenienda ſingula uerba, ut in eis diligẽter intueamur, an ſint latina, an perſpicua, an ornata. Nam hæ ſunt tres ſimplicium uerborum uirtutes,ut Quintilianus docet. Quibus ex altera parte totidẽ uitia reſpondent, ut ſi barbara ſint uerba, ſi obſcura, ſi ſordida, nam quæ humilia, & obſcœna ſunt, etiam ſordida uocantur. Summa igitur diligentia utendum eſt,cum aliquid, uel dicere,uel ſcribere uolumus, ut illud in primis Latinis, perſpicuis, & ornatis uerbis efferamus. Nam ut aiebat C. Cæſar, initium eloquentiæ eſt,uerborum delectum habere.Hoc autem plurimi laboris eſt,& longa exercitatione, longoq; tempore indiget, vt ex probatis auctoribus magnam nobis verborum optimorum ſupellectilem comparemus. Quod minimè nos pigere debet,cũ in eis prima vis ſit eloquentiæ,nam idẽ Cæſar admone-

Lib. 8. Inſtit. orat.

Digitized by Google

monebat, ut inſolens uerbum in oratione, non aliter atque ſcopulum in mari uitaremus. Cum autem ſimplicia uerba inuenerimus, quæ bene latina ſint, & perſpicua, & ornata; tunc ſupereſt vt ea artificioſe coniungamus, ita ut recta ſtructura ſeruetur; primo ne ſolæciſmi fœditas orationem inquinet, deinde ne hiulca, aut aſpera ſit compoſitio; tum ut pluribus figuris tanquam ſtellis, aut luminibus illuſtretur. Tres enim uirtutes in coniunctorum uerborum collocatione eſſe debent, primo ut ſint emendata, ne quid in conſtructione, contra rationem artis grammaticæ peccetur; ſecundo ut ſint bene compoſita, *ne uel* concurſus uocalium nimis hiantem, uel conſonantium continuatio nimis aſperam orationem efficiat. tertio, ut ſint figurata, ne dignitas & maieſtas in oratione deſideretur. nihil enim eſt, quod admirabiliorem eloquentiam faciat, quam acutæ crebræque uerborum ſententiarum figuræ, quibus quia frequentiſsime Demoſthenes utitur, ideo princeps oratorum ſemper habitus eſt.

## Et ſimplicia uerba partim natiua ſunt, partim reperta: natiua ea, quæ ſignificata ſunt ſenſu, reperta, quæ ex his facta ſunt & nouata, aut ſimilitudine, aut imitatione, aut inflexione, aut adiunctione uerborum.

Quia prima uis eloquentiæ perſpicitur in ſimplicibus uerbis, ideo Cicero prius de illis tractat, & in duo genera diuidit, nam alia dicet eſſe natiua, alia uero reperta. Et natiua quidem uocat illa, quæ non ab alijs uerbis deducta ſunt, ſed primo impoſita fuerunt ad rem ſignificandam, & ad ſenſa mentis exprimenda; Reperta autem appellat ea, quę a natiuis deducta ſunt, & quaſi deriuata, quod quatuor modis fieri potuiſſe docet, uel per ſimilitudinem, uel per imitationem, vel per inflexionem, uel per uerborum adiunctionem. Natiua autem dicuntur, non quia cum ipſis rebus nata ſint. neque enim naturalia ſunt uerba, ſed ab hominum inſtitutione profecta. quamuis apud Platonem Socrates multis exemplis oſtendere conetur, uerba pleraque naturam rerum exprimere. quod etiam Lucillius Balbus apud Ciceronem facit. Sed aliud eſt eſſe naturalia, aliud rerum naturam aliquo modo exprimere, concedimus enim rerum naturas uerbis ſignificari, ſed uerba eſſe naturalia non cōcedimus. quamuis P. Nigidius, ut A. Gellius ſcribit, argutiſsime probare tentauerit, nomina non eſſe hominum arbitrio poſita, ſed naturalia. Natiua igitur ea uocantur, quæ primo ſenſu res ipſas ſignificant, quæ a Dialecticis primæ intentionis, uel primæ

In Craty-lo.

Lib. 2. de nat. Deorum.

Lib. 10. c. 4.

impo-

Digitized by Google

impoſitionis nomina uocātur, ut homo, equus, arbor, uel ea quæ a nullo alio uerbo deducta ſunt, quæ Grammatici primitiua appellant, quę non ad aliud uocabulum, ſed ad ſenſum ipſius rei, atque intelligentiam referuntur. Reperta vero dicuntur illa, quę a natiuis deducuntur; & a Grammaticis deriuatiua nominantur; quorum infinita eſt multitudo, vt ab hoc verbo amor, fit, amo, amator, amicus, amicitia, amice, multaque alia. In natiuis pręcipue ſpectanda eſt proprietas, quę octo modis (vt docet Quintilianus) intelligitur. Primo ratio ipſa ſignificandi, & ſua cuique appellatio, hoc eſt, cum vnamquamque rem ſuo nomine exprimimus, tunc proprie loqui dicimur; vt cum hominem vocamus hominem, & equum equum. Sed hac proprietate non ſemper vtimur. Nam & obſcœna, & ſordida, & humilia vitanda ſunt. Quod ſi neceſsitas cogat, per circuitionem ea nominabimus, nō proprijs nominibus, vt liberis dare operam, vētrem exonerare. Secundo cum vnum verbum principaliter vnam habet ſignificationem, ſed etiam ſimilitudine quadā ad alias trāsfertur, vt vertex proprie eſt contorta in ſe aqua, ſed flexū etiam capillorum in ſumma capitis parte ſignificat, & montium eminentiam. Ita ſanum proprie de animali non ęgroto dicitur, ſed cibus etiā ſanus dicitur, & vrina ſana. Tertio cum res cōmunis pluribus in vno habet nomen eximiū, vt voces & ſcripta, quę rhythmum, & metrū habēt carmina vocantur, ſed carmē funebre proprie nęnia dicitur. Et quibus milites in caſtris teguntur cōmuniter tabernacula vocantur, ſed tabernaculum ducis propriè dicitur Auguſtale. Quarto, cum nomen commune multis vni peculiariter propter excellētiam attribuitur, vt cum dicimus vrbem, proprie Romam intelligimus, cum poetam Virgilium, cum oratorem, M. Tullium. Quinto, proprium vocatur, quo nihil ſignificantius eſſe poteſt, vt Cato dixit C. Cæſarem ad euertendam Rempub. ſobrium acceſsiſſe; Virgilius, deductum carmen, Horatius Annibalem dirum. Sexto, ex adiectis nominibus proprium dicitur, vt dulce muſtum, & cum dentibus albis; Septimo, quod bene tranſlatum eſt, proprium eſſe dicitur, vt ira ardere, inflammatum eſſe cupiditate. Octauo, quod in aliquo præcipuum eſt, vt Fabius, propriè cunctator dictus, & Plato diuinus. Hæ vero proprietates perſpicuam & illuſtrem orationem efficiunt. Reperta vero nomina quatuor potiſsimum modis efficiuntur, primo ſimilitudine, quæ analogia græco nomine vocatur, vt ſicut bonos bonitas facit, ita beatos beatitas, vt veros veritas, & falſos falſitas, & prauos prauitas, ita Cicero perſpicientiam dixit ſicut ſapientiam, & fauorem ſicut pauorem, quod in verbis etiam fit, vt ſicut ferueſco, ita iuueneſco, & ignoſco, vt Virgilius, Et lætis iuueneſcit in herbis, & alibi, Igneſcunt iræ, quę tamen ratio non vbique valet. neque enim, ſicut ab amo amabilis, & a paro parabilis, ita etiam deriuare licet, a dono donabilis, aut

Lib. 8. c. 2.

lis, aut

lis, aut a neco necabilis, ita ne latum quidem vnguem ab ijs, qui boni ſcriptores vſurparũt, diſcedere debemus. Bene.n. Quintilianus ſenſit Analogiam non eſſe legem loquendi, ſed obſeruationem. Secundo modo verba reperiuntur imitatione, cum vel Græcos imitamur, vnde maiori ex parte latina lingua fluxit, vel ipſam ſoni naturam. & græcos quidem imitari concedit etiam Horatius cum ait.

*Et noua fictaq. nuper habebunt verba fidem, ſi*
*Græco fonte cadant, parce detorta.* Sic Cicero multa verba noua græcorum imitatione reperit, vt de Fato moralem philoſophiam dixit, de vniuerſitate medietates, in Academicis incõprehenſibile, in Tuſculanis plurima, vt vitioſitas, mulieroſitas, patibile, lætabile, cæteraq. eius generis. Et Sergius Flauius ( vt Quintilianus teſtatur ) græcorum imitatione dixit ens, & eſſentiam. quo in genere philoſophi recentiores modum exceſſerunt, nihili enim dicendi elegantiam facientes, barbaris verbis omnia repleuerunt. nobis igitur, qui maſſas colimus poſtiores, vt ait ille. modus in omnibus ſeruandus eſt. Interdum ſoni naturam imitantes, noua uerba ſcriptores reperiunt, vt balare, tinnire, murmurare, qua in re græci longè latinis feliciores ſunt Tertio modo per inflexionem uerba reperiuntur, vel ut grãmatici dicunt, per deriuationem, ut in nominibus comparatiua & ſuperlatiua, ut doctus, doctior, doctiſsimus, poſſeſsiua ut rex regius; diminutiua, ut cor corculũ, liber libellus; uel a uerbis, ut a bibo bibax, a fido fiducia; uel partiũ mutatione, vt a mẽbro membratim, a ſenex ſeneſco, ab intelligẽs intelligentia; ſed huiuſmodi verba ſunt innumerabilia. Quarto adiunctione verborum noua verba reperiuntur, quæ a Grammaticis compoſitio vel figura compoſita vocatur. Vt expectorare, quo Ennius vſus eſt, vt L. Craſſus tertio de oratore citat, Tum pauor ſapientiam mihi omnem ex animo expectorat. Nam non vis, huius me verſutiloquas malitias. Videtis, inquit, Craſſus, & verſutiloquas expectorat, ex coniunctione facta eſſe verba. Ita Cicero ſoliuagas beſtias dixit Horatius de hac re ſic ait. Lib 5. Tuſcul.

*Dixeris egregie, notum ſi callida verbum.*
*Reddiderit iunctura nouum.* In arte poet.

Sunt autem in hoc genere plurima, vel poetica, vel oratoria, poetica, vt, veliuolum mare, terrificum monſtrum, horrifer boreas. Oratoria, vt conſceleratus, contrucidare, circumuallatus. Atque hæc de prima ſimplicium verborum partitione.



Digitized by Google

Atque etiam eſt hæc diſtinctio in uerbis, altera natura, tractatione altera; natura ut ſint alia conſonantiora, grauiora, leniora, & quodammodo nitidiora, alia contra.

Hæc eſt ſecunda partitio ſimplicium verborum, quod alia ſpectentur a natura ſua, alia vero ex tractatione, ſed prius de natura videamus, poſterius de tractatione. Sunt igitur aliqua verba *natura ſua magis*, quam alia conſonantia, alia minus. Item aliqua maiorem habent grauitatem, alia minorem. Item aliqua ſunt auditu leniora, & mitiora, alia duriora, & aſperiora. Item aliqua ſunt magis nitida & polita, alia minus, de quibus omnibus, & præcepta, & exempla quæramus. Sed prius ſciendũ eſt hic de ſynonymis verbis agi, hoc eſt de ijs, quæ ſunt eiuſdem ſignificationis, quæ licet idem ſignificant, tamen primo ſunt alijs alia conſonantiora, quibus in exordijs, & in ſublimi dicendi genere vtimur. Alia vero minus ſonantia, quibus & in epiſtolis, & in ſermonibus, & in orationibus etiam, cum preſſe ſubtiliterq; loquimur, vti conſueuimus Sed qua ratione, quæ conſonantiora ſunt intelliguntur? hoc quidem ex ipſo verborum ſono facile poteſt intelligi, ſed tamen ex multis nos quinque potiſsimum regulas annotauimus, quibus vti Cicero ſolet, vt verba conſonantiora videantur. Prima eſt, vt ſuperlatiua pro abſolutis ponantur, nam omne ſuperlatiuum nomen longè conſonantius eſt, quam ſuum abſolutum, vel, vt Grammatici vocant, poſitiuum, vt Cicero pro lege Man. Qanquam mihi frequens conſpectus veſter multo iucundiſsimus, hic autem locus ad agẽdum ampliſſimus, ad dicendum ornatiſſimus eſt viſus Quirites. Hoc in vno membro tria ſunt ſuperlatiua, quæ ſi quis tollat, & eorũ loco poſitiua ſubijciat, videbit profecto, quantus ſonus, & quanta venuſtas auferatur. Ita pro L. Flacco, Cum in maximis periculis huius vrbis, atque imperij, grauiſſimo, atque acerbiſsimo Reip. caſu ſocio, atque adiutore conſiliorum, & cætera. Hæc etiam conſonantiora fiunt, ſi non in ſingulari numero, ſed in plurali proferãtur, vt pro Cor. Bal. Si auctoritates patronorum in iudicijs valerent, ab ampliſsimis virs L. Cornelij cauſa defenſa eſt; Si vſus, a peritiſsimis, ſi ingenia, ab eloquẽtiſsimis, ſi ſtudia, ab amiciſsimis. Secũda regula eſt, vt verbalia pro abſolutis, ponantur, ſæpius enim quæ a uerbis deducuntur conſonantiora ſunt, ut dominatrix animi cupiditas, apud Ciceronem conſonantius eſt; quam ſi domina dixiſſet. Ita Virgilius Regnatorem Aſiæ dixit, quia conſonantius erat, quam regem, & Ductores danaum dixit, quod ſit grandius quam duces. Hæc eſt cauſa, quare Cicero frequenter verbalia

Lib 5. Tuſcul.

Digitized by Google

balia uſurpat, ut, O uitæ philoſophia dux, o uirtutis indagatrix, expultrixq; uitiorum. In oratore ad Brutum, Moderator ille, & quaſi temperator huius uarietatis. In procœmio librorum de Oratore, philoſophiam ait laudandarum artium omnium procreatricem quandam, & quaſi parentem eſſe; tertio de officijs libidines autem conſectatrices uoluptatis; primo de legibus, quæ eſt conciliatrix humanæ maxime ſocietatis. Sed hoc generatim uidere licet, ut quoties datur occaſio, & aptè ſublimiterq; fieri poteſt, Cicero uerbalia nomina libenter uſurpet. Tertia regula eſt, quod uerba compoſita grandiora & conſonantiora habentur, ut pro Roſcio Am. Parentum pœnas a conſceleratisſimis filijs repetunt, conſceleratisſimis dixit, quia grandius eſt, quam ſceleratisſimis. Quarta in Verrem Actione, Timorchides omnium rerum tranſactor & adminiſter. Ita conſtuprare, pernoſcere, excruciare, conſonantiora ſunt, quam ſtuprare, noſcere, cruciare. Pro P. Seſtio, Debilitatum corpus, & cõtrucidatum. Ita præclarus, perobſcurus, præpotens, grandiora ſunt, quam clarus, obſcurus, potens. Et hoc in omnibus ferè compoſitis planum & manifeſtum eſt. Quarta regula, quæ plures habent ſyllabas, conſonantiora ſunt, quam quæ pauciores, vt tempeſtas quam tempus, moderatio, quam modeſtia, illuſtris quã clarus, immẽſus, immanis quam magnus, conflictari quam verſari, dimicare vel confligere, quam pugnare, cæteraq; eius generis exempla paſsim occurrunt, vt, Qua tempeſtate pænus in Italiam venit. Contra Rullum, adhibebitur a me certa ratio moderatioq; dicendi. Illuſtri loco natus. Immenſæ cupiditates. Nam qui cum ingenijs conflictatur huiuſmodi, Terentius. Pro Archia, Qui de vita gloriæ cauſa dimicant. Pro lege Man. Qui ſæpius cum hoſte conflixit. Quinta regula, quæ ſyllabas habent longiores, & ſi pares numero ſint, grandiora videntur, quam quæ breuiores, vt princeps conſonantius, quam primus, parens, quam pater, ingens quam magnus. Et ſi, quam licet. Vt Herodotus, qui princeps hoc genus ornauit. Parentes ſuos liberi orabant. Ingens immaniſq; præda. Et ſi vereor iudices ne turpe ſit. Hæc enim ex plurimis pauca exempla ſumpta ex Cicerone ſufficiunt. Sunt etiam aliæ fortaſſe regulæ, quibus conſonantiora verba poſsimus inuenire, ſed quæ nobis eminere viſæ ſunt, eas recitauimus. Sequuntur grauiora verba, quidam grandiora legunt, ſed mendoſe, quia de grandioribus iam dictum eſt, ſunt enim eadem conſonantiora & grandiora. Quatuor autem regulas notauimus, quibus, quæ grauiora verba ſunt, dignoſcere poſsimus. Prima eſt, vt grauiora ſint illa, quæ maiorem vim bonitatis oſtendunt, vt charitas & pietas grauius eſt, quam amor & beneuolentia. Cicero primo Epiſtolarum, Te perſpicere meam in te pietatem, quid enim dicam beneuolẽtiam, cum illud ipſum grauiſsimum, & ſanctiſsimum nomẽ pietatis, leuius

De Andri.

mihi meritis erga me tuis eſſe videatur? pro P.Sextio, Sed beneuolentiam,& charitatem,illius neceſsitudinis mors filiæ non ademit. Ita clementia grauius eſt,quam lenitas ; magnificentia quam liberalitas. Secunda regula eſt,ea,quæ maiorem vim vitioſitatis oſtendunt,grauiora ſunt,vt latro,prædo,raptor,ſunt grauiora,quam fur,& carnifex quam ſicarius,& parricida quam homicida,& impius,ac nefarius,quam improbus,ac ſceleſtus,& gladiator quam ferox,& profligatus quam malus. Hęc autem paſsim apud Ciceronem occurrunt. Tertia regula,quę magis prodeſſe videntur, grauiora ſunt, vt curare grauius, quam mederi,reſtituere, quam reducere, ſuſtentare quam nutrire, *confirmare* quam ſanare. Ita opes grauius, quam diuitiæ , robur quam valetudo. Quarta regula , quæ maiorem nocendi vim habent,grauiora ſunt. Vt vulnerare & ferire grauius quam percutere. exterminare quam eijcere,trucidare quam occidere, cruciare, quam torquere; ita mendicitas grauius, quam paupertas, inualetudo quam morbus , relegatio quam exilium . His atque ceteris, ſi quæ ſunt, huiuſmodi regulis intelligitur,quæ grauiora ſint, & quæ minus grauia vocabula. Sunt etiam ſæpe quærenda leniora, & quodammodo nitidiora, quæ rei quidem, de qua agitur accommodata ſint, ſed tamen decorum ſeruent, ne oratio ſordida,aut abiecta videatur . Sunt qui legant hoc loco leuiora, quod non procedit,quia non hic ponit contraria,cum poſtea dicat alia contra. Vt autem lenis, & nitida ſit oratio,verba omnia pudenda , & inquinata refugiet orator;& pro illis alia ſubijciet, quę nitorem aliquem habeant, quod ſi vno verbo non poterit, quod vult exprimere, pluribus explicabit,nequid omnino ſordidum, aut abiectum enunciet, vt Cicero, cum eſſet illi mentio de re ſordida facienda, non ita protulit, vt Martialis in eo verſu.

*Non miror merdam ſi libet eſſe cani,*

De vn. Lib 3. de orat. Sed illud vocabulum inquinatum refugiens dixit,detractionem confecti conſumptiq; cibi. Sic Virgilius membrum equarum pudendum eleganter & nitide genitale aruum appellauit . De hoc genere toto rectiſsimè præcipit L. Craſſus . Fugienda ( inquit ) eſt omnis turpitudo earum rerum,ad quas eorum animos,qui audiũt, trahit ſimilitudo;nolo morte dici Africani caſtratam eſſe Remp. nolo ſtercus curię dici Glauciam, quamuis ſit ſimile; tamen eſt in utroque deformis co-
Lib.8.c.3. gitatio ſimilitudinis. Ita Quintilianus ait; Nec ſordidis, unquam in oratione erudita locus. Itaque inter illa etiam, quæ ſunt eiuſdem ſignificationis, aduertendum eſt, quæ leniora, & nitidiora ſint, vt eis potius utamur . Nam in oratione boues potius dixerim quam uaccas,eunuchum potius quam ſpadonem,urinam reddere,potius quam mingere, candidam faciem potius quam albam, atque ita de reliquis.

In inueniendis autem nitidis uerbis Vergilius eſt mirus artifex, ut in primo Aeneidos.

*Reſtitit Aeneas, puraq. in luce refulſit,*
*Os humeroſq. deo ſimilis, namq. ipſa decoram.*
*Cæſariem nato genitrix, lumenq. iuuentæ*
*Purpureum, & lætos oculis afflarat honores,*
*Quale manus addunt ebori decus.* & cætera;

Sunt enim illa omnia lenia nitidaq. Poſſunt etiam leniora dici, quæ molliter inflectuntur, vt meliuſcule, candidulus, corculum, Tulliola, quæ potius epiſtolis, & quotidiano ſermoni, quam orationibus conueniunt, niſi fortè ridiculi gratia ponantur; vt Cicero pro Cælio de fratre Clodiæ, Puſio, qui cum maiore ſorore cubitauit. Sunt alia his, de quibus diximus, contraria, hoc eſt minimè ſonantia, leuia, humilia, aſpera, atque horrida; quibus tamen in orationibus frequenter vtimur, præcipuè contra aduerſarios; & aliàs, quotieſcunque res ipſa poſtulare videtur, nam rebus ipſis verba ſunt acommodanda. rectè enim præcepit Horatius,

*Triſtia mæſtum.* In ar. poe.
*Vultum verba decent, iratum plena minarum,*
*Ludentem laſciua, ſeuerum ſeria dictu.*

Ita Quintilianus, Nec augenda ſemper oratio, ſed ſubmittenda nonnunquam eſt; vim rebus aliquãdo etiam ipſa verborum humilitas adfert. An cum dicit in Piſonem Cicero, Cum tibi tota cognatio in Sarraco aduehatur, incidiſſe videtur in ſordidum nomen, non eo contemptum hominis, quem deſtructum volebat, auxiſſe? Iam vero quid illis verbis in eundem Piſonem abiectius? Nemo queritur Syrum, neſcio, quem de grege nouitiorum factum eſſe conſulem. non enim color iſte ſeruilis, non piloſæ genæ, non dentes putridi deceperunt. Et inferius, Meminiſti ne cænum, cum ad te quinta fere hora cum C. Piſone veniſſem, neſcio quo è gurguſtio te prodire, inuoluto capite, ſoleatum, & cum iſto ore fætido teterrimam nobis popinam inhalaſſes, & cætera. Illa vero ſunt aſperrima, O tenebræ, o lutum, o ſordes o paterni generis oblite, materni vix memor. Ita neſcio quid iſtuc fractum, humile, demiſſum, ſordidum. Aſpera ſunt illa in Catilinam; Quamdiu nos etiam iſte furor tuus eludet? quem ad finem ſeſe effrenata iactabit audacia? nonnunquam etiam nitidis contra aduerſarios vtimur, præcipuè cum eorum delicias inſectamur; vt Numanus apud Virgilium, Lib. 8. c. 3. Li. 9. Aeneid.

*Vobis picta Croco, & fulgenti murice veſtis*

Deli-

Digitized by Google

*Deliciæ cordi, iuuat indulgere choræis*
*Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.*

præterea ſæpè in ironia lenibus & nitidis vtimur, vt Iuno, apud Virgilium.

Lib. 4. Aeneid.

*Egregiam vero laudem, & ſpolia ampla refertis*
*Tuq. puerq. tuus magnum & memorabile nomen.*
*Vna dolo diuum ſi fœmina victa duorum eſt.*

Hoc autem diligenter orator aduertere debet, quando *conſonantibus*, grauibus, & lenibus verbis vtendum ſit, & quando *contrarijs.* Nam oratio illa maximè laudabilis eſt, quæ ita rebus accommodatur, vt eas ita explicet, vt videri videantur, qua in re Cicero mirus eſt artifex.

Tractatione autem, cum aut propria ſumuntur rerum vocabula, aut addita ad nomen, aut noua, aut priſca, aut ab oratore modificata, & inflexa quodammodo, qualia ſunt, ea quæ transferuntur, aut immutantur, aut ea, quibus tanquam abutimur, aut ea, quæ obſcuramus, quæ incredibiliter tollimus. quæq. mirabilius, quam ſermonis conſuetudo patitur, ornamus.

In tractatione verborũ vis eloquentiæ maxime perſpicitur. neque enim orator tantum uidere debet, ut latina uocabula ſint, & perſpicua & ornata; ſed iudicium adhibebit, quæ cuique loco conueniant; ut nõ confuſe, & perturbate omnia admittat; ſed ut architectus, qui certo ordine lapides & ligna digerit. Nam illa etiam, quæ optima ſunt uocabula, uenuſtatem omnem & gratiam amittũt, niſi quis eis opportunè uſus fuerit. Ponit autem hoc loco Cicero quinque tractandi modos. quorum primus eſt, cum propria ſumuntur; ſecundus, cum addita ad nomen; Tertius cum noua; Quartus, cum priſca; Quintus, cum modificata, & inflexa. Sed hic quintus modus in uarias ſpecies diducitur, nam omnes tropos continet, ut poſtea docebimus. Propria nomina maximam omnium uim habent, ut Hermogens tradit; ideo primo loco ponũtur in tractatione, ſed quot modis proprietas in uerbis cernatur, iam ſupra docuimus. Hic propria intelligimus, quæ rem unam tantum ſingularem ſignificant, ut Homerus, Cyllarus, Eridanus, Roma,

ma,cæteraq. eius generis.Hæc autem ita tractantur, ut uel ſuo nomine proferantur,ut Socrates,uel circuitione uerborum notentur,ut Sophroniſci filius.ſic Horatius in arte nomen Homeri ponit.

*Quo ſcribi poſſent numero,monſtrauit Homerus.*

Sed in epiſtolis ita per uerborum circuitionem idem indicat,

*Troiani belli ſcriptorem maxime Lolli.*
*Dum tu declamas Romæ,præneſte relegi.*

Hac uerborum circuitione frequenter poetæ vtuntur in explicandis proprijs nominibus, ut Homerus,ita nomen Vlyſsis declarat.

*Dic mihi muſa virum captæ poſt mœnia Troiæ,* in princi.
*Qui mores hominum multorum vidit & vrbes.* Odyſſ.

Ita Virgilius Aeneam deſcribit.

*Arma virumq. cano Troiæ,qui primus ab oris,&c.*

Quod ſæpenumero facit etiam Cicero, ut Hic, cuius in poteſtate ſumus,ideſt Cæſar.Importuni gladiatoris amentia, ideſt,Antonij.Furia muliebrium religionum,ideſt Clodius. Ergo uel propria nomina ſumet orator, ut pro Milone, Atqui Milone interfecto Clodius hoc aſſequebatur.Nihil per uim unquam Clodius, omnia per uim Milo. Vel eadem circumſcribet, ut in eadem oratione, Quo tandem animo tyrannum tuliſſe creditis? Atque illam belluam iudicij laqueos declinantem irretitam teneret.Magnum fuit Miloni conficere illam peſtem nulla ſua inuidia,Nam ipſum Clodium modo tyrannum,modo belluam,modo peſtem uocat. Poſſumus etiam propria hoc loco intelligere,quæ nō ſunt aliūde tranſlata, ſed primo ſenſu ſignificata ſunt. Nam idem uerbum propriè rem unam ſignificabit, tranſlatè alteram; ut ignis propriè calidum & ſiccum elemētum ſignificat, ſed tranſlatè pro amore ponitur,ut Et cæco carpitur igni. Ardere propriè de igne dicitur, tranſlate de irato homine; ſed huius generis ſunt innumerabilia.Itaque orator prudenter aduertet,quando proprijs, & quando tranſlatis utendum ſit.Addita ad nomen, ſunt qui intelligant appellationes,quibus propria nomina ſignificantur, ut pater,mater,ſoror,frater,doctor,diſcipulus,uxor,maritus,ſocrus, nurus, atque eius generis cætera,quæ ſanè plerunque multo maiorem uim habent,quam propria;ut pro A. Cluentio, Oppugnat filium mater; longè grauius eſt, quam ſi dixiſſet, oppugnat Cluentium Saſsia. Et in eadem oratione, Nubit genero ſocrus,ſine dubio maius eſt,quam, Nubit Melino Saſsia.Sed mihi uidetur Cicero,Addita ad nomen ea uocare, quæ græco nomine ephiteta dicuntur, & a Grammaticis adiectiua nomina, in Initio Aen.

qui-

quibus magnus eſt orationis ſplendor, magna dignitas. ut Cicero pro lege Man. poterat ita proponere. Dicendum eſt enim de Cn. Pompeij uirtute; ſed duobus adiectis epithetis, mirãdum in modum membrum illud illuſtrauit, hoc modo, Dicendum eſt enim de Cn. Pompeij ſingulari eximiaque uirtute. Quo in genere tantopere excellit Cicero, ut aliqui exiſtiment eius eloquentiam, ideo tum admirabilem eſſe, quod ubique tam appoſite ſciat epitheta copulare. Quam rem uel illud unum exemplum pro Marcello poteſt oſtendere; Tantam enim manſuetudinem, tam inuſitatam, inauditamq; clementiam, tantum in ſumma poteſtate rerum omnium modum, tam denique *incredibilem* ſapientiam, ac penè diuinam, tacitus nullo modo præterire poſſum. Sed hoc unuſquiſque poteſt in Ciceronis libris aduertere, quam crebro epitheta ſoleat uſurpare, ut nulla pene ſit periodus in orationib. quæ non epithetis ſcateat. Quo in genere Virgilius etiam excellit, ut, de Polyphemo.

li. 3. Aen.

*Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.*

Licet autem uno exemplo demonſtrare, quantam orationi maieſtatem adferant adiectiua nomina. Nam ſi quis ita dicat, Bruti prudentia Tarquinium expulit, latine & eleganter dixiſſe uidebitur; ſed quanto grauius, & ſublimius hoc idem erit, ſiquis hoc modo epithetis exornet; Incredibilis, ac prope diuina Iunij Bruti prudẽtia, ſuperbiſſimũ, atque crudeliſsimum regem Tarquinium, ab urbe Romana dominatu regio priuatum expulit; Eandem fere uim etiam aduerbia opportunè uerbis addita frequenter habere ſolent, ut, ſiquis ita dicat: Appollonius Ciceronem, græcè declamantem audiens, admiratus eſt; latinè loquetur: Sed ſi addat aduerbia, quæ ſint accommodata, tunc certè intelliget, quantopere creſcat oratio, hoc modo; Appollonius aptè diſtinctè, & ornatè Ciceronem græcè declamantem diligenter audiens, maiorem in modũ admiratus eſt. Quæ conſonantiora fient etiam, ſi per ſuperlatiua enuncientur, ut ſupra docuimus. Quod igitur adiectiua ſubſtãtiuis ſunt, id uerbis etiam adiectiua uidentur eſſe. Sępe etiam adiectiua uim efficientis cauſæ exprimunt, præcipue apud Poętas. Quam figuram Grammatici metonymiam vocant, ut Virgilius;

Lib 6. Aeneid.

*Luctus & vltrices poſuere cubilia curæ*
*Pallenteſq; habitant morbi, triſtiſq; ſenectus.*
*Et metus, & maleſuada fames, & turpis egeſtas.*

Tale eſt illud,

*Infelix lolium, & ſteriles dominantur auenę.*

ſic

Digitized by Google

ſic Horatius,

*Pallida mors æquo*
*Pulſat pede pauperum tabernas, regumq; turres.*

Sic lætam victoriam dicimus, calamitoſam offenſionem, bellum triſte, pacem ſalutarem, ab effectu; quibus epithetis etiam in ſoluta oratione frequenter vtimur. Noua vocabula non ita frequenter licet vſurpare, niſi quando neceſsitas cogit; vt, cum res aliquæ nouæ reperiuntur. Nam rebus nouis, noua etiam verba ſunt adiungenda. Sed rectè Quintilianus ait; Vſitatis tutius vtimur; noua nõ ſine quodam periculo fingimus. Ideo putat idem Quintilianus non eſſe conceſſam nobis onomatopęam, ideſt, vt Cornificius interpretatur, nominationem, Græcis autem magis conceſſum & noua verba fingere. qua de cauſa dixit Horatius. lib. 1. c. 5.

*Et noua fictaq; nuper habebunt verba fidem.*
*Græco fonte cadant parce detorta.* in ar. poe.

Tamen etiam Latini nonnunquam noua fingunt, vt Cicero dixit Appietatem, Lentulitatẽ, Syllaturire, multaq. eius generis, vt de ſenectute, Terra diffundit, & elicit herbeſcentem ex eo viriditatem. Et ibidem, ne ſylueſcat ſarmentis. Meſſala primus reatum dixit, Auguſtus munerarium, Terentius etiam primus obſequium dixit. & Hortenſius ceruicem in ſingulari, cum antea ceruices tãtum dicerentur. Neque omnino interdictum eſt latinis noua fingere, præſertim in eo genere, quæ reperta dicuntur, vt Quintilianus putat. quod ſi quid periculoſius finxiſſe videbimur, quibuſdam remedijs vti debemus quaſi præmunientes, Vt ita dicam, Si licet dicere, vt hoc verbo vtar, Permitte mihi ſic dicere. hãc Græci προεπιπλήξιν, quaſi præcaſtigationẽ vocant. qua etiam Cicero nonnunquam vtitur, vt in Academicis, Audebimus ergo nouis verbis vti te auctore. Primo de Natura Deorum, aut iſta ſiue beatitas, ſiue beatitudo dicenda eſt, vtrumque omnino durũ. Nobis interdum nouis vti neceſſe eſt, vt ſi bombardam dicamus, aut Baptiſmum, aut Miſſam, aut alia multa, quæ ſunt in religione noſtra iam vſurpata. Priſca & inuſitata verba, nonnunquam maieſtatem quandam afferunt orationi, ſi raro eis vtamur. nam & auctoritatem antiquitatis habent, & quia intermiſſa ſunt, gratiam nouitati ſimilem parant. ſed opus eſt modo (ait Quintilianus) vt neque crebra ſint hæc, neq; manifeſta, quia nihil eſt odioſius affectatione. Saluſtius notatus fuit hoc crimine, quod nimis priſca & antiqua verba quæreret. lib. 1. c. 6.

*Et verba antiqui multum furate Catonis.*
*Criſpe Iugurthinę conditor hiſtoriæ:*

Hi dicuntur antiquarij, qui verba antiqua ſcrutantur, vt Iuuenalis de muliere huius rei ſtudioſa.

*Ignotosq. mihi tenet antiquaria verſus.*

lib. 3. de orat. L. Craſſus apud Ciceronem ſic ait, Inuſitata ſunt priſca ferè, ac vetuſta & ab vſu quotidiani ſermonis iamdiu intermiſſa, quæ ſunt poetarum licentia liberiora, quam noſtra; ſed tamen non raro habet etiam in oratione poeticum aliquod verbum dignitatem, neque enim illud fugerim dicere, vt Cælius, Qua tempeſtate pœnus in Italiam venit, nec prolem, aut ſobolem, aut effari, aut nuncupari, aut, vt tu ſoles Catule, non rebar, aut opinabar, & alia multa, quibus loco poſitis grandior, atque antiquior oratio ſæpè videri ſolet. Sed hæc ſi nimis frequentia fuerint, aut nimis obſoleta in vituperationem incidunt. quare merito ridiculi videntur etiam hoc noſtro tempore quidam, qui ſe magnificè loqui exiſtimant, cum vel ex Plauto, vel ex Catone, vel ex aliquo vetuſtiſsimo ſcriptore potuerint aliquod obſoletum & prorſus inuſitatum verbum expiſcari, quod orationi ſuæ inſerant. Contra laudatur Virgilius, quod raro quidem, ſed opportunè priſca vſurpet, vt.

*Tros Rutulus ve fuat, nullo diſcrimine habebo.*
*Heu quianam tanti cinxerunt æthera nimbi. &*
*Igneus eſt ollis vigor.*

AVT AB ORATORE MODIFICATA, ET INFLEXA QVODAMMODO) Hoc loco tropos & figuras omnes tam verborũ, q̃ ſentẽtiarum innuit; ideo modificata dixit, quod modo quodam a propria ſignificatione & forma deducuntur, nam tropus ẽt modũ ſignificat, & Quintilian. figurã ita definit. Figura eſt arte aliqua nouata dicendi forma. Non aũt ſigillatim oẽs figuras perſequitur, ſed tantũ quibuſdã exemplis docet, qua ratione ab oratore verba modificentur, & inflectantur. neque enim vitioſum eſt, in re infinita prætermittere aliquid, & ait in Topicis Cicero quod idem in diuiſione vitioſum eſt. Formarum enim certus eſt numerus, quæ cuique generi ſubijciantur. Partium diſtributio ſæpe eſt infinitior, tanquam riuorũ a fonte deductio. Itaque in oratorijs artibus quæſtionis genere propoſito, quod eius formę ſint, ſubiungitur abſolutè. At cum de ornamentis uerborũ ſentiarumq; pręcipitur. quæ uocantur σχήματα nõ fit idem. res enim eſt infinitior. Hæc ibi Cicero. Quare nemo iure poteſt eum reprehendere, quãuis hoc in loco non omnes oratorias figuras, perſecutus ſit, ſed quaſdam tantum attigerit. QVALIA SVNT EA, QVÆ TRANSFERVNTVR.) Quoniã tranſlatio frequentiſsima eſt, ideo poſuit eam primo loco. Atque hic tropus quodam-

modo

Digitized by Google

modo naturalis eſſe uidetur, quoniam etiã indocti eo ſæpiſsimè utuntur. ut ardere ira dicunt, & inflammari deſiderio, & vites gemmare. hæc metaphora græco nomine dicitur, quæ iucundam, atque nitidam totam efficit orationem. L. Craſſus duas cauſas affert, cur inuenta tranſlatio ſit, neceſsitatẽ & delectationem. Sicut ueſtis, inquit, frigioris depellendi gratia primo reperta, poſt adhiberi cœpta eſt ad ornatum etiam corporis & dignitatem. primo igitur inopiæ cauſa tranſlatio inuenta eſt, deinde propter delectationem frequentata fuit. Neceſsitate cogimur uerbum transferre, cum proprium deeſt, quæ tanquam *mutatio* quædam eſt, cum quod non habemus aliunde ſumimus, ut luxuriem eſſe in herbis, lętas ſegetes ẽt ruſtici dicũt, ita ſitire agros, fructus laborare. ſicut ẽt durũ hominẽ & aſperũ dicimus, quoniã aliud non habemus, quo illas affectiones exprimamus. Delectationis tranſlatio eſt, quæ vel clariorẽ efficit orationẽ, uel ſignificantiorem, uel decentiorẽ, vel breuiorẽ. Tranſlatio clarior mire ad ornatum facit, ut lumen orationis, ſplendor generis, concionum procellæ, orationis flumina. ſic Cicero uocat Clodium fontem gloriæ Milonis, ſegetem ac materiam laudis. aureum flumen orationis Ariſtotelis. Significantior tranſlatio ad dicendi ſublimitatem adhibetur, ut Pericles orator dictus eſt tonare, fulminare, permiſcere totam græciam. Sic ira incenſum, inflammatam cupiditate, errore lapſum dicimus. Decentior eſt tranſlatio, qua parum ſpecioſa dictu explicamus, ut uentrem exonerare, liberis operam dare, tale eſt illud Virgilij, in Georg. Lib. 5. de Orat.

*Hoc faciunt nimio ne lux obtuſior vſus*
*Sit genitali aruo, & ſulcos oblimet inertes.*

Breuior tranſlatio vim habet vel maximam, vt ſi telum manu fugit. Imprudentia (inquit Craſſus) teli emiſsi proprijs verbis breuius exprimi non potuit, quam eſt vno ſignificata tranſlato. Tale eſt illud,

*Telumq; armare veneno.* Lib. 7. Aeneid.

Et pro Ligario, Qui ſenſus erat armorum tuorum? Ducuntur a ſenſibus omnibus elegantes metaphoræ, & maxime oculorum, qui eſt ſenſus acerrimus. A viſu igitur primo, vt lumen, & ornamentum Reip. ſpecimen ingenij, exemplar religionis, ſplendor virtutis, obſcuritas generis. Decus patriæ, pulchritudo virtutis. Ab auditu, vt ſtrepitus comitum, murmur multitudinis, Sonitus orationis, Ab olfactu, vt odor vrbanitatis, ſagaciter odorari. A tactu, mollitudo humanitatis, aſperitas verborum, duritia mentis. A guſtu, dulcedo orationis hoſtis amarus, Virgilius,

*Hoſtis amare quid increpitas.*

Hæ vero metaphoræ paſsim occurrunt apud bonos auctores. Quintilianus ait metaphoræ vim eſſe quadruplicem, vel enim ab animato ad animatum transfertur verbum; vel ab inanimato ad inanimatum; vel ab animato ad inanimatum, vel ab inanimato ad animatum. Quæ ſic exemplis illuſtrantur, primo ab animato ad animatum, vt T. Liuius Scipionem a Catone allatrari ſolitum refert. Ita Ciuitatis gubernator dicitur, & voluptatis architectus. Ab inanimato ad inanimatum, vt,

li.6 Aen. *Claſſiq; immittit habenas,* Et alibi.

li.2. Aen. *Infrenant alij currus.*

Ita fontem gloriæ dicimus, & gaudij cumulum, & virtutis, magnitudinem, & iræ feruorem. Ab animato ad inanimatum, vt

*Sedet inſcius alto.*

li.12. Ae. *Accipiens ſonitum ſaxi de vertice paſtor.*

Talia ſunt illa pro Ligario, Quid enim tuus ille Tubero diſtrictus in acie pharſalica gladius agebat, cuius latus ille mucro petebat? qui ſenſus erat armorum tuorum? Ab inanimato denique ad animatum, vt,

Li.10. Aeneid. *Proinde tona eloquio ſolitum tibi.*

Cic. lib 3. de orat. Ita ardeo cupiditate incredibili; accenſus ſum deſiderio tui. In tranſlatione ſeptem vitia vitanda ſunt, primum ne penitus diſsimilis ſit, vt, Cæli ingentes fornices, alterum ne longe petita, vt, ſyrtis patrimonij, Caribdis bonorum; Tertium, ne turpis, vt, Stercus curiæ Glaucia; Quartum, ne ſit maior, quam res poſtulet, vt Tempeſtas comeſſationis; Quintum ne ſit minor, vt ſcintilla proditionis; Sextum, ne ſit dura, vt, Iuppiter hybernas cana niue conſpuit alpes; Septimum, ne ſit tantum poetica, vt, paſtor populi pro rege. His vitijs declinatis, maxime laudabilis erit tranſlatio. Iam cum fluxerunt cōtinuæ plures tranſlationes, alia planè fit oratio, vt in Oratore ad Brutum ait Cicero. Itaque genus hoc græci appellant Allegoriam. Quintilianus inuerſionem interpretatur, Cornificius permutationem vocat. Ea fit, quoties plures tranſlationes copulantur, vt, Si canes funguntur officio luporum, cui nam præſidio pecuaria credemus? tale eſt illud Terentij, Sceleſta, ouem lupo commiſiſti. Eſt autem allegoriæ frequens vſus & apud poetas, & apud oratores, & in vulgari etiam atque quotidiano ſermone. Apud poetas, vt Horatius totam vnam odam per allegoriam ſcripſit,

Ode. 14. lib. 1. *O nauis referent in mare te noui*

*Fluctus, o quid agis fortiter occupa Portum*

Vbi

Digitized by Google

Vbi nauim pro Rep. fluctuum tépeſtates, pro bellis ciuilibus, portum pro pace, atque concordia dicit. Tale eſt illud Virgilij in Georgicis.

*Sed vos immenſum ſpacijs confecimus æquor,*
*Et iam tempus equum fumantia ſoluere colla.*

Apud oratores etiam allegoria reperitur, ſed frequenter, vt pro Milone. Et quidem cæteras tempeſtates, & procellas in illis duntaxat fluctibus concionum ſemper putaui Miloni eſſe ſubeundas. Sed illa ſpecioſiſsima eſt allegoria, quæ permixta eſt cum ſimilitudine, & tranſlatione, ut pro Murena, Quod fretum, quem Euripum tot motus, tantas tam uarias habere creditis agitationes, commutationes, fluctus, quantas perturbationes, & quantos ęſtus habet ratio comitiorum. In uulgari, atquè quotidiano ſermone, frequenter utimur allegoria. Si quidem omnia ferè uulgata prouerbia per allegoriam enunciantur, ut ſimiles habent labra lactucas. Aſinus ſtramenta mauult, quam aurum. Aquila non capit muſcas. Luſciniæ cantus non deeſt, & huius generis pene infinita, quibus aliud dicitur, aliud intelligitur. Ad hoc genus referũtur illa Pythagorę vocata ſymbola, ut Ne guſtaris eos, quibus eſt nigra cauda; A fabis abſtineto; Quę ſunt uncis unguibus ne nutrias; Hirundinem ſub eodem tecto ne habeas. Hanc figuram Ariſtoteles ſub tranſlatione comprehendit. Quoniam re uera nihil aliud eſt allegoria quam continuata tranſlatio. Atque ideo Cicero Ariſtotelis ſententiam approbat. Quidam faciunt etiam Ironiam allegoriæ ſpeciem, quoniam in ea aliter intelligi uelimus, quam enunciamus, ut pro Milone. P. Clodij mortem æquo animo nemo ferre poteſt, luget Senatus, mœret equeſter ordo; tota ciuitas confecta ſenio eſt; ſqualent municipia, afflictantur colonię; agri denique ipſi tam beneficum, tam ſalutarem, tam manſuetum ciuem deſiderant. Sed de Ironia multa diximus in Oratore ad Brutum, mihi enim a tranſlatione, & allegoria uidetur eſſe diuerſa. Nam irriſionis gratia reperta eſt. AVT IMMVTANTVR.) Hanc figuram, ut ait Cicero, hypallagen Rhetores uocãt, quia quaſi ſubmutantur uerba pro uerbis, metonymiam grammatici, quod nomina transferuntur. Hypallage latine ſubmutatio dici poteſt, metonymia uocatur a Cornificio denominatio. Quintilianus metonymiam nominis pro nomine poſitionem interpretatur, ut Horatius.

Li. 3. Rhe. — In ora. ad Brut. — In ora. ad Brut.

*Receptus Terra Neptunus claſſes aquilonibus arcet,*

Neptunum pro mari poſuit. Inter tranſlationẽ, & metonymiam hæc eſt differentia, quod tranſlatio ſimilitudine quadam ab alia re ducitur; Metonymia pro uerbo proprio *ſubijcit* aliud, quod idem ſignificet, ſumptum ex aliqua re conſequenti, ut arma pro bellis, Virgilius,



Digitized by Google

Arma uirumque cano; Bacchus pro uino, Ceres pro pane. Terentius, ſine Cerere, & Baccho friget uenus. Cicero pro Fonteio, Iſti immani, atque intolerandæ barbari ei reſiſtamus, pro barbaris hominibus. Ita dicimus totam Italiam eſſe commotam, ideſt homines qui ſunt in Italia. Hæc autem figura fit multis modis, ſed præcipuè ſeptem, quos hic ponimus. Primo cum inuentor pro re inuenta ponitur, ut Mars belli communis, Vulcanum in lanterna gerit; Sine cerere & Bacco friget uenus. Secundo, cum ponitur id, quo continet, pro re quæ continetur, ut Africa terribili tremit horrida terra tumultu; Cæſar uniuerſam Galliam decem annis domuit; Italia tota eſt *in armis*; Pompeius cum tota domo interijt. Tertio, cum ſignum pro re ſignata ponitur, ut, Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ; Plus in toga Reip. profuit Cicero, quam in bello Pompeius. Quarto, cum ab effectu res aliqua denominatur, ut Lex horrendi carminis, ſegne otium, ira præceps. Pallenteſq; habitant morbi; triſtiſq. ſenectus. Sic pallida mors dicitur, & egeſtas turpis. Quinto, cũ inſtrumentum pro re ipſa ponitur, ut arma, & tela pro bello, Arma uirumq. cano. Ordior arma, quibus cælo ſe gloria tollit, ſic dicimus libris inuigilare, ideſt ſtudijs. Sexto, cum auctorem pro opere uſurpamus, ut Cicero nunquam de manibus eſt deponendus, Ariſtoteles diligenter euoluendus eſt, Cicero, Mitte mihi Theopraſtũ. Ariſtoteles ab ipſis philoſophis præter admodũ paucos ignoratur. Septimo, cum uirtutes & uitia pro ipſis, in quibus illa ſunt, ponimus, ut Luxuries in quam domum non penetrauit, Nihil eſt tam ſanctum, quod auaritia non uiolet. Clementia Cæſaris etiam inimicis pepercit. Catilinæ ſcelus romanam Remp. pene ſubuertit pro Milone: oppreſſa virtute eſt audacia. His & alijs quibuſdam huius generis medijs uerba immutantur. AVT EA QVIBVS TANQVAM ABVTIMVR) Hæc figura Catachreſis græce, latine abuſio dicitur, quæ interdum eſt neceſſaria, ſicut ait Quintilianus. quoniam non habentibus ſuum nomen accommodat, quod in proximo eſt. ut

*Equum diuina Palladis arte*
*Aedificant.*

Lib. 3. de orat. Craſſus ait, abuſionem non tam elegantem eſſe, quam tranſlationem Sed (inquit) etiam licentius, abutimur tamen interdum non impudenter, ut cum grandem orationem pro magna, minutum animum pro paruo dicimus. Tale eſt illud Virgilij.

*Hunc ego ſi potui tantum ſperare dolorem.*

Ita cũ parricidam pro matris interfectore ponimus, auguriũ pro oraculo, ut, Augurijs agimur diuum, raro tamen abuti uerbis oportet, ne

fiat

Digitized by Google

fiat impropria, nimiſq; licentioſa elocutio. AVT EA, QVÆ OBSCVRAMVS.) Hæc eſt obſcurior allegoria, quæ ſi frequens fuerit in uitium euadit, & ænigma uocatur, ut illud Virgilij,

*Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,*
*Treis pateat cœli ſpacium non amplius vlnas.*

Si uero rarius adhibeatur, gratiam habet, ut Cicero pro Roſcio Am. Te pugna Cannenſis accuſatorem ſat bonum facit, multos cęſos non ad Thraſymenum lacum, ſed ad Seruilium uidimus. quis ibi non eſt uulneratus ferro phrygio? talia ſunt, quæ uulgo ioci gratia proponuntur ſoluenda, ut illud, Mater me genuit, eadem mox gignitur ex me, Sunt qui ad hunc locum referant obſcuriores ſententias & prouerbia, ut Bos laſſus fortius figit pedem. Ignem gladio ne fodias. Aduerſus ſolem ne meieto. cæteraq. eius generis, quibus interdum expoliter oratio. ſed, ut diximus, rara eſſe debent, ne in uitium obſcuritatis incidamus. QVÆ INCREDIBILITER TOLLIMVS.) Hyperbole dicitur, cum aliquid incredibiliter extollimus; Cornificius ſuperlationem uocat, Quintilianus ſuperiectionem ementientem; ut, pro lege Man. Qui ſæpius cum hoſte conflixit, quam quiſquam cum inimico concertauit, plura bella geſsit, quam cæteri legerunt, plures prouincias confecit, quam alij concupierunt. Hæc pluribus modis fieri ſolet, aut enim plus facto dicimus, ut uomens fruſtis eſculentis gremium ſuum, & totum tribunal impleuit. Aut res per ſimilitudinem attollimus, ut, credas innare reuulſas Cycladas, & alio loco. Oculis micat acribus ignis. Aut per comparationem, ut, fulminis ocyor alis. Ph 2. li. Aen. 8. Aen. lib. 5

*Qui candore niues anteirent curſibus auras* Meta. 13

Aut ſignis quibuſdam utimur, ut Virgilius de Camilla

*Illa vel intactæ ſegetis per ſumma volaret* li. 7. Aen.
*Culmina, nec teneras curſu læſiſſet Ariſtas,*
*Vel mare per medium curſu ſuſpenſa tumenti*
*Ferret iter celo, nec tingeret æquore plantas.*

Aut per tranſlationem fit hyperbole, ut Iuuenalis,

*Semper & aſſiduo rupta lectore columnæ.*

& Pericles tonare, fulminare, permiſcere Græciam dictus. Interdum Ph. 2. creſcit hyperbole alia ſuperaddita, ut, Quæ Charybdis tam uorax, Charybdim dico, quæ ſi fuit, fuit animal unum. Oceanus medius fidius, uix uidetur tot res, tam diſsipatas, tam diſtantibus in locis poſitas, tam cito abſorbere potuiſſe. Et alio loco, Non enim Charybdim Ver. 1. tam infeſtam, neque Scyllam nauibus, quam iſtum in eodem freto

fuiſſe

fuiſſe arbitror. QVÆQVE MIRABILIVS, QVAM SERMONIS CONSVETVDO PATITVR, ORNAMVS.) Valla putat hoc loco Ciceronem de periphraſi tantum, ſeu de verborum circuitione ſentire, quod omnino falſum eſt. neque enim ſola periphraſis mirabilius exornat, ſed aliæ multæ verborum ſententiarumque figuræ. Latomus de amplificatione putat a Cicerone verba fieri, quod etiam ratione caret, nam amplificatio vehementior quædam argumentatio eſt, vt infra dicetur, & potius in rebus, quam in verbis perſpicitur. Præterea non vnam exornationem amplificatio, ſed plures & ferè omnes amplectitur. *Mihi ſentire melius videntur ij, qui cæteras omnes figuras a Cicerone hoc loco notari exiſtimant*. neque enim alia vlla cauſa eſt, cur orator admirabilius, quam ſermonis conſuetudo patitur, verba faciat; niſi quia varijs figuris & exornationibus totam orationem ſuam illuſtrat. At dicit aliquis cur eas ergo figuras non enumerando perſequitur? quia ſatis habet hoc in opere Cicero capita complecti rerum illarum, quas alijs in operibus copioſe pertractauit. vt paulo ſupra locos, & ſedes argumentorum tantum enumerauit, & non explicuit, quoniam de illis iam copioſius in Topicis tractauerat; ita hoc loco ſatis eſt ipſas exornationes nominare, de quibus alio loco permulta dixit. Oportet igitur in oratione mirabilius dicere, quam ſermonis conſuetudo patiatur; vt in familiari collocutione ſatis eſt animi ſenſa exprimere. Quin ille ridiculus eſſe videretur, qui vel in ſermone, vel in epiſtolis familiaribus vim & neruos oratorios adhibere contenderet. Epiſtolas enim (vt ait Cicero) quotidianis verbis texere ſolemus. Figuræ autem, atque exornationes, tanquam ſtellæ quædam maxime illuſtrant, & admirabilem efficiunt orationē. quàm enim admirabilis eſt illa pro Milone conuerſio, atque conformatio? Vos albani tumuli atque luci, vos, inquam, imploro, atque obteſtor, voſq. albanorum obrutæ aræ ſacrorum populi R. ſociæ & æquales, quas ille præceps amentia, cæſis proſtratiſq. ſanctiſsimis lucis ſubſtructionum inſanis molibus oppreſſerat. Quam acris illa conduplicatio cum repetitione? Valeant ciues mei, valeant, ſint incolumes, ſint florentes, ſint beati. Quid exclamationes illæ, O fruſtra ſuſcepti mei labores, o ſpes fallaces, o cogitationes inanes meæ. Iam vero illa contentione nihil fieri vehementius poteſt; Reuocare tu me in patriam Milo potuiſti, per hos; ego te in patria per eoſdem retinere non potero? Quid? illa ſubiectio præcedente contentione quantam vim habet? Me non potuiſſe Milonis ſalutem tueri per eoſdem, per quos noſtram ille ſeruaſſet? at in qua cauſa non potuiſſe? quæ eſt grata gentibus; a quibus non potuiſſe? ab his qui maxime P. Clodij morte acquieuerunt; quo deprecante? me. Hæ, cæteræq. huiuſmodi figu-

Lib. 3. de orat.

ræ,

ra, quibus paſsim abũdat Cicero, ſunt, quę orationem mirabilius, quã ſermonis conſuetudo patitur, exornant.

C. F. Habeo de ſimplicibus uerbis, nunc de coniunctione quæro. C. P. Numeri quidam ſunt in coniunctione ſeruandi, conſecutioq. verborum. Numeros aures ipſæ metiuntur, ne aut non compleas uerbis, quod propoſueris, aut redundes.

Transitione vtitur, qua repetit breuiter, quæ dicta ſunt, & proponit dicenda. Dixerat enim primam vim in ſimplicibus verbis eſſe; ſecundam in coniunctis. Iamque ſatis multa verba de ſimplicibus fecit, reſtat igitur, vt etiam de coniunctis tractet. Duo ſunt autem in coniunctione verborum ſeruanda, hoc eſt numerus, & conſecutio. Numerum vero hoc loco, non quo numeramus intelligere debemus; ſed vel concinnitatem quandam in oratione, cum paria paribus, cõtraria contrarijs reſpondent, quam Gorgias Leontinus inueniſſe dicitur; uel rhythmum, quo pedes etiam in oratione quodammodo notãtur. quorum obſeruandorum princeps fuit Traſymachus Calcedonius ut docet Cicero; quanquam idem in Bruto huius inuentionis palmam Iſocrati tribuit. Concinnitas fit tribus modis, primo cum paria paribus reſpondent, vt pro P. Seſtio. Qui auctoritate, qui fide, qui conſtantia, qui magnitudine animi, conſilijs audaciam reſtiterunt; ij graues, ij principes, ĩj duces, ij auctores huius dignitatis, atque imperij ſemper habiti ſunt. Secundo cum opponuntur contraria, vt in eadem oratione; Sed mihi omnis ratio eſt cum virtute, nõ cum deſidia; cum dignitate, non cum voluptate; cum ijs qui ſe patriæ, qui ſuis ciuibus, qui laudi, qui gloriæ, nõ qui ſomno & conuiuijs, & delectationi natos arbitrantur. Tertio, cum caſus ſunt in exitu ſimiles, vt in Piſonem; An oppidorum turpis amiſsio? an ſociorum direptio? an agrorum depopulatio? Quoties hæc tria in oratione adhibẽtur ſua ſponte numeroſa fit oratio. Sed cum de numeris multa verba Cicero fecerit in oratore ad Brutum; ideo nihil de illis hic agit, ſed auribus omne iudiciũ committit. nos etiam cum in commentarijs noſtris in Oratorem, partem hanc copioſè tractauerimus, hoc in loco dedita opera breuiores erimus. Obſeruãtur igitur pedes & initio & in fine periodorum, ſed finis diligentiam maiorem exquirit, initium liberius eſt. In vniuerſum breuiores ſyllabæ, & in principio & in fine minus habent grauitatis; ideo Trochæus; ſiue Tribrachus, qui ex tribus breuibus ſyllabis conſtat, vel rariſsimè, vel nunquam, aut in principio, aut in fine ponitur. In orat.



Digitized by Google

Longiores autem ſyllabæ maiorem habent grauitatem, modo ne plures quam tres, aut quatuor continuæ ponantur. Illud vitandum eſt, ne in oratione ſit carmen, neue deſinat in carmen oratio, quoniam hoc maximum vitium eſſe putant. Initio tamen principium heroicũ laudatur, & in hiſtoria præcipuè, vt T. Liuius ſic incepit, Facturus ne operæprecium ſim; & Saluſtius, Bellum ſcipturus ſum, quod populus Romanus. Iambus, Pyrrhicius, Tribrachus, Choræus pedes ſunt humiles, qui in oratione, neque principio, neque fini ſatis conueniunt, quotidiano ſermoni & epiſtolis magis aptantur. Spondeus, Dactylus, Anapeſtus, qui pedes heroici vocantur, & Creticus optimè orationem incipiunt; ideo Ciceroni maximè familiares ſunt hi pedes in exordijs. In fine duo vel etiam tres, vt vult Cicero, pedes obſeruantur. Habẽt autem hi pedes vel duas ſyllabas, vel tres, vel quatuor. ex ijs, qui duas habent ſyllabas, ſpondeus optimè claudit orationem, niſi vel dactylus, vel alter ſpondeus præcedat. hinc enim malus fit numerus. iambus autem & choræus fini venuſtatem addunt, quoties vltimum ſpondæum antecedunt. Trium ſyllabarum pedes omnes præter trochæum bene claudunt, ſed omnium optimè Creticus, deinde Bacchius, & Palmibacchius. Quatuor ſyllabarũ pedes in fine frequentiſsimi ſunt, & magnam orationi dignitatem afferunt, ſed tamen dyſpondei nimis tardi videntur. Dichorei ſunt omnium pulcherrimi, peſsimi dijambi, Peones laudabiles & Epitriti. Quin etiam ambo Ionici commendantur. Horum exempla paſsim occurrunt in Orationibus Ciceronis, & nos in Oratore multa congeſsimus. Multi ſunt etiam quinque ſyllabarum pedes, quorum maximè dochimum Cicero probat, qui conſtat ex palimbacchio & iambo, vt Amicos tenes. Sed hæc pedum obſeruatio, acri aurium iudicio indiget. cũ enim aures implentur, non poteſt non eſſe numeroſa oratio, cum autem aliquid deeſt, aut redundat, tunc perit orationis numerus. vt illa Ciceronis eſt plena periodus: Nunquam enim temeritas cum ſapientia commiſcetur: nec ad conſilium caſus admittitur. Cum autem non completur verbis, quod propoſitum eſt, numeroſa eſſe non poteſt oratio, vt ſi quis ita dicat, Nũquam enim temeritas cum ſapientia commiſcetur, nec cum conſilio caſus. Neque cum aliquid redundat, ſeruari numerus poteſt; vt ſi quis dicat, Nunquam enim temeritas cum ſapientia commiſcetur, aut copulatur, nec ad conſilium caſus admittitur, aut aggregatur. Itaque diligenter videndum eſt, ne quid, aut deſit, aut redundet, quo in genere qui ſunt artis imperiti, permulta peccant.

Pro M. Marcello.

Conſecutio autem, ne generibus, numeris, temporibus, perſonis, caſibus perturbetur oratio. nam

vt in

vt in ſimplicibus verbis, quod non eſt latinum, ſic in coniunctis quod non eſt conſequens, vituperandum eſt.

Conſecutionem vocat, Cicero partium conuenientiam, quam Grammatici concordantiam vocant, vt nullum ſit vitium. In generibus; vt Virgilius, Imo de ſtirpe recisum, aut in numeris, vt turba ruũt in me, aut in temporibus, vt Ciſsis par increat; aut in perſonis, vt, Diuellimur inde Iphitus, & Pelias mecum. Aut in caſibus, vt it clamor cœlo. Hæc *enim* in poetis tolerantur, in quibus longè maior eſt licentia. Sed in oratore, quicquid non eſt cònſequens, vituperatur. Nam duo conſiderare debet orator in verbis, primo vt ſint latina; deinde vt ſint conſequentia, quod niſi fecerit, in duo vitia facilè incurret, hoc eſt barbariſmum, & ſolæciſmum. Nam in ſimplicibus verbis quicquid non eſt latinum, barbarum dicitur; in cõiunctis, quicquid non eſt conſequens, ſolęcum appellatur. Hoc eſt quod Quintilianus pręcipit, vt primo barbariſmi, ac ſolæciſmi fæditas abſit. Tribus autem modis barbariſmus intelligitur. Primo cum aliquod vocabulum non latinum orationi inſeritur: Secundo, cum aliquid inſolenter crudeliterq; dictum ſit. Is enim barbarè loqui dicitur, qui nimis inſolenter loquitur. Tertio, cum alicui verbo litera uel ſyllaba detrahitur, vel adiungitur, vel mutatur. Qua in re Q. Hortenſius Tincam Placentinum reprehendebat, quod duos in vno verbo barbariſmos committeret, cum diceret, preculam pro pergula. Solæciſmus multis fit modis, primo genere, vt, Imo de ſtirpe; numero, vt ſiquis vnũ vocet, & dicat, Venite; adiectione; vt Venio de Roma. Quarto detractione, vt Ambulo viam. Quinto transmutatione, vt, Enim ego, Autem tu. Non eſt autem in ſenſu Solæciſmus, ſed in complexu verborum. Fiunt etiam multi ſolęciſmi leuiores illi quidem, ſed tamen diligenter euitandi, cum generum, numerorum, temporum, caſuum, perſonarum ordinem non ſeruamus; vt, ſiquis dicat, Cæſar Gallos domuit, & ab eo Pompeius deuictus eſt. nam, quia genus verbi mutatum eſt, ideo non eſt conſequens: dicendum igitur fuit, Cæſar Gallos domuit, & Pompeium deuicit. Vitandum igitur eſt, quicquid eſt ἀνακόλουθον, ideſt non conſequens, vt Terentius, *Principio amico filium reſtitueris, tibi generum firmum, & filiæ inuenies virum.* Mutauit enim modum. Quod in ſoluta oratione vitium haberetur.

Communia autem ſimplicium coniunctorumque ſunt hæc quinque quaſi lumina, dilucidum, breue, probabile, illuſtre, ſuaue.

Q 2 Hacte-

Hactenus ſeparatim de ſimplicibus uerbis, & coniunctis pręcepta dedit: nunc uero quæ communia ſint docet. Siue igitur ſimplicia ſint, ſiue coniuncta uerba, quinque illas uirtutes habere debent, a quibus maximè luminoſa fiunt, ut claritatem habeant, ut breuitatem, ut probabilitatem, ut illuſtrationē, ut ſuauitatem. In his enim quinque quaſi luminibus eloquētiæ tota uirtus elucet. Debet enim oratio eſſe clara, ut intelligatur; breuis, ne tædium afferat; probabilis, ut fidem faciat; illuſtris, ut moueat; ſuauis, ut delectet. Claritas eſt prima uirtus orationis, vt Ariſtoteles ait. Breuitas, quę ſuperuacanea ſunt, reſecat; non autem tollit neceſſaria, aut debita, aut honoraria. Probabilitas docet, illuſtratio motum animis affert; ſuauitas ad delectationem refertur; Dilucidum, quod etiam apertum, & clarum, & perſpicuum dicitur, totius quidem orationis lumen eſt; ſed tamē magis exponendis rebus conuenit, ideo præcipiunt rhetores, ut narratio dilucida ſit, & aperta. Triplex autem eſt perſpicuitas, vna rerum, altera uerborum, tertia rerum & uerborum ſimul. Poteſt enim eſſe res aperta; ſed uerba, quibus ea res exprimitur; obſcura; ut, ſiquis pro cochlea dicat, Terrigenam, herbigradam, domiportam ſanguine caſſam. Sic apud Pacuuium Amphio de teſtudine.

Li. 3. Rh.

*Quadruples, tardigrada, agreſtis, humilis, aſpera,*
*Capite breui, ceruice angina, aſpectu truci.*

Cicer. de Diuin.

Poſſunt etiam eſſe verba clara & aperta, ſed res obſcuræ, qualia ſunt Ariſtotelis opera, in quibus, vt ait Cicero, flumen orationis aureum eſt, ſed magna rerum obſcuritas. Verum orator & rerum & verborum perſpicuitatem diligentiſsimè ſeruare debet. Nam in oratione vitium vel maximum eſt, a vulgari genere ſermonis, atque a conſuetudine communis ſenſus abhorrere. Videndum eſt igitur, qua ratione dilucida fiat oratio.

## Dilucidum fit vſitatis verbis, proprijs, diſpoſitis aut circumſcriptione concluſa, aut intermiſsione, aut conciſione verborum.

Dilucidum tam in ſimplicibus verbis ſpectatur, quam in coniunctis. In ſimplicibus verbis fit oratio dilucida, primo ſi verba ſunt vſitata, deinde ſi propria. Vſitata vocantur ea, quę a bonis auctoribus frequenter vſurpantur, & a communi conſuetudine non recedunt; vt ab oratore ſenex potius dicetur, quam caſcus, aut caſnar, percutere potius quam occillare; valde potius quam oppido; furari potius quam manuari. Vehementer enim aduertendum eſt, ne, ut quidam, inuſitata, &

obſole-

Digitized by Google

obſoleta uerba inculcantes, iure optimo rideamur. Propria ſunt, ſua rerum uocabula, non tranſlata, neque aliunde ducta, de quibus iam ſupra diximus. Nam quæ ſunt impropriè dicta, præterquam quod uitioſa ſunt, etiam orationem obſcurant. In cōiunctis uerbis diſpoſitio triplex conſideratur. Vel enim circumſcriptione cōcluduntur, uel intermiſsione, uel conciſio ne. Circumſcriptio eſt ea, quæ græco nomine periodus appellatur, latinè etiam ambitus, & circuitus, & comprehenſio, & continuatio uerborum dicitur, vt ait Cicero, Ariſtoteles Periodum, ita definit, ut nos conuertimus, Periodus eſt oratio quæ principium, & finem ex ſeſe habet, & eam magnitudinem, quæ facile perluſtrari poſsit. Ex qua definitione ſatis intelligitur, Ariſtotelem damnare longas periodos, quippe qui uelit periodi partes mentis oculis facile omnes ſimul perluſtrari poſſe. Quę ſi talis fuerit, etiam iucunda & facilis erit, ut idē ſentit Ariſtoteles. Cicero plenam, atque integram periodum è quatuor membris conſtare uult, ut aures impleat; neque breuior, neq; longior ſit, quam ſatis ſit. Talis ea periodus, qua orationem pro A. Cæcina exorſus eſt; Si quantum in agro lociſq; deſertis audacia poteſt, tantum in foro, atque in iudicijs impudentia ualeret; non minus in cauſa cederet A. Cæcina Sex. Ebucij impudentiæ, quàm tum in ui facienda ceſsit audaciæ. *Sed tamen hæc regula non poteſt eſſe perpetua; quoniam frequenter accidit, vt aut citius inſiſtendum ſit, & tantum duo, aut tria membra ponenda ſint, aut longiùs procedendum; vt non tantum quatuor, ſed interdum etiam plura in vno ambitu membra ponantur. Hoc autem fit, ne ſi breuis periodus fuerit; aures non impleantur, aut, ſi nimis longa, obtundātur.* Quidam a membrorum numero periodos appellant; vt, vnimembres dicantur, quę vnum tantum membrum habent; bimembres, quæ duo; trimembres, quæ tres; quadrimembres, quæ quatuor. Quamuis etiam Cicero periodum duobus membris non eſſe breuiorem velit; tamen, cum integra ſententia membro vno clauditur; poteſt etiam quodammodo periodus appellari. Vnimembres igitur periodi vocantur, quæ vno tantum membro clauduntur, vt, *Nihil eſt*, quod ſtudio, & amore effici non poſsit. Nullum eſt officium referenda gratia magis neceſſarium. *Inſidiatori vero & latroni quæ poteſt afferri iniuſta nex?* Bimembres, *quæ duo membra comprehendunt*; vt, Quorum igitur impunitas, Cæſar, tuæ clementiæ laus eſt, eorum ipſorum te ad crudelitatem acuet oratio? pro Q. Ligario. Et pro Milone, Eius igitur mortis ſedetis vltores; cuius vitam ſi putetis, per vos reſtitui poſſe noletis? Saluſtius. E quidem ego regnum uobis trado firmum, ſi boni eritis; ſin mali, imbecillum. Trimembres, quæ tribus membris continentur, vt pro Archia, Saxa & ſolitudines voce reſpondent; beſtię ſæpè immanes cantu flectuntur, atque conſiſtunt; nos inſtituti rebus optimis

In ora. ad Brut.
lib. 3. Rh.
In ora. ad Brut.

optimis non poetarum voce moueamur? Quadrimembres, quę quatuor membra complectuntur, quæ plenæ ſunt, atque integræ; vt Homerum Colophonij ciuem eſſe dicunt ſuum; Chij ſuum vendicant; Salaminij repetunt, Smyrnei vero ſuum eſſe confirmant. Huius generis plurimæ ſunt, atque in exordijs præcipuæ. Nam omnia ferè exordia Cicero periodis quatuor membrorum incipit; vt pro Milone, Etſi vereor, Iudices, ne turpe ſit, pro fortiſsimo viro dicere incipientem timere; hoc eſt vnum membrum; minimeque deceat, cum T. Annius Milo ipſe magis de Reip. ſalute, quam de ſua perturbetur, me ad eius cauſam parem animi magnitudinem afferre non poſſe; hoc eſt alterum membrum; tamen hæc noui iudicij noua forma terret oculos; hoc eſt tertium; qui quocũque inciderint veterem conſuetudinem fori, & priſtinum morem iudiciorum minime vidēt; hoc eſt quartum. Atque ita perfecta eſt periodus ex quatuor membris. Sunt qui plurium etiam membrorum, vt quinque, aut ſex periodos putent; ſed diligenter cauendum eſt, ne longior ſit quam oporteat, ne forte vel obſcura, vel affectata oratio eſſe videatur. Intermiſsio vocatur hoc in loco, quod alibi membrum orationis dicitur; quod aliquando periodi pars eſt. Conſtat enim ipſa periodus è membris & inciſis. Sunt autem inciſa quædam membrorum partes, vt in eo verſu Virgilij,

pro Arch.

*Ante focum, ſi frigus erit; ſi meſſis, in vmbra.*

Duo membra ſunt, & quatuor inciſa. Aliquando vero per ſe membrum conſideratur, ſicut etiam inciſum. Vocatur autem *intermiſsio*, quoniam ſæpè curſus orationis intermittitur, cum membratim dicimus, vt Terentius. Vbi quæram? vbi inueſtigem? quem percuncter? quam inſiſtã viam? Cicero pro Milone, Quid iam reſtat? quid habeo? quid dicã? quid faciã pro tuis in me meritis? Cõciſio verborum dicitur alio nomine inciſum, & græcè comma, ſæpè fit ſingulis verbis; vt, Abijt, exceſsit, euaſit, erupit. Et pro Milone, Hæc tanta virtus ex hac vrbe expelletur, exterminabitur, eijcietur? Sæpè etiam pluribus fit verbis, vt, Domus ſibi deerat? at habebas, pecunia ſuperabat? at egebas. His quaſi luminibus dilucida fit oratio. Cum autem in periodo ſint membra, & inciſa, ſolent ita punctis ſignari, & diſtingui, vt inciſum dextra ſemicirculi parte notetur, mẽbrum duobus punctis, Periodus vno puncto. Quæ res clariorem etiam efficit orationem.

Obſcurum autem aut longitudine, aut contractione orationis, aut ambiguitate, aut inflexione, atque immutatione uerborum.

Non

Non ſatis eſt virtutes diſcere, niſi etiam vitia relinquantur; docet igitur Cicero, quomodo obſcura fiat oratio, non vt eam affectamus, ſed vt fugiamus. Ergo quatuor modis oratio ſolet obſcurari, hoc eſt, Longitudine, contractione orationis, ambiguitate, inflexione verborum. Longitudo primo obſcuritatem inducit, quare non debemus periodos nimis in longum protrahere, ſicut inepti quidam ſolent, qui putant ſe tunc grauiſsime dicere, cum verborum comprehenſiones quã longiſsimas adhibent. naſcitur enim longitudo orationis ſæpiſsime ab ignorantia, quæ verba confundit, neque vnquam ſe ſatis dixiſſe putat. Cleomenes rex Lacedæmoniorũ ſalſe riſit Samiorum legatos, quod apud ſe nimis longa oratione vſi fuiſſent. Quæ (inquit) primo loco dixiſtis, non memini, & ob id, ne media quidem intelligo: quæ vero dixiſtis omnium poſtrema, non probo. Cicero ridet orationem Rulli; quæ a nullo intelligeretur. Auguſtus Cæſar, tanquam vitium magnum obiecit Antonio, quod ea ſcriberet, quæ potius homines admirarentur, quam quæ intelligerent. Contractio orationis tunc vitioſa eſt, cum neceſſaria omittit, alioqui breuitas eſt virtus, vt poſtea videbimus, ſed nunc eam breuitatem intelligimus, de qua ſic Horatius. In Art. poe.

*Breuis eſſe laboro, obſcurus fio.*

In hac re notatus eſt à quibuſdam Thucydides apud Græcos, & Saluſtius apud nos. Poetæ ſæpe fabulas tantum attigentes, obſcuri fiunt, vt primo Aeneidos, Manet alta mente repoſtum, Iudicium Paridis. Heraclitus Epheſius breuitatem & obſcuritatem in dicendo affectabat, vnde cognomento Scotinos, ideſt obſcurus dictus eſt, de quo Lucretius.

Iul. Cæſ. Scaliger. libr. artis poe. 24. c. 4. probat Saluſtij locationem valde non breuẽ, ſed opulẽtam eſſe.

*Clarus ob obſcuram linguam.*

Ambiguitas ſemper obſcura eſt, niſi diſtinguatur, vt illud Oraculũ, Cræſo Lydorum regi datum; Cræſus Halym penetrãs magnam peruertet opum vim. Sunt autẽ ambigua ſemper vitioſa, vt Audiui Chremetem percuſsiſſe Demeam, niſi forte dedita opera quærantur, tunc enim ſæpe venuſtatem habent, & acumen; vt Cicero in Pletorium Fonteij accuſatorem, cuius matrem dixit, dum vixiſſet, ludum, poſtquam mortua eſſet, magiſtros habuiſſe. Huiſmodi ambigua in primis acuta putantur. Inflexio atque immutatio verborum ſæpe obſcuritatem parit, cum aliud dicitur, aliud intelligitur; quod in allegoria fit, & in prouerbijs, & in ænigmatibus. Allegoria, vt, Occurſare capro cornu ferit ille caueto. Prouerbium, vt Corchonis in lachanis. Aenigma, vt Cicero de Q. fratre ſuo, Frater meus maior eſt dimidius, quam totus. Hæc autem ideo ſunt obſcura, quia verba

ſunt

Digitized by Google

Lib. 8. inſtitu. ſunt inflexa, atque immutata a propria ſignificatione in aliam. Quintilianus docet obſcuritatem vel in ſimplicibus verbis, uel in coniunctis eſſe; atque in ſimplicibus, tribus modis, primo, ſi ſunt ab uſu remota, ut caſcus pro ſene, antegerio pro ualde. Secundo, ſi propria regionum, aut artium, ut Atabulus uentus, & in Geometria Scalenus, aut Iſoſceles; Tertio, ſi homonyma, ideſt ſi plures habent ſignificationes, ut Taurus animal, & Mons, & ſignum in cœlo, & proprium nomen uiri. In coniunctis uero ſunt plures modi, ut Hyperbaton, Parenthesis nimis longa, ambiguitas, periphraſis affectata, breuitas, mutatio ſignificationis, aut contractionis, quorum omnium exempla ponit, ſed omnium peſsima ſunt illa quæ ἀδυνατόντα grecè uocantur, unde nullus ſenſus erui poteſt. Illud obſeruatum eſt, optimos quoſque auctores claritatem orationis quæſiuiſſe, & obſcuritatem fugiſſe, vnde bene Quintilianus dixit, Erit eo obſcurior, quo quiſque deterior.

Breuitas autem conficitur ſimplicibus uerbis, ſemel unaquaque re dicenda, nulli rei, niſi ut dilucide dicas, ſeruiendo.

Breuitas interdum in oratione laudatur, & præſertim in narratione, docent enim rhetores, narrationem eſſe breuem, apertam & probabilem oportere. Sæpè etiam in hiſtoria breuitas commendatur, quam C. Cæſar in ſuis commentarijs obſeruauit, & Saluſtius in hiſtorijs, & apud Græcos Thucydides, & Xenophon. Duplex traditur breuitas apud græcos hoc eſt συντομία, quæ latinè contractio orationis dici poteſt; & βραχυλογία, quæ latinè breuiloquentia vocatur, & inter exornationes rhetoricas ponitur, quę rẽ velociter expedit; vt, Veni, vidi, vici. Terẽtius in Andria, Effertur, imus, in ignem polita eſt, fletur. Hinc cõtrariũ vitiũ Battalogia dicitur, cũ ſępius idẽ repetitur, a Batto quodã Poeta, qui Deorũ hymnos prolixos ſcripſit, in quibus eadẽ ſæpè repetebat. videtur hoc in loco Cicero de prima breuitatis ſpecie ſentire, quę Syntomia dicitur, qua in narrationibus interdum vtuntur oratores, & in contentionibus, atque confirmationibus, ſępius etiam in cõcluſionibus argumentationum, vbi breuiter ea repetunt, quę iam confirmata ſunt. qua in re mirus artifex eſt Cicero; vt, pro Milone, ante narrationem breuiſsimè repetit omnia, quæ iam confirmarat hoc modo; Si neq; omnis cõfeſsio facti eſt inuſitata; neque de cauſa quicquã noſtra aliter, ac nos vellemus, a Senatu iudicatum eſt, & lator ipſe legis, cũ eſſet cõtrouerſia nulla facti, iuris tamen diſceptationẽ eſſe voluit, & electi iudices, & iſti præpoſitus quæſtioni, qui hæc iuſtè ſapienterq. diſceptet, reliquum eſt, & cætera. Ita pro lege

Digitized by Google

lege Man. quinque verſibus omnia complexus eſt, quæ in tota oratio-
ne copioſe diſputarat, cum ita cõcludit, Quare cum & bellum ita ne-
ceſſarium ſit, vt negligi nõ poſsit; ita magnum, vt accuratiſsimè ſit ad-
miniſtrãdum; & cum ei imperatorem præficere poſsitis, in quo ſit exi
mia belli ſcientia, ſingularis virtus, clariſsima auctoritas, egregia for-
tuna; dubitabitis, Quirites, & quæ ſequuntur. Illam vero breuitatem,
quæ in narrationibus & confirmationibus interdum laudatur, ſi ſequi
volumus, tria nobis obſeruãda ſunt; vt oſtendit hoc in loco Cicero,
primò, vt ſimplicibus verbis vtamur, hoc eſt detractis omnib. epithe-
tis & circumlocutionibus; vt ſi dicas, Cicero patriam liberauit, longè
breuius dixeris, quam ſi ita pronuncies; Incredibilis ac propè diuina
Ciceronis prudẽtia Remp. Romanam a perditiſsimorum ciuiũ ne-
farijs conatibus eripuit; Hac autem virtute maximè Cæſar excellit,
qui tamen tantum vim habet, vt ait Quintilianus, id acumen, eam con
citationem, vt illum eodem animo dixiſſe, quo bellauit, appareat. Se-
cundò, vt ſemel tantum vnamquamq; rem dicamus, nulla commora-
tione, aut repetitione vtamur. Sæpè enim accidit, vt vno in loco diu
commorentur oratores, & eandem rem ſæpius repetant, quod in am-
plificationibus frequentiſsimè fieri ſolet, quod pluribus in locis apud
Ciceronem videre licet. Verum qui breuitatem ſequi voluerit, om-
nes commemorationes & repetitiones eiuſdem rei ex oratione ſua
remouebit, quod vno exemplo demonſtrare ſatis eſt; Cicero ſic ait,
Equidem non deero, monebo, prædicabo, denunciabo, teſtabor ho
mines deoſque quid ſentiam. Si breuitati ſtudere voluiſſet, ſatis erat Ph.7.
dicere, Equidem denunciabo quid ſentiam. Tertiò, breues erimus,
ſi nulli rei ſeruiamus, niſi vt dilucidè & apertè dicamus. hoc eſt ſi
exornationes omnes, tanquã veſtes, orationi detrahamus, & res nu-
das exponamus; quod frequenter in narrationibus facit Cicero; vt Mi
lo autem cum in Senatu fuiſſet eo die, quoad Senatus dimiſſus eſt do- In orat.
mum venit, calceos, & veſtimenta mutauit, pauliſper, dum ſe vxor, vt pro Milo.
fit, comparat, commoratus eſt. Hæc præcepta ſunt breuitatis oratoriæ
nam Dialectici, etiam, & Philoſophi contractione orationis vtuntur,
ſed ferè perpetua, vnde Cicero dialecticam vocat cõtractam eloquen
tiam. Lacedæmonij præter cæteros dicendi breuitate ſemper delecta-
ti ſunt, vnde etiam apud auctores Laconiſmus pro breuiloquentia
ſæpè reperitur. Hinc eſt quod Homerus Menelaum Lacedæmonio-
rum regem a dicendi breuitate commendat. Pauca quidem, inquit,
ſed valde argute loquebatur. neque enim multis verbis vtebatur. Mul-
ta Laconicæ breuitatis exempla paſsim in hiſtorijs reperiuntur, ſed il
lud in primis; cum enim Philippus Macedonum rex, quiddã pluribus
verbis à Lacedæmonijs petijſſet, illi vnico verbo reſponderunt, Non.
& cum ille minacem epiſtolam, iterum longam, ad eoſdem miſiſſet, ſi

in Peloponeſum veniſſet, ſe de illis pœnas ſumpturum; illi iterum vni co verbo reſponderunt, Si. Quin ijdem Lacedęmonij Cteſiphontem oratorem è ciuitate ſua expulerunt, quoniam dicebat de quacunque re, quæ ſibi proponeretur, ſe totum diem poſſe dicere. ſed hæc laconi ca breuitas oratori nihil prodeſt. cum eloquentia ſit copioſe loquens ſapientia, & parua laus dicendi ſit in breuitate, niſi quando neceſsitas breuiter dicere nos compellit.

**Probabile autem genus eſt orationis, ſi non *nimis* eſt comptum atque expolitum; ſi eſt auctoritas & pondus in verbis; ſi ſententiæ uel graues, uel aptæ opinionibus hominum, & moribus.**

Lib. 8. Inſtit. orat.

Probabile duobus modis conſideratur, primo in inuentione, deinde in elocutione. De probabili, quod ad inuentionem pertinet, iam generaliter ſupra dictum eſt, cum locos & ſedes argumentorum explicuimus: nam argumentum probabile eſt inuentum ad faciendum fidem, Hoc autem in loco de probabili, quod in elocutione ſpectatur, agit Cicero, quoniam elocutionis præcepta perſequitur. Itaque probabilis, inquit, ea eſt elocutio, quæ non nimis eſt compta, atque expolita. Nimius enim ornatus, ait Quintilianus, & eloquentia reſupina, atque molliter effœminata, non eſt probabilis. Intelligendum eſt autem de elocutione iudiciali, & deliberatiua, quæ quidem ornata eſſe debet, non ita tamen, vt ars appareat, aut pręmeditata videatur, quoniam ea res fidem abrogat oratori. Nam elocutio demonſtratiua nullum genus exornationis reſpuit. Et quoniam ad delectationem tantum comparatur; prodeſt etiam in ea & artem, & ingenium oſtentare. Tria ſunt autem, quæ iudicialis, & deliberatiua elocutio habere debet, vt probabilis fiat, primum ne nimium ſit compta atque expolita; Alterum, vt ſit auctoritas, & pondus in verbis; Tertium, vt ſententiæ graues, & aptæ opinionibus hominum & moribus adhibeantur. Quæ ſingula quo modo fiant, videamus. Primum igitur fit, cum exornationes illas prætermittimus, quæ floridam, & nitidam orationem efficiunt; vt, ſunt concinnitates verborum, in quibus paria paribus, contraria contrarijs reſpondent; in quibus ſunt iterata, duplicata, ſimiliter cadētia, agnominata cæteraq. eius generis; quæ in demonſtratiuo genere frequentiſsima ſunt. quas quidem exornationes Cicero in narrationibus refugere plerunque ſolet, vt probabiliores videantur. Demoſthenes a quibuſdam reprehenſus eſt, quod in exornandis orationibus ſuis nimis eſſet diligens. Vnde eius orationes, lucernā olere dictæ ſunt. Qui-



Digitized by Google

dam autem hoc ad maximam laudem referunt, quod magno ſtudio rebus ipſis orationem accommodaret. Secũdum, ut auctoritas, & pondus ſit in uerbis, fit cum uerba rebus ipſis accommodantur, quæ uim in ſe magnam habeãt, pro A. Cluentio, uxor generi nouerca filij, filiæ pellex. Pro Roſcio Amerino, Quid tam eſt commune, quam ſpiritus uiuis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus eiectis, & quæ ſequuntur. Tale eſt illud Ennij.

*Quo nobis mentes recte, quæ ſtare ſolebant,*
*Antehac, dementi ſeſe flexere ruina?* & illud.

Laocoontis apud Virgilium.

*O miſeri, quæ tanta inſania ciues*
*Creditis auectos hoſtes, aut ulla putatis*
*Dona carere dolis Danaum? ſic notus Vlyßes?* li. 2. Aen.

Cicero pro Milone, Sin hoc & ratio doctis, & neceſsitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipſa præſcripſit, vt omnem ſemper uim quacunque ope poſſent, a corpore, a capite, a vita ſua propulſarent; non poteſtis hoc facinus improbum iudicare, quin ſimul iudicetis, omnibus, qui in latrones inciderint, aut illorum telis, aut veſtris ſententijs eſſe pereundum. In his enim verbis magna certe auctoritas & pondus ineſt. Tertiũ magnopere mouere ſolet, propter ſentẽtiarum grauitatem, vt Cicero, conſcientia rectæ voluntatis maximum eſt in rebus aduerſis ſolatium. Nihil præter culpam accidere poteſt homini, quod horribile ſit, ac pertimeſcẽdum. pro Lege Man. Neque enim exercitum poteſt is continere imperator, qui ſeipſum non continet; neque ſeuerus eſſe in iudicando, qui alios in ſe ſeueros eſſe iudices non vult? Maximè uero probabiles ſunt illæ ſententiæ, quæ aptæ ſunt opinionibus hominum, vt pro Archia poeta, Trahimur omnes laudis ſtudio, & optimus quiſque maximè gloria ducitur. Pro Milone, Fecerunt ſerui Milonis, quod quiſque in tali re ſeruos ſuos facere voluiſſet. Nam probabile eſt, vel quod ferè fieri ſolet, vt, Si mater eſt, diligit filium, ſi auarus eſt, negliget iuſiurãdum; vel quod eſt in opinione poſitum, ut impijs apud inferos pœnas eſſe præparatas; vel quod ſimilitudinem habet, vt, quemadmodum nõ omnes agri frugiferi ſunt, qui coluntur; ita non omnes, qui docentur, in ſcientijs excellunt.

Illuſtris autem oratio eſt, ſi & uerba grauitate delecta ponuntur, ac translata, & ſuperlata, & ad nomen adiuncta, & duplicata, & idem ſignificantia, at-

que ab ipſa actione, atque mutatione rerum non abhorrentia.

Septem modis oſtendit orationem illuſtrem fieri poſſe, primo ſi verba grauitate delecta ponuntur, vt pro L.Man. Aguntur certiſsima populi R. vectigalia, & maxima, quibus amiſsis, & pacis ornamenta, & ſubſidia belli requiretis. Pro Milone, Dederas enim quam contemneres populares inſanias, iam ab adoleſcentia documenta maxima. In Verrem, Repentè hominem proripi, atque in foro medio nudari, ac deligari, & virgas expediri iubet. Secundo, Tranſlata verba plurimum illuſtrant orationem, vt ſeptima in Verrem. Ipſe inflammatus ſcelere, & furore, in forum venit, ardebant oculi, toto ex ore crudelitas eminebat. Pro Lege Man. Nunc imperij noſtri ſplendor illis gentibus lucet. Pro Milone, Quid enim odiſſet Clodium Milo ſegetem & materiem gloriæ ſuę? Tertio, ſuperlata verba, hoc eſt quæ per hyperbolen ſeu ſuperlationem efferuntur, illuſtrem faciunt orationem; vt pro M.Marcello, Domuiſti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes. Pro Lege Man. Qui ſæpius cum hoſte conflixit, quàm quiſquam cum inimico concertauit, plura bella geſsit, quam cæteri legerunt, plures prouincias confecit, quam alij concupiuerunt. Quarto, Adiuncta ad nomen poſſunt orationem illuſtrare, vt pro Lege Man. Aſia vero tam opima eſt, & fertilis, ut & ubertate agrorum, & uarietate fructuum, & magnitudine paſtionis, & multitudine earum rerum, quæ exportantur, facile omnibus terris antecellat. Pro Milone. P. Lentulus ultor ſceleris illius, propugnator Senatus, defenſor ueſtræ uoluntatis, patronus illius publici conſenſus, reſtitutor ſalutis meæ. Quinto, Duplicata, ut pro Milone. Vos, uos appello fortiſsimi uiri. Valeant, inquit, ualeant ciues mei, ſint incolumes, ſint florentes, ſint beati. Aſpicite, aſpicite iudices ſquallorē ſordeſq; ſociorum. Sexto, idem ſignificantia, ut abijt, exceſsit, euaſit, erupit. Et pro A. Cæcina. Qui manum fecerit, copias pararit, multitudinem hominum coegerit. Pro Milone, Hæc tanta uirtus ex hac urbe expelletur, exterminabitur, eijcietur? Septimo, uerba, quæ actionem aut rem imitantur, uim habent illuſtrandi, ut inter dolorem crepitumq; plagarum uidebar uidere alios intrantes, alios uero exeuntes, quoſdam ex uino uacillantes, quoſdam heſterna potatione oſcitantes. Secūda Philippica, Perſonabant omnia uocibus ebriorum, natabant pauimenta uino, madebant parietes, ingenui pueri cum meritorijs, ſcorta inter matresfamilias uerſabantur. Pulcherrima uero eſt ea oratio, quæ uel hæc omnia ſimul, uel pleraque continet, quales multæ ſunt apud Ciceronem.

Eſt

Digitized by Google

Eſt enim hæc pars orationis, quæ rem conſtituat penè ante oculos. is enim maxime ſenſus attingitur: ſed cæteri tamen, & maxime mens ipſa moueri poteſt.

Hanc exornationem uocant ſubiectionem ſub oculos, quæ tum fieri ſolet, ut ait Quintilianus, cum res non geſta indicatur, ſed ut ſit geſta oſtenditur. Hæc ὑποτύπωσις græcè dicitur. Cornificius demonſtrationem appellat, ut pro Milone. Res loquitur, Iudices, ipſa, quæ ſemper ualet plurimum, ſi hæc non geſta audiretis, ſed picta uideretis, tamē appareret uter eſſet inſidiator. &c. Mouet autē hæc exornatio animum, quia rem ante oculos cōſtituit: & oculorum ſenſus in nobis eſt acerrimus, ut ait Cicero. Quamuis enim etiam alij ſenſus afficiantur, ut auditus propter lamentationes, & lachrymas ad miſericordiam mouet; cantu vero ac fidibus ad delectationem. Ita reliqui, ut odoratus, guſtus, tactus, atque etiam mens ipſa, quæ nequaquam proprie ſenſus dici poteſt, niſi quatenus ab affectionibus corporeis mouetur, tamen magis nos mouent ea, quæ uidemus, quam quæ, uel audimus, uel cogitamus, uel alio ſenſu aliquo percipimus. Vnde bene dixit Horatius, *Segnius irritant animos demiſſa per aurem. Quam quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus*, & cæt.

Sed quæ dicta ſunt de oratione dilucida, cadunt in hanc illuſtrem omnia. eſt enim plus aliquanto illuſtre, quam illud dilucidum. altero fit, vt intelligamus, altero uero ut uidere uideamur.

Oſtēdit hoc loco illuſtre eſſe tanquam ſpeciem dilucidi. Quare quæcunque de dilucido dicta ſunt, poſſunt etiam de illuſtri dici: hoc eſt omnia præcepta, quæ docent dilucidam facere orationem, proſunt etiam ad illuſtrem faciendam, ſed tamen illuſtre plus eſt quam dilucidum, Sicut homo plus eſt, quam animal. Nam animal ideſt tantum, quod mouetur & ſentit, homo uero nō tantum mouetur, & ſentit, ſicuti cætera animalia, ſed etiam eſt præterea rationis particeps. Ita dilucidum efficit tantum, ut id, quod dicitur, intelligamus, illuſtre uero facit, ut & intelligamus, & uidere uideamur. Vt, ſiquis ita dicat, Subito magna tempeſtas exorta eſt, quæ cœlum obſcurauit, cum tonitru, & fulminibus, ut magnum terrorem incuteret. Hæc certe oratio diluci-



Digitized by Google

da erit, ſed illa Virgilij in primo Aeneidos, non tantum dilucida, ſed etiam illuſtris, qua ita tempeſtatem deſcribit.

*Eripiunt ſubito nubes cœlumq; diemq;*
*Teucrorum ex oculis, ponto nox incubat atra,*
*Intonuere poli. & crebris micat ignibus æther*
*Præſentemq; viris intentant omnia mortem.*

Plus igitur eſt illuſtre, quam dilucidum.

Suaue autem erit genus dicendi primum elegantia, & iucunditate verborum ſonantium, & lenium. deinde coniunctione, quæ neq; aſperos habeat concurſus, neque diſiunctos, atque hiantes, & ſit circunſcripta non longo anfractu, ſed ad ſpiritum uocis apto, habeatque ſimilitudinem, æqualitatemque uerborum.

Suauitas in oratione duplex eſt, altera uerborum, altera rerum. Sed Cicero prius de verborum ſuauitate tractat, poſtea etiã de ſuauitate rerum tractabit. Verborũ igitur ſuauitas tribus potiſsimum rebus comparatur, elegantia, compoſitione, figuris. Elegantia fit uerborum delectu. Nam, ut aiebat Cæſar, delectus uerborum initium eſt eloquẽtiæ, uerba autem deligi debent, iucunda, ſonantia, lenia. Hoc eſt, quod ait Cicero, ſuaue dicendi genus primum fieri elegantia, & iucunditate uerborum ſonantium & lenium. Iucunda uerba ſunt, ut illa Ciceronis poteſt reditum in Senatu, Qui mihi fratrem optatiſsimum, me fratri amantiſsimo, liberis noſtris parẽtes, nobis liberos, qui dignitatem, qui ordinem, qui fortunam, qui ampliſsimam Remp. qui patriam, qua nihil poteſt eſſe iucundius, qui denique noſmetipſos nobis reddidiſtis. Sonantia ſunt, ut ibidem. Si P. C. Pro ueſtris immortalibus in me, fratremq; meum, liberoſq; noſtros meritis, parum uobis cumulatè gratias egero, quæſo obteſtorq;, & cætera. Lenia ſunt, ut illa. Princeps P. Lentulus, parens, ac Deus noſtræ uitæ, fortunæ, memoriæ, nominis, hoc ſpecimen uirtutis, hoc indicium animi, hoc lumen conſulatus ſui fore putauit, ſi me mihi, ſi meis, ſi uobis, ſi Reip. reddidiſſet. Erit igitur elegans & ſuauis oratio, quæ conſtabit ex iucundis & ſonantibus & lenibus uerbis, ut illa Virgilij,

*Reſtitit Aeneas, claraq. in luce refulſit*
*Os humeroſq. Deo ſimilis, namque ipſa decoram*

Cæſa-

Digitized by Google

*Cæſariem nato genitrix, lumenq. iuuentæ*
*Purpureum, & lætos oculis afflarat honores.*

Coniunctio uerborum ſiue compoſitio quatuor modis erit ſuauis; primo, ſi non habeat aſperos concurſus. Sunt enim quædam conſonantes, quæ quoties concurrunt aſperam & moleſtam efficiunt orationem. vt, Sola mihi tales caſus Caſſandra canebat, ita ſi quis diceret, Rex Perſarum Xerſes pontum pedibus pertranſiuit, Montes ſtratos Claſsibus nauigauit; aſpera ſanè. & iniucũda eſſet hæc oratio, propter aſperos conſonantium concurſus. Quod ſi quis ita commutet, Xerſes ille ditiſsimus, Perſarum Rex cum in Græciam venire decreuiſſet, ſuper Helleſpontum fabricato põte, pedibus ipſum mare pertranſiuit; & Atho monte perforato, per eum armatam claſſem facile traduxit; longe ſuauior euadet oratio. Secundo ſuauis erit; ſi non diſiunctos & hiantes concurſus habuerit, cum enim crebræ vocales inter ſe concurrunt, nimis hiantem orationem efficiunt. vt, Ego omni officio, ac potius pietate, quod licet in epiſtolis, & familiari collocutione toleretur; eſt tamen in oratione vitioſum, niſi quando quis in tenui genere verſatur, tunc enim hiatus ille conceditur, de quo ſic ait Cicero. Habet enim ille tãquam hiatus concurſu vocalium molle quiddam, & quod indicet non ingratam negligentiam, de re hominis, magis quàm de verbis laborantis. In graui autem oratione fugiendus eſt ille uocalium concurſus, nam princeps oratorum Demoſthenes eum diligenter euitat, vt ait in Oratore Cicero, in carminibus etiã magnopere uituperatur. unde Catullus reprehenſione nõ caruit, apud quem ſunt huiuſmodi Verſus,

Ep 1. fam. lib. 1.

In ora. ad Brut.

*Quam modo qui me vnum, atque vnicum amicum habuit,*
*Nec deſiſtere amare, omnia ſi facias.*

hæc enim prorſus iniucunda ſunt. Tertio fit iucunda compoſitio, ſi ſit circumſcripta non longo anfractu, ſed ad ſpiritũ vocis apto. Longitudo periodorum parit obſcuritatem; ut iam ſupra docuimus. Obſcura uero oratio ſuauis eſſe non poteſt. quare non admodum longæ debent eſſe periodi, neq; longos anfractus habere. Sunt autem anfractus uiæ tortuoſæ, atque in ſe recurrentes, ſed hic tranſlatè pro uerborum circuitu ponitur. Notatus eſt a M. Antonio Demoſthenes, quod interdum una continuatione uerborum binas contentiones uocis, & remisſiones complecteretur, quæ res obſcuram efficit orationem. debet enim tantum uerborum ambitus protrahi, quantum ſpiritus aptè percipere, ac pronunciare poteſt. Quarto ſuauis eſt compoſitio, ſi habeat ſimilitudinem, æqualitatemq. uerborum. Quidam hunc locum ita intelligunt, ut uerba ſimilia ſint, & æqualia rebus ipſis, ne-

Lib. 1. de ora.

grandia

grandia humilibus, magnifica abiectis miſceantur. nam & in tragœdia comicum uitioſum eſt, & in comœdia turpe tragicum. neque conuenit, ut ait Quintilianus, infanti cothurnos Herculis aptare; & Ageſilaus dixit, non ſibi cerdonem bonum uideri, qui paruo pedi magnum calceum induceret; neque bonum oratorem, qui de rebus leuibus grauiter, & copioſè diceret. Itaque rebus uerba debent eſſe ſimilia, & æqualia, ne uel in nugis, quod aiũt, tragœdias excitemus, uel in grauibus rebus frigeamus. Mihi uidetur Cicero ſignificare idem, quod ait in Oratore ad Brutum, nempè æquabile & temperatum orationis genus maximè eſſe ſuaue; Et quoties ſuauitatem in *dicendo quęrimus*, debere nos ad ſimiltudinem æqualitatemq́. uerborum cõfugere. nam in æquabili & temperato genere dicendi, plurimum ſuauitatis ineſt, ut ipſe teſtatur Cicero. Quo in genere Demetrius Phalereus cęteris omnibus antecelluit. in hoc omnes uerborum, omnes ſententiarum illigantur lepores. hoc uſus eſt Cicero in orat. pro lege Man. & poſt reditum ſuum in Senatu, & ad Quirites.

Tum ex contrarijs ſumpta uerbis crebra crebris, paria paribus reſpondeant, relatàq. ad idem uerbum, & geminata, atque duplicata, uel etiam ſæpius iterata ponantur, conſtructiòq. uerborum tum coniunctionibus copuletur, tum diſſolutionibus relaxetur.

Tangit octo exornationes rhetoricas, quæ maximè ſuauem efficiunt orationem. Earum prima eſt, cum contraria contrarijs referuntur, hæc antitheſis græco nomine dicitur, latinè cõtentio à Cornificio, ut Cicero poſt reditum in Senatu, Qũi me à morte ad uitam, à deſperatione ad ſpem, ab exitio, ad ſalutem reuocauit. Idem efficiunt etiam negantia, ut pro lege Man. Cuius adoleſcentia ad ſcientiam rei militaris non alienis præceptis, ſed ſuis imperijs, nõ offenſionibus belli, ſed uictorijs, non ſtipendijs ſed triumphis eſt traducta. Secunda eſt, cum crebra crebris reſpondent, quæ congeries, uel frequentatio dicitur, & ſæpè fit in contrarijs; ut pro Milone, Eſt enim hæc, Iudices, non ſcripta ſed nata lex, quàm non didicimus, accepimus, legimus; uerũ ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſsimus. Protrahitur aliquando hæc exornatio in longum, multarum rerum contentione, ut pro lege Man. Maiores ueſtri ſępè mercatoribus, ac nauiculatoribus iniurioſius tractatis, bella gеſſerunt; uos tot ciuium Romanorum millibus uno nuncio, atq; uno tempore necatis, quo tandem animo eſſe debetis?

tis? & quæ ſequuntur. Tertia eſt, cum paria paribus reſpondent, hoc græcè, ἰσόκωλον dicitur, Cornificius compar appellat, ut, *Illi fortuna* felicitatem dedit, huic induſtria uirtutem comparauit; Cicero pro A. Cæcina, Non minus in iudicio cederet Sex. Ebucij impudentię, quã tum in ui facienda ceſsit audaciæ. Hæc exornatio fit, cum duo uel plura membra pari numero ſyllabarum proferuntur, hoc eſt quod ait in Oratore Cicero, Cum uerba uerbis quaſi demenſa, & paria reſpondent. quod frequẽtiſsimè facit Iſocrates. Cicero pro Lege Man. Extrema hyeme apparauit, ineunte uere ſuſcepit, media æſtate confecit; hæc tria membra ſingula nouem habent ſyllabas. ſed huius generis plurima ſunt apud Ciceronem exempla. Quarta eſt, Relata ad idẽ uerbum, quę adiunctio uel coniunctio dicitur, cum uni uerbo multa membra copulantur, ut pro A. Cluentio, Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. Pri ma in Catil. Neque enim is es Catilina, ut te aut pudor unquã à turpitudine, aut metus à periculo, aut ratio a furore reuocauerit. Quinta eſt geminatio, & duplicatio, vt pro Milone, Occidi, occidi, non Sp. Melium, & quæ ſequuntur. Duplicantur non tantum verba, ſed interdum etiam ſententiæ, vt, In horum etiam conſpectum venire audes proditor patriæ, proditor, inquam, patriæ, venire audes in horum conſpectum? Sexta eſt, cum iterata verba ponuntur, quæ Latinè repetitio, græcè anaphora dicitur, & frequentiſsima eſt. fit autem cum multa membra ab eodem verbo incipiunt, vt prima in Catil. Nihil ne te nocturnum pręſidium palatij, nihil vrbis vigiliæ, nihil timor populi, nihil conſenſus bonorum omnium, nihil hic munitiſsimus habendi Senatus locus, nihil horum ora vultuſq. mouerunt? pro Milone, Fecit iratus, fecit inimicus, fecit vltor iniuriæ, punitor doloris ſui. Aliquando & in principio, & in fine verba iterantur, quę complexio dicitur à Cornificio; vt, contra Rullum de Lege Agraria, Quis legem tulit? Rullus. Quis maiorem partem populi ſuffragijs priuauit? Rullus. Quis Comitijs præfuit? Rullus pro Milone, Quis eos poſtulauit? Appius, quis produxit? Appius. Aliquando tantum in fine iterantur, quæ Conuerſio dicitur; vt pro Fonteio, Frumenti maximus numerus è Gallia, peditatus ampliſsimæ copiæ è Gallia, equites numero plurimi è Gallia. Septima eſt, quæ coniũctionibus copulatur & dicitur πολυσύνδετον vt, Et nomẽ pacis dulce eſt, & res ipſa ſalutaris. pro Milone, Sin hoc & ratio doctis, & neceſſitas babaris, & mos gentibus, & feris natura ipſa præſcripſit. Octaua, quæ diſſolutionibus relaxatur, ἀσύνδετον dicitur, ſuperiori cõtraria, & Ciceroni maximè familiaris, Articulus à Cornificio dicitur, ab alijs cõgeries; vt octaua Philippica, At vero erecti, incitati, parati, armati animis iam eſſe debemus. In Catilinam; Abijt, exceſsit, euadit, erupit. Pro Milone, Tu ſpoliatum imaginibus, exequijs, pompa, laudatione,

S infe-

infelicisſimis lignis ſemiuſtulatum, nocturnis canibus dilaniandum reliquiſti. Fit etiam aſyntheton, cum multa membra ſuo verbo ſeparatim ſine coniunctione concluduntur, & tunc diſiunctio, vel diſſolutio nominatur, ut pro lege Man. Siciliam adijt, Africam explorauit, inde in Sardiniam cum claſſe uenit. pro Milone, Conuocabat tribus, ſe interponebat, coloniam nouam, delectum perditisſimorum ſcribebat ciuium. Atque hæc quidem ad uerborum ſuauitatem pertinent, deinceps autem de rerum ſuauitate dicendum eſt.

Fit etiam ſuauis oratio, cum aliquid aut *inuiſum, aut* inauditum, aut nouum dicas. delectat enim quicquid eſt admirabile.

Suauitatem in rebus quinque modis potisſimum fieri docet, hoc eſt, inuiſo, inaudito, nouo, permotione, more. Inuiſum id dicitur, quod ab ijs, qui audiunt, nunquam antea uiſum fuit, quod maximè delectare ſolet, vel cum eſt pulcherrimum, vel cum eſt deformisſimum, uel cum eſt ridiculum: hæc enim admirationem mouent, & omnis admiratio delectationem habet. Hæc fuit cauſa cur Romani ueteres in ſpectaculis & ludis publicis, aliqua ſemper antea Romanis inuiſa proponerent, ut eos delectarent, quod fit etiam noſtro tempore in liberalibus. Student enim iuuenes eas perſonas, atque eos amictus habere, qui non antea uiſi fuerint, ut maiorem ſpectatibus delectationem afferant. Quin omnes ferè res, quas nunquam antea uidimus, primo aſpectu nos magnopere delectare ſolent, ut qui nunquam elephantum uiderat, cum in eum incidit, multum admiratur, & diligenter intuetur: quin etiam quæ ridicula ſunt, primo aſpectu multum delectant. Cicero pro Cælio facetisſimè ludit in hoc genere, cum ait, Prægeſtit animus iam uidere primum lautos iuuenes, mulieris beatæ, ac nobilis familiares, deinde fortes uiros ab imperatrice in inſidijs atque in præſidio balnearum locatos, ex quibus quæram quonam modo latuerint, aut ubi, alueus ne ille, an equus Troianus fuerit, qui tot inuictos uiros muliebre bellum gerentes tulerit, ac texerit. Inauditum id eſt, quod nunquam anteà audiuimus, quod nos maximè delectat, ſiuè ſit hiſtoria, ſiuè fabula, ſiuè cantio, ſiuè quid aliud. nam prima quidem ſenſus delectatio eſt in uiſu, quoniam oculis rerum pulchritudinem, & deformitatem percipimus, & oculos ideo maximè diligimus, quia nobis rerum differentias oſtendunt, neque minus interdum delectat inſignis deformitas, ut Therſitæ, & Aeſopi, quam inſignis pulchritudo, ut Nirei, & Achilis. Secũda uero delectatio eſt in auditu, quo ſermonem, harmoniam, & denique uocem ac ſonum omnem percipimus,

& quo

Digitized by Google

& quo ſcientiam, cuius a natura ſumus auidi, percipimus. Vnde Ariſtoteles quærens, uter ſenſus præſtantior ſit, uiſus ne, an auditus, concludit, per ſe quidem uiſum præſtare, quia rerum differentias nobis oſtendit, ſed auditum per accidens longè præſtantiorem eſſe, quia ſenſus doctrinæ ſit. Nam ſi quis cæcus naſcatur, & omnino videndi ſenſu priuatus, poteſt multò prudentior, & ſapientior euadere, quam ſi naſcatur ſurdus, & videndi ſenſum habeat. Itaque fit, vt auditus hoc modo ſit viſu præſtabilior. Quoniam igitur res inauditæ plerumque ſolent magnam afferre delectationem, ideo frequenter Cicero, cum aliquid extollere vult, ait illud inauditum, atque inuſitatum eſſe, vt pro M. Marcello; Tantam enim manſuetudinem, tam inuſitatam inauditamq. clementiam, tantum in ſumma poteſtate rerum omnium modum, tam denique incredibilem ſapientiam, ac penè diuinam, tacitus nullo modo præterire poſſum. Hoc valet etiam ad exagitandos aduerſarios, ſiquid ab eis inauditum factum eſſe dixerimus, vt contra Vatinum, Feceris ne quod in hac Rep. non modò factum antè nunquam eſt, ſed in omni memoria ſit inauditum. Ita pro A. Cluentio de Saſsia Cluentij matre, O mulieris ſcelus incredibile, & præter hanc vnam in omni vita inauditum. Tractatur aliquando copioſè hic locus, vt in Vatinium, Quid in epulo Q. Arrij cum toga pulla accubuiſſet, id multis verbis reprehendit Cicero tanquam inauditum, & inuſitatum. Nouum videtur ad tempus propriè referri, quod nuper euenerit, aut non ita pridem factum ſit: eorum vero, quæ dicta ſunt, vtrunque comprehendit, quicquid enim inuiſum & inauditum eſt, id etiam nouum dicitur. Sed generaliter nouum dicitur, quicquid antea non fuit. Solent autem res nouæ non mediocriter delectare, quod vulgari prouerbio comprobatur. Omnia noua placent, & Grata nouitas. quod Odyſſeæ primo libro Homerus affirmat, vbi ait eam vocem, & cantionem ab hominibus præcipuè commendari ſolere, quæ omnium nouiſsima fuerit. Hoc autem adeo verum eſt, vt frequentiſsimè familiares, & amicos noſtros, atque etiam peregrinos interrogare ſoleamus, an aliquid noui habeant, quod nobis nuncient, ita noui flores, noui fructus, noua denique omnia mirificè delectant: ergo etiam in oratione, quod nouum eſt, ſolet eſſe ſuaue & iucundum. Itaque Cicero pro Archia poeta proponit ſe velle vti nouo, & propè inuſitato dicendi genere, concitatur enim ſtatim auditoris animus nouitatis expectatione. Quin quod nouum eſt, ita mouet animos, vt etiam ſi per ironiam dicatur, tamen delectet, quid enim illa pro Q. Ligario ironia ſuauius? Nouum crimen C. Cæſar, & ante hunc diem inauditum, propinquus meus ad te Q. Tubero detulit, Q. Ligarium in Africa fuiſſe. Præter hæc etiam ad periculum nouitas interdum refertur, & tamen animum oblectat audientium; vt pro Milone, Hæc noui iudicij

noua forma terret oculos. Quare autem ea, quæ ſunt inuiſa, inaudita, & noua delectent, ſubiungit Cicero, quoniam admirabilia ſunt, & quicquid eſt admirabile delectat. Cauſarum enim ignoratio, mouet admirationem, ideo cenſet Ariſtoteles propter admirationem homines cœpiſſe philoſophari. Cicero cum aliquid magnopere vult extollere, vocat illud admirabile, vt pro Q. Ligario, O clementiam admirabilem, atque omni laude, prædicatione, literis monimentiſque decorandam.

*Maximèq. mouet ea, quæ motum aliquem animi miſcet, oratio.*

Permotio animi, quæ fit oratione, Suauis ſemper eſſe ſolet, etiamſi res ipſa moleſta ſit. Cũ enim quatuor ſint permotionum genera, hoc eſt lætitia, cupiditas, ægritudo, metus; duo prima genera ſuapte natura ſuauia ſunt, ac iucunda, reliqua duo quamuis triſtia ſint, tamen tractatione fiunt auditoribus iucunda. Quam enim ſuauis eſt illa Milonis oratio, Valeant, inquit, valeant ciues mei, ſint incolumes, ſint florentes, ſint beati: ſtet hæc vrbs preclara, mihiq. patria chariſsima, quoquo modo merita de me erit, tranquilla Rep. ciues mei, quoniam mihi cũ illis non licet, ſine me ipſi, ſed per me tamen, perfruantur. Ego cedam, atque abibo. Si mihi Rep. bona frui non licuerit, at carebo mala, & quam primum tetigero bene moratam, & liberam ciuitatem, in ea cõquieſcam, O fruſtra ſuſcepti mei labores, o ſpes fallaces, o cogitationes inanes meæ, & quæ ſequuntur. In quibus licet res moleſtę ſint ac triſtes, oratio tamen eſt auditu iucunda. ſed huius generis in perorationibus Ciceronis ſunt exempla plurima.

Quæq. ſignificat oratoris ipſius amabiles mores, qui exprimuntur, aut ſignificando iudicio ipſius ex animo humano, ac liberali, aut inflexione ſermonis, cum aut augendi alterius, aut minuendi ſui cauſa, alia dici ab oratore, alia exiſtimari uidetur: idq; comitate fieri magis quàm uanitate.

Suauis eſt etiam illa oratio, quæ mores oratoris amabiles oſtendit, ij vero tribus potiſsimum rationibus exprimuntur; primò, ſi animum ſuum humanum oſtendit orator, cum de aliqua re iudicium ſuum profert, aut ſententiam dicit; Secundò, ſi ſe benignum ac liberalem facit; Tertio, ſi ſermonem inflectit, vt alterum commendet, & ſibi ipſi anteponat, quamuis re vera nõ ſit anteponi dignus; ſe vero minuat,

ita

Digitized by Google

ita tamen vt qui audiunt, aliter exiſtiment, quàm ipſe dicit orator, ſed hoc cum quadam comitate fieri debet, non autem cum vanitate. Sunt igitur tres virtutes, quæ cum in oratione exprimuntur, faciunt oratorem amabilem, hoc eſt, humanitas, liberalitas, modeſtia: nemo enim ferè eſt, qui non virum humanum, liberalem, & modeſtum diligat. Humanitas oſtenditur, cum libenter afflictis opem ferimus, vt Cicero in Diuin. Adductus ſum, Iudices, officio, fide, miſericordia, multorum bonorum exemplo, veteri conſuetudine, inſtitutoq; maiorum, vt onus hoc laboris, atque officij, non ex meo, ſed ex meorum neceſſariorum tempore mihi ſuſcipiendum putarem. Liberalitas non tantùm in dandis pecunijs, ſed etiam in ferendo auxilio perſpicitur, vtraque vero maximè commẽdatur; vt primo de officijs: Nihil honeſtius magnificentiusq; quàm pecuniam contemnere, ſi non habeas; ſi habeas, ad beneficentiam liberalitemq; conferre. Item, Quid tàm porro regium, tàm liberale, tàm munificum, quàm opem ferre ſupplicibus, excitare afflictos, dare ſalutem, liberare periculis. Modeſtia ſuauem efficit orationem, cum orator alterum auget, ſeipſum minuit, modo ne id vanitate fiat, ſed comitate, vt pro Cor. Balbo Cicero Pompeij & Craſsi eloquentiam magnopere commendat, ſuam autem minuit: nam de Pompeio ſic ait, Quæ fuerit hoſterno die Cn. Pompeij grauitas in dicendo, iudices, quæ facultas, quæ copia, non opinione tacita veſtrorũ animorũ, ſed perſpicua admiratione declarari videbatur, & quæ ſequuntur. De ſe aũt ita, Quò mihi difficilior eſt hic extremus perorationis locus: etenim ſuadæ orationi, quæ nõ præteruecta ſit au res veſtras, ſed in animis omnium penitus inſederit, ut plus uoluptatis ex recordatione illius orationis, quã non modo ex mea ſed ex cuiuſquam oratione capere poſsitis. Idem pro P. Quintio, laudat Q. Horṫenſij dicendi facultatem, ſuam autem deprimit. Sic Aeneas apud Virgilium, dum legatos Latini regis alloquitur, hæc diligenter ſeruat: nam, ut mores ſuos amabiles oſtendat, humanitatem, liberalitatem, modeſtiam præ ſe fert, his quidem uerbis. Libr. 11. Aen.

*Quæ nam vos tantò fortuna indigna, Latini,*
*Implicuit bello, qui nos fugiatis amicos?*
*Pacem ne exanimis, & Mortis ſorte peremptis*
*Oratis? equidem & viuis concedere vellem.*
*Nec veni, niſi fata locum, ſedemq; dediſsent.*
*Nec bellum cum gente gero.*

Sed multa ſunt ſuauitatis præcepta, quæ orationem, aut magis obſcurant, aut minus probabilem faciunt.

Digitized by Google

ciunt. Itaque etiam hoc loco nobis eſt ipſis, quid cauſa poſtulet, iudicandum.

Tradidit hactenus ea ſuauitatis pręcepta, quę in cauſis iudicialibus & deliberatiuis prodeſſe poſſunt;& orationem apertam, atque probabilem efficiunt: nunc admonet ab oratore non omnia ſuauitatis præcepta perpetuo quæri debere.quoniã aliqua ſunt huiuſmodi, ut orationem obſcuram,& minus probabilem reddant. Quare diligenter aduertere debet orator, quid ipſa cauſa poſtulet.Neque *enim florido &* picto dicendi genere, quali Sophiſtæ apud ueteres uti conſueuerant, in iudicijs utendum eſt, licet in laudationibus concedatur, de quo ita Cicero; Eſt quoddam etiam inſigne, & florens orationis, pictum,& expolitum genus, in quo omnes uerborum, omnes ſententiarum illigantur lepores,hoc totum è Sophiſtarum fontibus defluxit in forum, ſed ſpretum à ſubtilibus, repulſum à grauibus, in ea, de qua loquor, mediocritate conſedit. Hoc genus apud Græcos felicisſimè ſecutus eſt Iſocrates,& Demetrius Phalereus, item alij multi Sophiſtæ, quorum ſcripta non extant. Apud veteres latinos,qui floridum & pictum genus hoc ſecutus fuerit, non ſanè traditur. Poſtea vero,iam amiſſa penè eloquentia, Apuleius Madaurenſis hoc in genere luſit ingenioſè quidem & ſatis eruditè, ſed parum latinè. Quin A. Gellius noctes ſuas atticas,hoc dicendi genere conſcribere conatus eſt.Sed, vt ait Cicero, ſpernitur à ſubtilibus oratoribus, & repellitur à grauibus, quia probabilitatem non habet,& ſæpè obſcuriorem reddit orationem.

In ora. ad Brut.

C. F. Reliquum eſt igitur, vt dicas de conuerſa oratione, atque mutata, C. P. Eſt itaque id genus totum ſitum in commutatione verborum, quæ ſimplicibus in verbis ita tractantur, vt aut ex verbo dilatetur, aut in verbum contrahatur oratio.

Duo genera fecerat eloquendi, vnum ſua ſponte fuſum, alterum conuerſum,atque mutatũ.De priore genere,quod in ſimplicibus,& coniunctis verbis ſpectatur,ſatis dictum eſt: & egregia præcepta tum ſimplicium verborum,tum coniunctorum tradita ſunt;ſequitur,vt etiam de altero genere verba faciamus,quod verſum,atque mutatum appellatur,in quo eloquendi exercitatio maximè verſatur. Sępè enim idem dicendum eſt, ſed conuerſis atque mutatis verbis, & oratione. Legimus Ciceronem ipſum cum Roſcio Comędo certare ſolitum, vtrum



Digitized by Google

eandem ſententiam Roſcius pluribus geſtibus exprimeret, an ipſe pluribus modis dicendo variaret. Hoc etiam in orationibus apparet, in quibus eandem rem ſæpiſsimè conuerſis verbis, & oratione pronunciat, vnde nonnulli vitiligatores Ciceronem reprehendere non dubitarunt, tanquam Aſianum, & nimis abundantem, & in repetitionibus odioſum, ſicuti Quintilianus ſcribit. Sed tales ſunt, quibus glandes magis quam fruges placent, & quos ieiunitas magis, quam vbertas, & copia delectat. Nos optimum in dicendo magiſtrum ſequamur, & videamus quale ſit hoc eloquendi genus, quod totum in commutatione verborum ſitum eſt. Eodem enim modo ſicut illud, de quo iam dictum eſt, ſua ſponte fuſum, etiam hoc verſum atque mutatum, & in ſimplicibus & in coniunctis verbis perſpicitur. Ac primò quidem in ſimplicibus verbis, cum vnum verbum variè dilatatur & ampliatur, vt ex eo fiat oratio; vel contra, cum ita oratio contrahitur, vt ad vnum verbum reducatur. Eiuſdem enim artificis eſt, & orationem ampliare, & eãdem cõtrahere. Sicut apud Platonem Gorgias in Dialogo ſui nominis gloriatur, nullum hominem ſe vel copioſius, vel contractius, cum opus eſt, poſſe dicere. Hanc laudẽ etiam Homero tribuunt: aiunt enim nullum eſſe poetam, qui plenius, ac vberius rem aliquam explicet, aut qui breuius, & contractius, cum opus eſt, rem eandem expediat, idem de Virgilio Macrobius prædicat. Tota igitur ſimplicium verborum commutatio in dilatatione, & contractione poſita eſt, quoniam oratoria facultas hoc profitetur, eandem rem modo latè, modo anguſtè dicere: latè dicitur cum ex verbo fit oratio, anguſtè, cum in verbum contrahitur oratio. Videamus igitur primò, qua ratione ex verbo fiat oratio, quoniam hoc ad vbertatem, & copiam ſpectat.

## Ex verbo, cum aut proprium, aut idem ſignificans, aut factum uerbum, in plura uerba diducitur.

Verba vel propria ſunt, hoc eſt in propria ſignificatione capiuntur, vt bellum, pax, patria; vel idem ſignificant, quod propria; vt Mars pro bello, toga pro pace, penates pro patria. Vel facta ſunt, & compoſita ab ipſo oratore, de quibus ſupra dictum eſt. Siue igitur proprium ſit verbum, ſiue idem ſignificans, ſiue factum, cum orationem dilatare volumus, id in plura verba diducemus. Hoc autẽ quatuor potiſsimum rationibus à Cicerone fieri notauimus, hoc eſt, vel per definitionem, vel per enumerationem, vel per interpretationẽ, vel per incremẽtum. Ac primò per definitionem ſiue deſcriptionem, vt pro Milone, cum poſſet dicere, vidimus curiam incendi, tamen illud verbum, curiam definiens, ita dilatauit, vidimus templum ſanctitatis, amplitudinis,

mentis,

Digitized by Google

mentis,conſilij publici,caput urbis,aram ſociorum,portum omnium gentium,ſedem ab uniuerſo populo R. conceſſam uni ordini inflammari, excindi,funeſtari;Ita ſi quis pro Philoſopho dicat eum,qui rerum omnium diuinarum,& humanarum ſcientiam habet;pro Oratore, uirum bonum dicendi peritum, pro homine dicat Animal ſagax, prouidum,multiplex,acutum,memor, plenum rationis & conſilij, ſicut Cicero primo de Legibus, vnum verbum in plura diducit.Secundò per enumerationem partium,vt pro Milone, cum ſatis eſſet dicere, Omnes lugent Clodium, tamen ita partibus enumeratis dilatat orationem;P. Clodij mortem æquo animo nemo ferre poteſt, luget Senatus,mæret equeſter ordo,tota ciuitas confecta ſenio eſt,ſqualent municipia,afflictantur coloniæ,agri deniq; ipſi, tàm beneficum tàm ſalutarem,tàm mãſuetum ciuem deſiderant.Ita in Catilinam ad Quirites cum ſatis eſſet dicere,vrbem hodie Quirites conſeruatam videtis, tamen ita amplificauit, Rempu. Quirites, vitamq. omnium veſtrum,bona,fortunas,coniu ges,liberoſq. veſtros, atque hoc domicilium clariſsimi imperij,fortunatiſsimam pulcherrimamq. vrbem, hodierno die deorum immortalium ſummo erga vos amore, laboribus, conſilijs,periculiſq. meis,ex flamma,atque ferro,ac penè ex faucibus fati ereptam,& vobis conſeruatam ac reſtitutam videtis. Hæc autem dilatandi ratio pulcherrima eſt,& frequentiſsima, cum totum in partes diducimus,vt domus euerſa eſt,tecta,parietes, fundamenta diruta ſunt. Et elementis conſtat omnia, nullum eſt corpus, quod ex terra, aqua, aere,igni non componatur. Cicero in Piſonem,oculi, ſupercilia,frons,vultus denique totus.Tertiò per interpretationem ex verbo dilatatur oratio,cum quod ſemel vno verbo dictum eſt,idem alijs verbis eiuſdem ſignificationis repetitur, vt ſeptima in Verrem,Remp.radicitus euertiſti,ciuitatem funditus deleuiſti.pro Milone,An vero iudices,vel ſoli ignoratis,vos hoſpites in hac vrbe verſamini,veſtræ peregrinantur aures,neq; in hoc peruagato ciuitatis ſermone verſantur. Secunda Philippica,Tu ingredi in illam domum auſus es,tu illud ſanctiſſimum limen intrare, tu illarum ædium Dijs penatibus, os illud importuniſsimum oſtendere. Sed huius generis penè innumerabilia ſunt apud Ciceronem exempla. Quartò per incrementum. vt, Abijt,exceſsit,euaſit,erupit.in Verrem,Non enim furem, ſed ereptorem,non adulterum, ſed expugnatorem pudicitiæ, non ſacrilegum ſed hoſtem ſacrorum religionumq. nõ ſicarium, ſed crudeliſsimum, carnificem, ciuium ſociorumq. in veſtrum iudicium adduximus. Item, Huius furta, rapinas, cupiditatem, credulitatem, ſuperbiam, ſcelus, audaciam, imperatorijs laudibus tegere conaris.His & alijs,ſi quæ ſunt huiuſmodi,rationibus, vnum verbum in plura, diduci poteſt.

Ex ora-

Digitized by Google

Ex oratione autem, cum aut definitio ad unum uerbum reuocatur, aut aſſumpta uerba remouentur, ant in circuitus diriguntur, aut in coniunctione fit unum uerbum, è duobus.

Quatuor etiam modis docet orationem contrahi poſſe, qui ſunt ſuperioribus oppoſiti. Quemadmodum enim, cùm orationem dilatare volumus, vnum verbum per definitionem in plura diducimus; ita cùm orationem contrahere cupimus; definitionē ad vnum verbum reuocamus, vt ſi quis pro eo, qui militari laude antecellit, imperatorem dicat. Pro eo, qui poteſt conſilio, atque oratione, & ſenatus, & populi, & eorum, qui res iudicant, mentes permouere, dicat oratorem. Pro Troiani belli ſcriptore, dicat Homerum. Pro laudatarum artium omniū procreatrice, atque parente, philoſophiam dicat, atque hic eſt primus orationem contrahendi modus. Secundus eſt, cùm aſſumpta verba remouentur, vt ſi quis in ea Ciceronis oratione, Nos deorū immortaliū templa, nos muros, nos domicilia, ſedesq́. populi Romani, penates, aras, focos, ſepulchra maiorum, nos leges, iura, libertatem, coniuges, liberos, patriam defendimus; remoueat alia omnia verba; & tātùm dicat, nos patriam defendimus, ita ſi quis ex hac oratione, Tecta, parietes, fundamenta, domus tota ſubuerſa eſt; tollat priora verba, tātumq́ue dicat, Domus tota ſubuerſa eſt; facile contrahet orationem. Tertius modus eſt, cùm plura membra, idem penè ſignificantia, in vnum circuitum diriguntur; vt ſi quis illa tria Virgilij carmina,

*Poſtquam res Aſiæ, Priamiq. euertere gentem* li. 3. Aen.
*Immeritam, viſum ſuperis, ceciditq. ſuperbum*
*Ilium, & omnis humo fumat Neptunia Troia,*

ſic contrahat, poſtquàm deorum voluntate Troia diruta eſt. Quartus modus eſt, cum ex duobus verbis in coniunctione fit vnum, vt cùm pro patris interfectore, parricidam dicimus, pro populi fautore, popularem, pro cultore plebis publicolā. ita irretitus, pro eo, qui nullum habet effugium, eliminare, pro eo, quod eſt foras enunciare, & in aperto dicere, & alia penè infinita reperiuntur. Hæc enim ratio facilis eſt orationis contrahendæ. Quod ſiquis dilatare ſciat, is etiam facillime contrahet. Iiſdem enim rationibus, quibus oratio dilatatur, in contrarias mutatis, eadem oratio contrahitur.

In coniunctis autem verbis triplex adhiberi poteſt commutatio, non uerborum, ſed ordinis tantum-

T modo,

modo, ut cùm ſemel dictum ſit directè, ſicut natura ipſa tulerit, inuertatur ordo, & idem quaſi ſurſum uerſus, retroque dicatur, deinde idem interciſe, atquè permiſtè. eloquendi autem exercitatio, maximè in hoc toto conuertendi genere uerſatur.

Docuit quomodo ſimplicia verba, vel dilatari, vel contrahi poſſunt, nunc accedit ad coniuncta, & docet qua ratione *vertantur, atque* commutentur. Triplicem autem eſſe vult commutationem in *coniunctis* verbis, tantùm ordine verborum mutato, ſed iiſdem verbis manentibus. Prima eſt, cum directè aliquid dicimus, ſicuti fert ipſa natura, vt Cicero liberauit patriam à coniuratione Catilinæ; Secunda eſt, cum idem quaſi ſursùm verſus retroq; dicitur, vt, à Catilinæ coniuratione patriam liberauit Cicero; Tertia eſt, cùm idem interciſè, atque permiſtè profertur, vt patriam à coniuratione Catilinæ Cicero liberauit. Hæc autem commutandi ratio facillima eſt, quia eadem verba manent, & tantum verborum ordo commutatur. Qua in re ſunt aures conſulendæ, & is ordo, qui magis aures implet, adhibendus eſt, vt, ſi ita Cicero dixiſſet, Quæ poteſt iniuſta nex afferri latroni, & inſidiatori? parùm acrimoniæ, & grauitatis habuiſſet: Sed ordine verborũ cõmutato, illo modo, Inſidiatori verò, & latroni, quæ poteſt afferri iniuſta nex? longe acrior & vehementior ſententia fit. Interdum igitur, vt natura poſtulat, ſententias proferimus, vt, Honos alit artes, *omnesq.* accenduntur ad ſtudia gloria; interdum ſursùm verſus retroq. dicuntur, vt Fortem & conſtantem virum oſtendunt ipſa pericula; interdũ permiſtè, & interciſè, vt Trahit ſua quemque voluptas. In hoc autem toto conuertẽdi genere, quod vel in ſimplicibus, vel in coniunctis uerbis ſpectatur, eloquẽdi exercitatio maximè uerſatur. Cornificius hoc eloquendi genus expolitionem uocat, in quo uarijs modis eandem ſententiam commutamus. Extant adhuc mira quædam huius commutationis experimenta Virgilij, de imagine in unda, de amne glacie concreto, de Iride, de Quatuor anni temporibus., de Ortu Solis. in quibus rem eandem uarijs modis exprimit. Quæ ſanè exercitatio non eſt ei difficilis, qui magnam optimorum uerborum copiam frequenti lectione ſibi comparauerit, & hæc Ciceronis præcepta diligenter aduerterit. Nam in orationibus Ciceronis plurima ſunt exempla, ubi rem eandem commutatis uerbis, atque ſententijs uariè tractat, & iudicibus inculcat.

Pro Milone.

Lib. 4. ad Her.

C. F. Actio

C. F. Actio igitur ſequitur, ut opinor, C. P. Eſt ita, quæ quidem oratori, & cum rerum, & cum uerborum momentis commutanda maximè eſt. Facit enim & dilucidam orationem, & illuſtrem, & probabilem, & ſuauem, non uerbis, ſed uarietate uocum, motu corporis, uultu, quæ plurimum ualebunt, ſi cum orationis genere conſentient, eiuſque uim ac uarietatem ſubſequentur.

Actio illa eſt, quæ etiam pronunciatio dicitur, quamuis actio a geſtu, pronuntiatio a voce dicatur. Cicero dicit actionem eſſe quandam corporis eloquentiam. Demoſthenes & primas, & ſecundas, & tertias partes in eloquentia pronunciationi tribuit. ideoque ipſe tàm diligenter, apud Andronicum hypocritem ſtuduit, vt admirantibus eius orationem Rhodijs, non immerito Aeſchines dixiſſe videatur; Quid ſi ipſum audiuiſſetis? Et Cicero vnam in dicendo actionem dominari putat. Hac Cn. Lentulum plus opinionis conſecutum, quam eloquentia tradit; eadem C. Gracchum in deflenda fratris nece, totius populi R. lachrymas concitaſſe; Antonium & Craſſum multum valuiſſe, plurimum vero Q. Hortenſium. cuius rei fides eſt, quòd eius ſcripta tantùm intra famam ſunt, qui diu princeps oratorum, aliquando æmulus Ciceronis exiſtimatus eſt, nouiſsimè quoad vixit ſecundus, vt appareat placuiſſe aliquid, eo dicente, quod legentes non inuenimus; hæc Quintilianus. Apud Græcos Demadem, & Hyperidem tantùm actione valuiſſe legimus, vt etiam Demoſtheni ipſi ſæpe anteponerentur. Tribus autem rebus actio conſtat, hoc eſt varietate vocis, motu corporis, & vultu, quę maximam vim habent, ſi rebus ipſis, de quibus agitur, accommodentur. Neque enim conuenit, frigidis in rebus exclamare, neque in grauibus languere. Hoc eſt quod Cicero præcipit, vt actionem maximè commutemus cum rerum, & cum verborum momentis. Nam diſtinctio pronunciationis totam orationem dilucidam facit; imitatio rei facit illuſtrem; dignitas probabilem, tacita modulatio ſuauem. Tria vero, vt dixi, in ipſa actione ſpectantur, varietas vocis, motus corporis, & vultus. Vocis varietas, aut in quantitate, aut in qualitatę eſt. In quantitate vt grandis, exigua media; in qualitate, vt clara, ſuauis, aſpera. Motus corporis vel in toto eſt, vel in partibus; in toto corpore, vt cum ambulat orator, cum ſe totum hùc aut illùc torquet. In partibus, vt cùm ſupplodit pedibus, cùm extendit, aut contra-

hit brachia, Qui motus qua ratione ſoleant adhiberi, ſatis recte Cornificius docet. Vultus res ipſas imitari debet, ideo dixit Horatius,

in ar. poec.

*Triſtia, mæſtum*
*Vultum, verba decent, iratum plena minarum,*
*Ludentem laſciua, ſeuerum ſeria dictu.*

Hæc autem tria, nempè varietas vocum, motus corporis, & vultus, plurimùm in oratione valebunt; ſi vim orationis ipſius & uarietatē ſubſequentur, & ſi eum ipſa oratione conſentient. Oportet igitur & in rebus, & in uerbis, & in actione magnam eſſe uarietatem, quia ubique ſimilitudo eſt ſatietatis mater.

C. F. Nunquidnam de oratore ipſo reſtat? C. P. nihil ſanè præter memoriam, quæ eſt germana literaturæ quodammodo, & in diſsimili genere perſimilis. Nam vt illa conſtat ex notis literarum, & ex eo, in quo imprimuntur illæ notæ: ſic confectio memoriæ, tanquàm cera locis utitur, & in his imagines, ut literas collocat.

Quatuor hactenus rhetoricæ partes, quę in oratoris ui ſpectantur, explicuit, hoc eſt inuentionem, diſpoſitionem, elocutionem, & actionem; reſtat etiam memoria, de qua nunc uerba facit. Eſt autem duplex memoria, hoc eſt naturalis, & artificioſa, ſed de naturali nihil dicit hoc loco Cicero, quoniam non de natura, ſed de arte præcepta tradit. Verum etiam naturalis memoria plurimùm exercitatione poteſt augeri, quare Craſſus ait exercendam eſſe memoriam ėdiſcendis ad uerbum quàm plurimis, & noſtris ſcriptis, & alienis. Ariſtoteles tradit a meditatione, & agitatione mētis ipſam memoriam, & cōſeruari, & augeri. Pythagorici memorię confirmandę gratia, ſolebant quotidie ueſperi, priuſquàm cubitum irent, mēte repetere quicquid toto die egiſſent, ſicut ait apud Ciceronem Cato. Artificioſam memoriam inueniſſe dicitur Simonides poeta, in Cranone Theſſaliæ oppido, cum in conuiuio cuiuſdā uiri fortunati, qui Scopas dicebatur, triclinium corruiſſet. Quam hiſtoriam M. Antonius apud Ciceronem copioſius explicat. In hac deinde plurimi præſtiterunt, ut Theodectes Ariſtotelis auditor, & Cyneas Pyrrhi legatus, & Charmines, qui tota uolumina ſemel audita recitabat. Apud Romanos Lucullus magnam rerum memoriam habuit, maiorē uerborum Q. Hortenſius, qui ſemper eodem

Lib. 1. de orat. Libr. de me. Libr. de ſen. Lib. 2. de orat.

modo

Digitized by Google

modo dicebat, quo ſcripſerat; Seneca, cuius mirifica fuit, ac penè incredibilis memoria. Quin aiunt Porcium latronem, quæ ſemel ſcripſiſſet, nunquàm relegere ſolitum, ut ediſceret, & tamen ita recitare, ut erant ſcripta. Permultos etiam alios hac artificioſa memoria claruiſſe legimus, quam ait hoc loco Cicero, germanam eſſe literaturæ, & in diſsimili genere per ſimilem. Vt enim literatura, ſiue ſcriptio duo requirit, hoc eſt tabulam, ſiue mēbranam, in qua notæ literarum imprimantur, & literarum notas; ita artificioſa memoria locos ſibi proponit, tanquam membranam, ſiue ceram; imagines uero tanquam literarum notas in locis collocat. Cornificius ſatis diligenter totum hoc artificium memoriæ explicat, quod paucis quidem præceptis indiget, ſed longa exercitatione. Nam locos ſibi plurimos oportet eligere, qui, quoties opus eſt, memoriæ celeriter occurrant, non confuſè, ſed ordinatè: quæ enim ordine præcedunt, ea facilè memoriæ mandantur, ut Ariſtoteles ait. In eis uero locis, quos memoria comprehenderimus, oportet rerum earum, quas meminiſſe uolumus, imagines collocare, quæ quidem ſint illuſtres, ut excitare facile memoriam poſsint, exempli gratia, in laudando Scipione, uolo quinque eius facta præcipua hoc ordine commemorare; Primò, quod adoleſcentulus patrem ſuum oppoſitu corporis ab Annibale defendit; Secundò, quod poſt Cannenſem pugnā ſtricto gladio iuuenes Romanos iurare coegit, ſe patriam non deſerturos; Tertiò, quod ſolutus legibus, ante ætatem legitimam Conſul factus fuerit; Quartò, quod in Hiſpania victor puellam captiuam, pulcherrima forma, ſponſo ſuo intactam reddiderit; Quintò, quod in Africa feliciter Annibalem deuicerit. Quinque igitur locos eligam, vt in cænaculo aliquo, vel in templo, vel in domo, vel in agro, vel vbicunque commodum fuerit, & in primo loco duos inter ſe dimicantes eſſe, cogitatione fingam, inter quos adoleſcentulus ſe interponat, & alterā reppellere conetur; ſecundo loco, eundem adoleſcētulum imaginabor, ſtricto gladio alios quoſdam adoleſcentes inuadere: tertio loco, tota prætexta ueſtitum eundem adoleſcentem ſtatuam; quarto, puellam ab eodem adoleſcēte ſponſo tradi fingam; quinto, denique ſupplicem hoſtem eidem adoleſcenti faciam. Atque ita facillimè quo ordine facta illa propoſita fuerint, quaſi ſubiecta mentis oculis memoria percurret. Itaque loci, tanquàm charta, vel cera, vel membrana proponentur, in quibus imagines, tanquàm literæ collocabuntur. Sed in primis aduertendum eſt, vt ordo diligentisſimè ſeruetur, qui penè ſolus artificioſæ memoriæ magiſter, & effector eſt.

Lucei Principi Celtiberorum.

C.F. Quo-

C. F. Quoniam igitur vis oratoris omnis expoſita eſt, quid habes de orationis præceptis dicere? C. P. Quatuor eſſe eius partes, quarum prima, & poſtrema, ad motum animi valet. is enim initijs eſt, & perorationibus concitandus. Secunda narratio. & tertia confirmatio, fidem facit orationi.

Prima pars doctrinæ dicendi, quæ eſt vis oratoris, *tota expoſita eſt:* nūc ſecundam aggreditur, quæ eſt oratio, hoc eſt opus ipſum, quod à vi oratoris, tanquàm ab efficiente cauſa proficiſcitur, & formæ atque finis poteſtatem habet, nam quæſtio ciuilis, eſt oratoris materia. Quatuor igitur orationis partes eſſe ſtatuit, ſicut etiam initio dixit, quarū duæ pertinent ad animos commouendos, hoc eſt exordium & peroratio, nam & in prima orationis parte, & in poſtrema concitandus eſt auditoris animus. Duæ verò ad fidem faciendam, hoc eſt narratio, & confirmatio. Duo ſunt enim quæ præcipuè ſpectentur, ab oratore, primum vt audientium animos moueat; alterum, vt eis fidem faciat. Motus in principio orationis, & in fine adhibendus eſt, ſed in principio leniores eſſe debent affectus, & mitiores, in peroratione verò grauiores, & concitatiores. Fides verò fit narratione, atque expoſitione cauſæ, quo docetur auditor, & confirmatione, quæ argumentis ea probat, quæ narrando fuerunt expoſita, ſub confirmatione refutatio continetur, vt Ariſtoteli, & Ciceroni placet; Quamuis aliter Quintilianus ſentiat. Ariſtoteles duas tantum partes ait eſſe neceſſarias, hoc eſt propoſitionem & confirmationem, quibus fides fieri ſolet. Nam propoſitionem pro narratione ponit; exordium autem & perorationem, præter ipſam rem eſſet ait, neque iuſtè adhiberi, quoniam iudex non eſt, aut ad iram, aut ad miſericordiam concitandus, vt animo quieto verè iudicare poſsit. Quam Ariſtotelis ſententiam C. Cęſar, apud Saluſtiū in coniuratione Catilinæ, ſic expreſsit; Omnes homines P. C. qui de rebus dubijs conſultant, ab odio, amicitia, ira, atque miſericordia vacuos eſſe decet, haud facilè animus verum prouidet, vbi illæ officiunt. Sed longè aliter rhetores ſentiunt, qui in permouendis animis, maximam eloquētię vim eſſe ſtatuunt, ideo primum & ultimum orationis locum affectibus tribuunt, ut initio ſibi animos concilient, in peroratione, quo uelint, impellant. Narratio non omnibus in cauſis eſt neceſſaria. Nam in deliberatiuo genere, in quo de futuro conſultatur, nihil eſt opus narratione, cum narratio ſit præteritorum, deliberatio futurorum. In demonſtratiuo genere perpetua ferè narratio eſt, cum amplificatione coniuncta; in iudiciali, non quidem ſemper, ſed

tamen

Digitized by Google

tamen frequentiſsime narrare ſolent oratores. at uero confirmatio ſemper eſt neceſſaria, qua rationibus, & argumentis cauſæ noſtræ fidem adiungimus, & aduerſariorum argumenta refellimus. Sed multi longè melius aliena refutant, quam ſua confirmant, ideo Cicero ſic ait, Vtinam tam facilè uera inuenire, quàm falſa refutare poſſem. Et Cotta mihi nō tam facile in mentem uenire ſolet, quarè uerum ſit aliquid, quàm quarè falſum; & Diuus Hieronymus de Lactantio ſic ait, Vtinam tàm benè noſtra confirmaſſet, quàm aliena deſtruxit. Eſt etiam Ariſtotelis ſententia, multo facilius eſſe deſtruere, quam conſtruere. Lib. 1. de nat. D.

Sed amplificatio quanquam habet proprium locum, ſæpè etiam primum, poſtremum quidem ferè ſemper, tamen reliquo in curſu orationis adhibenda eſt, maximeq; cum aliquid, aut confirmatum eſt, aut reprehenſum, itaque ad fidem quoq. vel plurimum ualet.

Amplificatio non eſt vna pars orationis, ſed adhibetur ad animos vehementius commouendos, atque etiam ad fidem faciendam. Eius proprius locus eſt in peroratione, quoniam in fine orationis animi vehementius concitandi ſunt. Itaque Cicero in perorationibus omni genere amplificationis exardeſcit, vt pro Milone, pro Plancio, pro Sylla, pro Flacco. Sed interdum etiam in exordio commode ponitur amplificatio, vt in Catilinam, Quouſque tandem abutere Catilina patientia noſtra? quamdiù nos etiam furor iſte tuus eludet? quem ad finem ſeſe effrænata iactabit audacia? & quæ ſequuntur. Poſt reditum in Senatu. Quæ enim tanta poteſt exiſtere vbertas ingenij? quæ tanta dicendi copia? quod tàm diuinum, atque incredibile genus orationis, quo quiſquam poſsit veſtra in nos vniuerſa promerita, non dicam complecti orando, ſed percenſere numerando? Sic in exordio pro Marcello, pro Murena, pro Plancio amplificatione utitur. Sic Dido apud Virgilium ab amplificatione incipit.

*Diſſimulare etiam ſperaſti perfide tantum*
*Poſſe nefas? tacitusq. mea decedere terra?*
*Nec te noſter amor, nec te data dextera quondam*
*Nec moritura tenet crudeli funere Dido?*

In curſu orationis frequenter adhibetur amplificatio, poſt aliquam firmam argumentationem, qua uel aliquid confirmatum ſit, uel reprehenſum,

henſum, vt pro Milone, An uero, Iudices, vos ſoli ignoratis, uos hoſpites in hac urbe uerſamini, ueſtrę prregrinantur aures, neque in hoc peruagato ciuitatis ſermone uerſantur, quas ille leges, ſi leges nominandæ ſunt, ac non faces urbis, & peſtes Reip. fuerit impoſiturus nobis omnibus, atque inuſturus? Tertia in Verrem, Tantæ ne, Verres, libidines tuę erant, ut eas non prouinciæ populi R. non exteræ nationes capere poſſent: tu ne quod uideris, quod audieris, quod concupiueris, quod cogitaris, niſi id ad nutum tuum præſto fuerit, niſi libidini cupiditatiq. tuæ paruerit, imitentur homines, expugnabantur domus? ciuitates non modò pacatæ, uerum etiam ſociorum, atque *amicorum* ad uim, atque arma confugient, ut ab ſe, atque ab liberis *ſuis legati popu*li R. ſcelus, atque libidinem propulſare poſsint? Item, Scelus eſt accipere ab reo, quantò magis ab accuſatore? quantò etiam ſceleratius ab utroque. Sed plurima ſunt huius generis apud Ciceronem exempla.

## Eſt enim amplificatio vehemens quædam argumentatio, vt illa docendi cauſa ſit hæc commouendi.

Hæc eſt definitio per differentiam, qua declarat, quomodo ab argumentatione diſtinguatur amplificatio. Vult igitur Cicero amplificationem eſſe tanquàm argumentationis ſpeciem, cum eam ita definiat. Amplificatio eſt uehemens quædam argumentatio. Deinde ponit differentiam, quod argumentatio docendi tantùm cauſa ſit, amplificatio etiam commouendi. Duplicem igitur poteſtatem habet amplificatio, nam & ad fidem, & ad motum plurimum ualet: ideo bene Quintilianus dixit, eloquentiæ uim in amplificatione maxime conſiſtere. Facit autem Quintilianns quatuor amplificationis ſpecies, hoc eſt incrementum, comparationem, ratiocinationem, congeriem. Incrementũ cum à maioribus ad maiora procedimus, ita ut magna uideantur, etiã quæ inferiora ſunt; ut ſeptima in Verrem actione, Facinus eſt uinciri ciuem Romanum, ſcelus uerberari, propè parricidium necari, quid dicam, in crucem tolli? Fit & aliter ſupra ſummum adiectio, ut apud Virgilium de Lauſo.

*Quo pulchrior alter,*
*Non fuit excepto laurentis corpore Turni.*

Phil. 2. Fit etiam incrementum, quoties in orationis curſu ſemper aliquid priore maius inſequitur, vt In cœtu vro populi R. negocium publicum gerens magiſter equitum, cui ructare turpe eſſet, is vomens fruſtis eſculentis vinum redolentibus, gremium ſuum, & totum tribu-

nal

mal impleuit. Comparatio cùm diuerſa inter ſe conferuntur, & min o-ra cum maioribus, vt in Catilinam, Serui mehercule mei, ſi me iſto pacto metuerent, vt te metuunt omnes ciues tui, domum eam relinquendam putarem. Tale eſt illud, An vero vir ampliſsimus P. Scipio Pontifex Max. Tib. Gracchum, mediocriter labefactantem ſtatum Reipu. priuatus interfecit, Catilinam orbem terrarum, cæde, atque incendio vaſtare cupientem, nos conſules perferemus? Ratiocinatio eſt, cùm ex alio ducitur aliud augendi gratia, vt, Tu iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate tantum vini in Hippiæ nuptijs exhauſeras, vt tibi neceſſe eſſet, in populi R. conſpectu vomere poſtridiè. Sic quoque ſolet aliud ex alio augeri, vt, cùm Annibalis virtus amplificatur, quò maior ſit Scipionis, qui eum debellauit, gloria. Virgilius Turnum magnoperè laudat, vt maior Aeneæ victoris illius virtus appareat. Et fortitudinem Gallorum Germanorumq. miramur, quo ſit maior C. Cæſaris gloria. Congeries eſt verborum & ſententiarum, idem ſignificantium, aceruus, vt, Quid enim tuus ille Tubero diſtrictus in acie pharſalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? qui ſenſus erat armorum tuorum? quæ tua mens, oculi, manus, ardor animi, quid cupiebas? quid optabas? Pro Milone, Tu P. Clodij cruentum cadauer iecisti domo; tu in publicum eieciſti; tu ſpoliatum imaginibus, exequijs, pompa, laudatione, infeliciſsimis lignis ſemiuſtulatum, nocturnis canibus dilaniandum reliquiſti. Fit hęc o amplificatio duobus modis, vel cũ vna res multiplicatur, uel cum plures res congeruntur. Eſt autem apud Ciceronem frequentiſſima, quot vero modis amplificamus, totidem etiam minuere poſſumus. Nam eadem eſt aſcendendi, & deſcendendi graduum ratio. ſunt etiam aliæ quædam amplificationis ſpecies, quas tunc explicabimus, cum de peroratione verba faciemus.

Phil. 2.

Pro Q. Li.

C. F. Perge igitur ordine, quatuor mihi iſtas partes explicare. C. P. Faciam, & à principijs primum ordiar, quæ quidem ducuntur, aut ex perſonis, aut ex rebus ipſis.

Prima pars orationis multis nominibus appellatur, dicitur enim, initium, principium, exordium, exorſus, procemium, ſed hoc vltimum nomen græcum eſt, & (vt Quintilianus ait) maiori quadam ratione græci videtur nomen hoc poſuiſſe, quàm Latini. Nam à duobus vocabulis duci procemium poteſt vel, quod οἴμη cantus eſt; & cytharoedi pauca illa, quę antè, quàm legitimũ carmen inchoent, emerendi fauoris

Li. 5. Rh.

 ris

Digitized by Google

ris gratia canunt, procœmium vocauerunt; oratores quoque ea, quæ priuſquã cauſam exordiãtur, ad conciliandos ſibi iudicum animos proloquuntur, eadem appellatione ſignarunt: vel quòd οἶμον ijdem græci viam appellant; id, quod ante ingreſſum rei ponitur, ſic vocare eſt inſtitutum. certè procœmium eſt, quod apud iudicem dici, priuſquam cauſam cognouerit, proſit. Ariſtoteles hæc tria nomina, procœmium, prologus, proaulium ait ita inter ſe differre, ac diſtingui, quod procœmium ſit principium orationis, prologus principium poematis, proaulium principium tibicinis. Eius hæc ſunt verba, *Procemium igitur principium eſt orationis, ſicuti in poeſi prologus, in tibicinis cantu proaulium. nam hæc omnia principia ſunt, & quaſi viæ munitionis ei, qui pertranſire velit.* Quidam ponunt differentiam inter principium, & Inſinuationem, quod principium apertis rationibus, audientium animos conciliare ſtudet; Inſinuatio uero diſsimulans idem obſcurè tentat efficere. Ducitur autẽ omne principium vel à perſonis, vel à rebus ipſis. A perſonis. vt pro Roſcio Am. Credo vos Iudices mirari quid ſit, quod cũ tot ſummi oratores, hominesq́. nobiliſsimi ſedeant, ego potiſsimũ ſurrexerim, is, qui neq; ætate neq; ingenio, neq; auctoritate ſim, cum his qui ſedẽt, comparandus. A rebus ipſis, vt pro P. Quintio; Quæ res in ciuitate duæ plurimũ poſſunt, eæ contra nos ambæ faciunt, in hoc tempore, ſumma gratia & eloquentia.

Sumuntur autem trium rerum gratia, vt amicè, vt intelligenter, ut attentè audiamur, quorum primus locus eſt in perſonis noſtris, diſceptatorum, aduerſariorum.

Cauſa, cuius gratia principium adhibetur in oratione, nulla alia eſt, quam vt auditorem præparemus, quò ſit nobis in cęteris partibus accommodatior, hoc autem tribus rebus maxime fieri rhetores tradunt, primò ſi beneuolentiam eius ita nobis dicendo conciliauerimus, vt amico animo audiat; ſecundò ſi fecerimus, vt quæ dicturi ſumus, intelligat; Tertiò ſi eundem ſemper attentum habere curauerimus. Ac primus quidem ille locus beneuolentiæ, pendet à perſonis, quæ tripertitò diſtribuuntur, ſunt enim aut noſtræ, aut aduerſariorum, aut diſceptatorum. Sed illud ſciendum eſt patroni vel oratoris & rei perſonam pro vna accipi. Itaq́; tam à ſua perſona dicitur orator beneuolentiam captare, cũ à reo ipſo incipit, quam cũ à ſe. Nam interdum à ſe tantum incipit; vt prima in Verrẽ actione, quæ Diuinatio dicitur, Si quis veſtrum Iudices, aut eorum, qui adſunt, fortè, miratur me qui tot an-

nos

nos in cauſis iudicijsq. publicis ita ſum verſatus, ut defenderim multos, læſerim neminem, ſubito nunc mutata voluntate ad accuſandum deſcenderim; is ſi mei conſilij cauſam rationeq̃. cognouerit, vnà & id quod facio probabit, & in hac cauſa profectò neminem mihi eſſe præponendum actorem putabit. Interdum à reo tantum orditur, vt pro P. Sylla; Maxime Vellé, Iudices, vt P. Sylla, & antea dignitatis ſuæ ſplēdorem obtinere, & poſt calamitatem acceptam modeſtiæ fructum aliquem potuiſſet percipere. Interdum & à ſe, & à reo ſimul exorditur; vt pro Milone, Et ſi vereor, Iudices, ne turpè ſit pro fortiſsimo viro dicere *incipientem*, timere; minimeq. deceat, cùm T. Annius Milo ipſe magis de Reipu. ſalute, quàm de ſua perturbetur, me ad eius cauſam parem animi magnitudinē afferre non poſſe, & reliqua. Poteſt autem orator, vel à perſona ſua, uel a perſona aduerſariorum, uel à perſona audientium beneuolentiam ſibi conciliare. Primò igitur uideamus quibus modis à perſona ſua beneuolentiam captet.

## E quibus initia beneuolentiæ conciliandæ comparantur, aut meritis noſtris, aut dignitate, aut aliquo genere virtutis, & maximè liberalitatis, officij, iuſtitiæ, fidei.

Tria ſunt, quæ nobis maximam hominum beneuolentiam conciliare poſſunt, merita, dignitas, uirtus. Nam & eos uehementer amare ſolemus, à quibus beneficia multa acceperimus; & eos quos ante ſtare cæteris dignitate intelligimus; & eos, qui uirtute magna præditi ſunt. Itaque primo ſibi orator beneuolentiam captabit, ſi merita ſua, uel eius, quē defendit, in Remp. & in eos, qui audiunt modeſtè commemorabit. vt Cicero pro L. Flacco. Cum in maximis periculis huius vrbis, atque imperij, grauiſsimo, atque acerbiſsimo Reip. caſu ſocio, atque adiutore conſiliorum periculorumq; meorum L. Flacco cædem a vobis, coniugibus, liberis veſtris, vaſtitatem a templis, delubris, vrbe, Italia depellebam; ſperabam, Iudices honorum potius L. Flacci me adiutorem futurum, quam miſeriarum deprecatorem. Ita pro Cn. Plancio. Cum propter egregiam & ſingularem Cn. Planci, Iudices, in mea ſalute cuſtodienda fidem, tàm multos & bonos viros eius honori viderem eſſe fautores, & reliqua. Eadem ratio eſt captandæ beneuolentiæ, ſi ipſorum iudicum, aut auditorum beneficia in nos collocata commemoremus. Hoc enim grati animi indicium eſt; vt poſt reditum in Senatu, Si P. C. pro veſtris immortalibus in me fratremq; meum liberos noſtros meritis parùm vobis cumulatè gratias

 egero.

egero. Secundo loco beneuolentiam conciliat ipſa dignitas, vt pro L. Murena Cicero commendat ipſum Murenam a dignitate, quod eſſet conſul deſignatus; Idem, inquit, conſul eum veſtræ fidei commendat, qui anteà dijs immortalibus commendauit, vt eiuſdem hominis voce, & declaratus conſul, & defenſus, beneficium populi R. cum veſtra, atque omnium ciuium ſalute tueatur. Pro Cor. Balbo, Ac mihi quidem hoc dignum reo videtur, hoc deberi huius excellentis viri præſtantiſsimæ gloriæ, & quæ ſequuntur. Tertio genus omne virtutis amicitiam conciliat. Habet enim hoc virtus, vt eius ſpecies etiam in hoſte poſita delectet, & ſæpè quos nunquam vidimus, *propter virtutem* ipſam diligimus. Cum autem omnes virtutes ſint amabiles, tum *illæ* præcipuè, quę in aliorum commodis augendis verſantur, qualis eſt liberalitas, iuſtitia, fides: ideo maximè omnium, hæ ſunt ad captandam beneuolentiam accommodatæ. Cicero, Proprium hoc inquit, ſtatuo eſſe virtutis; conciliare ſibi animos hominum, & ad vſus ſuos adiungere: & item, vehementer autem amor multitudinis commouetur ipſa fama, & opinione liberalitatis, beneficẽtiæ, iuſtitiæ, fidei, omniũq; earum virtutum, quæ pertinent ad manſuetudinem morum, ac facilitatem. Hoc modo prima actione in Verrem Cicero beneuolentiam captat, Adductus ſum, inquit, Iudices, officio, fide, miſericordia, multorum bonorum exemplo, veteri cõſuetudine, inſtitutoq; maiorum, vt onus hoc laboris, & officij, nõ ex meo, ſed ex meorum neceſſariorum tempore mihi ſuſcipiendum putarem. Et pro C. Rabirio. Me cùm amicitiæ vetuſtas, tùm dignitas hominis, tùm ratio humanitatis, tùm meæ vitæ perpetua conſuetudo ad C. Rabirium defendendum eſt adhortata. Idem fit, cum iudicum & audientium virtutes extollimus; ideo Cicero in omnibus ſuis orationibus iudices ipſos vehementer laudare ſolet, vt eos ſibi cõciliet: exempla paſsim occurrunt.

Pro Mar. Marcell.

Lib. 1. de offi.

*Contrarijsq; rebus in aduerſarios conferendis.*

In acquirenda iudicum beneuolentia, multùm prodeſt eorum animos ab aduerſarijs noſtris alienare: quod ita facile fiet, ſi res contrarias in eos conferamus, hoc eſt ſi oſtenderimus eorum maleficia, indignitatem, & improbitatem: maleficos enim homines, & abiectos, & improbos, omnes penè odio proſequuntur. Igitur ab aduerſariorum maleficijs ſæpè ſibi orator beneuolentiam captat, vt Cicero pro Roſcio Am. de Chryſogono; ſeſe, hoc incolumi, nõ arbitratur huius innocentis patrimonium, tàm amplum & copioſum poſſe obtinere; damnato & eiecto ſperat ſe poſſe, quod adeptus eſt per ſcelus, id per luxuriam effundere, atque conſumere. Prima in Verrem, Quas res luxuries in flagitijs, crudelitas in ſupplicijs, auaritia in rapinis, ſuperbia in contumelijs efficere potuiſſet, eas omnes ſeſe hoc vno prætore per-

trien-

Digitized by Google

triennium pertuliſſe. Pro Milone, Vnum genus eſt aduerſum infeſtumq; nobis eorum, quos P. Clodij furor rapinis, & incēdijs, & omnibus exitijs publicis pauit. Pro A. Cęcina, Si quantùm in agro locisq; deſertis audacia poteſt, tantùm in foro, atque in iudicijs impudentia valeret; non minus in cauſa cederet A. Cæcina Sex. Ebutij impudentiæ, quam tùm in vi facienda ceſsit audacię. Secundò, cum indignitas aduerſariorum oſtenditur, ab eorum perſona beneuolentia captatur; vt in Vatinium, Si tua tantummodo, Vatini, quid indignitas poſtularet, ſpectare voluiſſem, feciſſem id, quod his vehementer placebat, vt, te, cuius teſtimonium propter turpitudinem vitæ, ſordesque domeſticas, nullius momenti putaretur, tacitus dimitterem. pro Deiotaro, Fugitiui autem dominum accuſantis, & dominum abſentem, & dominum amiciſsimum noſtræ Reipu. cum os videbam, cum verba audiebam, non tàm afflictam regiam conditionem dolebam, quàm de fortunis omnibus extimeſcebam. Tertiò improbitas aduerſariorum, & præcipuè crudelitas iudices ab eis alienat, vt pro Deiotaro, Crudelis Caſtor, ne dicam, Sceleratum & impium, qui nepos auum in diſcrimen capitis adduxerit, adoleſcentiæq; ſuæ terrorem intulerit ei, cuius ſenectutem tueri, & tegere debebat. Pro Roſcio Am. Ab his hoc poſtulare homines ſicarios, atque gladiatores, nō modò vt ſupplicia vitent, quæ a vobis pro maleficijs ſuis metuere, atque horrere debent, verum etiam vt ſpolijs Sex. Roſcij hoc iudicio ornati auctiq; diſcedant. Quod autem dicunt rhetores a nobis aduerſarios in odium, contemptionem, & inuidiam eſſe trahendos, id facile fiet, ſi ea, quę diximus, obſeruauerimus, hoc eſt ſi eorum maleficia, indignitatem, & improbitatem oſtenderimus: nam maleficia ducent eos in odium, indignitas in contemptionem, improbitas in inuidiam, hoc eſt in malam gratiam.

## Et cum ijs, qui diſceptant aliqua coniunctionis, aut cauſa, aut ſpe ſignificanda.

Ab ipſis iudicibus & diſceptatoribus beneuolentia captatur, cū oſtendimus nos eorum virtuti, & ſapientiæ confidere, & ad eos etiam cauſam pertinere; noſq; in eis ſolis ſpem habere; vt pro Roſcio Am. Fide ſapientiaq; veſtra fretus, plus oneris ſuſtuli, quàm ferre me poſſe intelligo: hoc onus, ſi vos, aliqua ex parte alleuabitis, feram vt potero, ſtudio & induſtria Iudices. Pro P. Quinto, Certè aut apud te, & eos, qui tibi adſunt, veritas valebit, aut ex hoc loco repulſa vi, & gratia locum vbi conſiſtat, reperire non poterit, non eo dico C. Aquili, quod mihi veniat in dubium tua fides & conſtantia; aut quo non in ij, quos

tibi

tibi aduocaſti, viris electiſsimis ciuitatis ſpem ſummam habere P. Quintius debeat, & reliqua. pro Milone. Si vnquam de bonis & fortibus viris, ſi vnquam de benemeritis ciuibus poteſtas vobis iudicandi fuit, Si denique vnquam locus ampliſsimorum ordinum delectis viris datus eſt, ubi ſua ſtudia erga fortes & bonos ciues, quæ uultu, & uerbis ſæpè ſignificaſſent, re & ſententijs declararent, hoc profecto tempore eam poteſtatem omnem uos habetis.

## Et ſi in nos aliquod odium, offenſione collata ſit, tolenda ea, minuenda, aut diluendo, aut extenuando, aut compenſando, aut deprecando.

Hoc defenſoris eſt, & ſecundo loco dicentis officium, ut odium, & offenſionem in ſe collatam ab aduerſarijs, uel prorſus tollere, uel ſaltèm minuere ſtudeat. Hoc autem quatuor modis fieri poſſe docet Cicero, hoc eſt, uel diluendo, uel extenuando, uel compenſando, uel deprecando. Diluere eſt penitus negare & oſtẽdere falſum eſſe, quod ab aduerſarijs obiectũ eſt; ut pro Roſcio Am. Confictum eſſe parricidij crimen ab accuſatoribus oſtendit, ut impune Roſcij bona poſſiderent. Pro Deiotaro, ſeruum corruptum præmijs a Caſtore Deiotari nepote ueniſſe ait, ad accuſandum dominũ. Pro Milone priuſquàm ad cauſam ueniat, diluit ea, quæ aduerſarij dicebant; primo nefas eſſe ei lucem intueri, qui a ſe hominem occiſum eſſe fateatur, deinde cædem, qua P. Clodius occiſus eſt, Senatum iudicaſſe contra Remp. eſſe factam. tum Cn. Pompeium rogatione ſua, & de re, & de cauſa iudicauiſſe. Pro M. Cælio ſic ait, Aç mihi quidèm videtur, Iudices, hic introitus defenſionis adoleſcentiæ M. Cælij maximè conuenire, ut ad ea, quæ accuſatores, deformandi huius cauſa, detrahendæ ſpoliandæq; dignitatis gratia dixerunt, primùm reſpondeam, atque ita diluit ea, quibus odium & offenſionem in Cælium aduerſarij contulerant. Extenuare eſt, oſtendere crimen non eſſe tantum, quantum obijcitur ab aduerſario, vt pro M. Cælio: cum audiat nullum facinus, nullam audaciam, nullam vim in iudicium vocari, ſed adoleſcentem illuſtri ingenio, induſtria, gratia, accuſari ab eius filio, quem ipſe in iudicium, & uocet, & uocarit, oppugnari autem opibus meretricijs, & cętera. Compenſare eſt aliunde ſupplere, quod alicubi deeſt, ut Ouidius.

*Tot tamen amiſſis te compenſauimus vnum.*

Cicero pro M. Cælio, cum Celij flagitia negare non poſſet, ea cum eius ingenio & eloquentia compẽſat. Pro Cor. Balbo dicit, illud præ-

ſtan-

ſtantiſsimæ gloriæ Pompeij deberi, ut quod Cn. Pompeium feciſſe conſtet, id omnes ei licuiſſe concedant. Septima actione in Verrem, Q. Hortenſium irridet, qui furta & latrocinia C. Verris, cum eius bellica uirtute cõpenſanda diceret, & oſtendit eum fuiſſe ignauiſsimum: nam præſtantibus uiris, aliqua contra morem ciuilem conceduntur, quæ licet uitioſa ſint, tamen cum eorum uirtutibus compenſantur. Cicero primo de officijs, Nec quenquam hoc errore duci oportet, ut, ſi quid Socrates, aut Ariſtippus contra morem, conſuetudinemq; ciuilem fecerint, locutiuè ſint, idem ſibi arbitretur licere: magnis illi, & *diuinis* bonis hanc licentiam aſsequebantur. T. Liuius de Cicerone *ſic* ait, ſiquis tamen uirtutibus uitia compenſarit, uir magnus, acer, memorabilis fuit. Deprecari eſt fateri crimen, & tamen petere, ut ignoſcatur, quod raro accidit in iudicio, niſi pro illo dicamus, qui maximis beneficijs Remp. affecerit, ut ſiquis Horatium abſoluẽdum cenſeat, quamuis ſororem interfecerit, quoniam egregiam de hoſtibus uictoriã reportauit. Cicero pro Q. Ligario deprecatione utitur, quia Cæſarem non tanquàm iudicem, ut ipſe teſtatur, ſed tanquàm parentem alloquebatur. Frequenter tamen defenſioni deprecatio interponitur, præſertim obliquè, ut pro Milone, Nec deprecaturi ſumus, ut crimen hoc uobis multa propter præclara in Remp. merita condonetis; nec poſtulaturi, ut ſi mors P. Clodij ſalus ueſtra fuerit, idcirco eã uirtuti Milonis potius quàm populi R. felicitati aſsignetis. Septima in Verrem, de Q. Hortenſio Verris patrono, Tùm deprecabitur a uo*bis*, tùm etiam pro ſuo iure contendet, ne patiamini talem imperatorem populi R. Siculorum teſtimonijs eripi, nèue obteri laudem imperatoriam, criminibus auaritiæ uelitis.

## Intelligenter autem vt audiamur, & attentè, a rebus ipſis ordiendum eſt.

Sicut a perſonis beneuolẽtia conciliatur, ita docilitas & attentio a rebus ipſis, ſtatim enim docilis fit auditor, cum rem intelligit, de qua dicturi ſumus; ideo frequenter in deliberationibus a rebus exordimur, ut Cicero de Prouincijs conſularibus; Siquis ueſtrum P.C. expectat, quas ſim prouincias decreturus, conſideret ipſe ſecum, qui mihi homines ex prouincijs potiſsimùm detrahẽdi ſint. Ita Cato, apud Saluſtium, Longè mihi alia mens eſt, P. C. cum res atque pericula noſtra conſidero; & cùm ſententias nonnullorum ipſe mecum reputo; illi mihi diſſeruiſſe uidentur, de pœna eorum, qui patriæ, parentibus, aris, atque focis ſuis bellum parauere: res autem monet cauere ab illis, magis quam quid in illos ſtatuamus conſultare. Sæpè etiam in iudicijs a

re ipſa

re ipſa exordiri licet, ut ſexta in Verrem, Venio nunc ad iſtius, quem admodum ipſe appellat ſtudium, ut amici eius, morbum & inſaniam, ut Siculi latrociniũ, ego quo nomine appellem neſcio, rem uobis proponam, uos eam ſuo nominis pondere, penditote. Ita pro A. Cluentio ab accuſatoris oratione incipit.

Sed facillimè auditor diſcit, & quid agatur intelligit, ſi complectare à principio genus, naturamq́. cauſæ, Si definias, Si diuidas, Si neque prudentiam eius impedias, confuſione partium, nec memoriã multitudine.

Quinque hoc loco ponit, quæ ſingula docilem auditorem efficere poſſunt.

Primum eſt, vt à principio genus naturamq́. cauſę complectamur, vt pro lege Man. Dicendum eſt enim de Cn. Pompeij ſingulari eximiaq́. virtute. Prima Philippica; Antequam de Rep. P. C. dico ea, quę dicenda hoc tempore arbitror, exponam vobis breuiter conſilium, & profectionis & reuerſionis meæ. Pro Milone, Quamquam in hac cauſa, Iudices T. Annij tribunatu rebus omnibus pro ſalute Reipu. geſtis, ad huius criminis defenſionem, nõ abutemur, niſi oculis uideritis inſidias Miloni à Clodio factas. Sed hoc vbique ferè facit Cicero, ut in exordio genus naturamq́. cauſæ, & multis ſæpenumero verbis complectatur. Hoc diligenter etiam poetæ tùm Græci, tùm Latini ſeruare ſolent, ut initio ſuorum operum proponant breuiter, quid in toto opere ſint acturi, ut Homerus in Odyſſea,

Et inuocatio cui tamen ſubeſt propoſitio.

*Dic mihi muſa virum captæ poſt mœnia Troiæ,*
*Qui mores hominum multorum, vidit & vrbes.*

Virgilius.

*Arma virumq́. cano;*

Secundum eſt, ut definitione utamur, nã definitio breuiter & apertè rei cuiuſq́. naturam explicat, & ideò Cicero præcipit, ut in omni diſputatione, incipiamus à definitione, ut intelligatur, quid ſit id, de quo diſputatur, Quod ex Phædro Platonis ſumpſit. Sed oratores non tam anguſtè, quam Philoſophi, definire ſolent, itaque deſcriptionibus potius utuntur, ut Cicero de lege Agraria, contra Rullum pluribus uerbis definit, quid ſit populare, & quid non ſit, ex eo loco, Sed mihi ad huiuſce uerbi uim & interpretationem uehementer opus eſt veſtra

ſapientia,

Digitized by Google

ſapientia, uerſatur enim magnus error, propter inſidioſas nonnullorum ſimulationes, qui cùm populi non ſolum commoda, uerùm etiam ſalutem oppugnant & impediunt, oratione aſſequi uolunt, ut populares eſſe uideantur, & quæ ſequuntur. Ita Sextam actionem in Verrem à definitione incipit.

Tertiũ eſt, ut diuiſionem adhibeamus. Nam diuiſio totam orationem dilucidam & illuſtrem reddit. A diuiſione incipit pro A. Cluentio, Animaduerti, Iudices, omnem accuſatoris orationem in duas diuiſam eſſe partes, quarum altera mihi niti, & magnopere confidere ui debatur, inuidia iam inueterata Iudicij Iuniani & reliqua. Diuiſio, ſeu partitio nonunquàm ante narrationem ponitur, ut pro A. Cluentio, & tunc pars eſſe uidetur exordij; nonunquàm poſt narrationem, ut pro Roſcio Am. ſed ubicunque ponatur, ſemper eam uim habet, ut docilem auditorem efficiat. Neque enim tãtum in exordio, ſed etiam in reliquis orationis partibus, & beneuolus, & docilis & attentus auditor faciendus eſt.

Quartum eſt præceptum, ne prudentiã atque intelligentiam auditoris, cõfuſione partium impediamus, hoc enim magnum vitium eſt, non tantum in exordio, ſed in tota oratione, cum quid perturbatè, & confusè dicitur. Sicut enim ordo certus, aptus, & diſtinctus partium, magnum ſplendorem & claritatem affert; ita ordinis perturbatio maximas orationi tenebras inducit, quod vitium in Rullo Cicero notauit. Debet igitur orator diligenter aduertere, ne quid confusè & perturbatè dicat, ſed partes ordinatè diſtribuat.

Quintum atque vltimum eſt præceptum, ne multitudine partium memoria impediatur: Neque enim facile potuit auditor meminiſſe partium multitudinem. Ideo Rhetores quidam præcipiunt, vt oratio tota vel in duas, vel in tres tantùm partes, non in plures diſtribuatur, quod ſanè frequentiſsimè Cicero facit, vt pro lege Man. Primùm mihi uidetur de genere belli, deindè de magnitudine, tùm de imperatore deligendo eſſe dicẽdum. Pro Roſcio Am. Tres ſunt res, quantùm ego exiſtimare poſſum, quæ obſtent hoc tempore Sex. Roſcio, crimen aduerſariorum, & audacia, & potentia, pro P. Quintio, oſtẽdam primam cauſam non fuiſſe cur à prætore poſtulares, vt bona P. Quintij poſsideres; deinde ex edicto te poſsidere non potuiſſe; poſtremò non poſſediſſe. Pro M. Cælio duas tantùm in partes defenſionem ſuam diuidit, Sunt autem, inquit, duo crimina, auri, & veneni, in quibus vna atque eadem perſona verſatur, aurum ſumptum à Clodia, venenum quæſitum quod Clodiæ daretur, dicitur. Interdum tamen etiam pluribus partibus vtitur Cicero, vt pro P. Seſtio, dicam ego de omni ſtatu P. Seſtij, de genere vitæ, de natura, de moribus, de incrediblili amore in bonos, de ſtudio conſeruandæ ſalutis communis. Sed aduertendum



Digitized by Google

dum eſt, ne tam conciſè & minutè diuidatur oratio, vt omnes partes memoria complecti difficilè ſit, quod nimis frequenter dialectici, & philoſophi facere ſolent.

## Quæq. mox de narratione dilucida dicentur, eadem etiam huc poterunt rectè referri.

Corollarium.

Hoc corollarium eſt, quod ad docilitatem pertinet. Nam quò *dilucidior* fuerit oratio, eò facilius intelligetur. Itaque præcepta *omnia, quę* dilucidam efficiunt orationem, ad hunc locum referri poſſunt. Vt autem dilucida ſit oratio, duobus modis conſequimur, hoc eſt, & verbis & rebus. Sed quomodo verbis dilucida fiat, ſuprà iam oſtenſum eſt, cùm de verborum luminibus tractaremus, quomodo autem rebus poſsit eſſe dilucida oratio, declarabitur infrà, cùm de narratione tractabimus. Quare & illa, quæ iam dicta ſunt de verbis, & quæ poſteà de rebus dicentur in narratione, ad hunc locum referri rectè poterunt.

## Vt attentè autem audiamur, trium rerum aliqua conſequemur: aut magna quædam proponemus, aut neceſſaria, aut coniuncta cum ipſis, apud quos res agetur.

Tria ſunt, quę mouent attentionem, hoc eſt, res magnę, res neceſſarię, & res coniunctæ cum ipſis, qui audiunt. Itaque cum orator attentè cupit audiri, vel hæc tria omnia proponat, vel duo, vel vnum ſaltem eorum.

Res magnæ ſolent admirationem, & expectationem concitare, vt Cicero, pro C. Rabirio, Sic enim exiſtimare debetis, Quirites, poſt hominum memoriam rem nullam maiorem, magis periculoſam, magis ab omnibus vobis prouidendam, neque à Trib. plebis ſuſceptam, neque, à cōſule defenſam, pro Roſcio Am. His de rebus tantis, tamq. atrocibus, neque ſatis me commodè dicere, neque ſatis grauiter conqueri, neque ſatis liberè vociferari poſſe intelligo.

Res neceſſariæ ſunt, ſine quibus eſſe non poſsumus, vt patria, cibaria, veſtes, aut, quæ nobis cariſsimæ ſunt, vt parentes, coniuges, liberi, aut quæ valdè ſunt vtiles, vt vectigalia, pecuniæ, aut denique, quæ ad honorem, gloriam, dignitatem pertinent: quas ita colligit Cicero in Catilinam ad Quirites. Remp. Quirites, vitamq. omnium veſtrum bona, for-

Digitized by Google

na,fortunas,coniuges,liberosq́. veſtros, atque hoc domicilium clariſsimi imperij, fortunatiſsimam, pulcherrimamq́. vrbem hodierno die, deorum immortalium ſummo erga vos amore,laboribus, conſilijs,periculisq́. meis ex flamma, atque ferro,ac penè ex faucibus fati, ereptam & vobis conſeruatam, ac reſtitutam videtis. Pro lege Man. Quirites à rebus neceſſarijs attentos facit, cum ait, Genus eſt enim eiuſmodi,quod maximè veſtros animos excitare, atque inflammare debet,in quo agitur populi Romani gloria,agitur ſalus ſociorum, atque amicorum,aguntur certiſsima populi R. vectigalia, & maxima, aguntur bona multorum ciuium. Septimam Philippicam, ita incipit Cicero,Paruis de rebus, ſed fortaſſe neceſſarijs conſulimur. P. C. de Appia via & de Moneta.Tertiam autem à maioribus,& magis neceſſarijs,ita incipit,Serius omnino P. C. quàm tempus Reip. poſtulauit, aliquando tamen conuocati ſumus: quod flagitabam equidem quotidie,quippè cum bellum nefarium contra aras & focos, contra uitam fortunasq́. noſtras ab homine profligato, ac perdito non comparari, ſed geri iam viderem.Sic Dido apud Virgilium.

*Res dura & regni nouitas me talia cogunt*
*Moliri, & latè fines cuſtode tueri.* li. 1. Aen.

Res coniunctę cum illis,qui audiunt,magnam concitant attentionem, quia omnes ſibi cauent, & ſuis commodis ſtudent. Cicero ſecundam actionem in Verrem ita exorſus eſt, Quod erat optandum maximè, Iudices,& quod vnum ad inuidiam veſtri ordinis, infamiamq. iudiciorum ſedandam,maximè pertinebat, id non humano conſilio, ſed propè diuinitus datum, atque oblatum uobis ſummo Reip. tempore uidetur.Pro Roſcio Am. Hoc cogitetis, niſi in hac cauſa qui ueſter animus ſit,oſtendetis,eo prorumpere hominum cupiditatem, & ſcelus,& audaciam,ut non modò clàm,uerùm etiam hic in foro, ante tribunal tuum M.Fanni,ante pedes ueſtros,Iudices, inter ipſa ſubſellia cædes futuræ ſint.Tertia in Verrem actione. Atque ego non dubito, quin ut mihi, cui filia maxime cordi eſt, res hæc acerba uideatur, atque indigna,ſic unicuique ueſtrum,qui ſimili ſenſu, atque indulgentia filiarum commouemini. Quid enim natura nobis iucundius, quid carius eſſe uoluit? quid eſt dignius in quo omnis noſtra diligentia,indulgentiaq́. conſumatur.

Sit autem hoc etiam in præceptis, vt ſi quando tempus ipſum, aut res, aut locus, aut interuentus alicuius, aut interpellatio, aut ab aduerſario dictum



Digitized by Google

aliquod, & maximè in perorando dederit occaſionem nobis aliquam, ut dicamus aliquid ad tempus aptè, ne derelinquamus.

Quæ ſunt attributa negocijs & perſonis, ab aliquibus circumſtantiæ dicuntur; item ea, quæ repentè eueniunt, nonnunquàm occaſionem exordij præbent oratori, ideo Cicero ponit hoc in præceptis, vt aliquando tempus, & rem, & locum conſideremus, an *aliquam occaſionem* exordij nobis præbeant. Et præterea ſi quis forte *interuenerit*, aut ſi qua interpellatio facta fuerit, denique ſi quid dictum eſt ab aduerſario, præcipuè in extrema orationis parte, quod arripere poſsimus, vt eo vtamur. Quorum omnium exempla multa reperiuntur.

Ac primò a tempore Cicero totum pro M. Cælio exordium duxit; Si quis Iudices fortè nunc adſit ignarus legum, iudiciorum, conſuetudinis noſtræ, miretur profectò, quæ ſit tanta atrocitas huiuſcè cauſæ, quòd diebus feſtis ludisq; publicis, omnibus negocijs forenſibus intermiſsis, vnum hoc iudicium exerceatur, & quæ ſequuntur.

Secundò ab improuiſa, & inſolita re poſſumus exordiri, vt pro Milone, Hæc noui iudicij noua forma, terret oculos, qui quocunque inciderint, veterem conſuetudinem fori, & priſtinum morem iudiciorum minime vident. Non enim corona conſeſſus veſter cinctus eſt, vt ſolebat, non vſitata frequentia ſtipati ſimus.

Tertiò licet ab ipſo loco ſubdito interdum exordiri, vt Cicero pro Deiotaro, Moueor etiam loci ipſius inſolentia, quod tantam cauſam, quanta nulla vnquàm in diſceptatione verſata eſt, dico intra domeſticos parietes, dico extra conuētum, & eam frequentiam, in qua oratorum ſtudia niti ſolent.

Quartò ab interuentu alicuius attentio ſæpè captatur, vt tertia in Verrem, Eſt idem Verres, qui fuit ſemper, vt ad audendum proiectus, ſic paratus ad audiendum, præſtò eſt, reſpondet, defenditur, ne hoc quidem ſibi reliqui fecit, vt in rebus turpiſsimis cum manifeſtò
Li. 1. Aen. teneatur, impudentiæ ſuę pudentem exitum quęſiſſe videatur. Aeneas apud Virgilium, ab interuentu ſuo ſumpſit occaſionem exordij. ſic enim incipit.

*Coràm quem queritis adſum,*
*Troius Aeneas libycis ereptus ab vndis.*

Quintò ab interpellatione, hoc eſt, ſi accidit, vt initio dicendi ab aliquo interpellemur; vel vt aliquis alius interpelletur, arripere occaſionem debemus; vt quarta Philippica, Nunc vero, multò ſim erectior,

quod

Digitized by Google

quod vos quoque hoſtem illum eſſe, tanto conſenſu, tantoq; clamore approbauiſtis. pro A. Cæcina, Monet amicus meus te L. Calphurnius, vt idem dicas, quod idem antè dixti. pro C. Rabirio, Nihil me clamor iſte commouet, ſed conſolatur, cum indicat eſſe quoſdam ciues imperitos, ſed non multos; nunquam, mihi credite, populus R. hic, qui ſilet, conſulem me feciſſet, ſi veſtro clamore perturbatum iri arbitraretur. quantò iam lenior eſt acclamatio, quin continetis vocem indicem ſtultitiæ veſtræ, teſtem paucitatis?

Sexto ab aduerſarij dicto poterimus interdum exoriri, & ab eo precipuè, quod in peroratione dixerit, vt Cicero nona Philippica, Nihil præter ſententiam dicerem, niſi P. Seruilio reſpondendum putarem, qui hunc honorem ſtatuæ nemini tribuendum cenſuit, niſi qui ferro eſſet in legatione interfectus. ita Iuno apud Virgilium,

*Aenean hominum quiſquam, diuumq; ſubegit* l. 10. Aen.
*Bella ſequi? aut hoſtem regi ſe inferre Latino?*

## Et quæ ſuo loco de amplificatione dicemus, multa ex his poterunt ad principiorum præcepta transferri.

Quoniam ſæpè accidit, vt in exordijs vtamur amplificatione, ideo nos admonet hoc in loco Cicero, vt ex præceptis amplificationis, de qua tractabit inferius, ad exordia transferamus ea, quæ nobis conuenire videbuntur. Quòd autem in exordio liceat amplificationibus vti, declarat ipſe Cicero, qui multis in locis hoc facit, vt in exordio pro Roſcio Am. pro P. Quinto, pro C. Rabirio, perduellionis reo. Sed longè magis amplificat in exordijs contra Catilinam. Hæc ſunt, quæ de exordio præcipit hoc in opere Cicero. In primo vero de inuentione docet etiam, quot ſint vitioſorum exordiorum genera, vt ea vitare poſsimus, & ſeptem enumerat.

Primum vulgare dicitur, quod multis cauſis accommodari poteſt;
Secundum commune, quo poteſt etiam aduerſarius vti;
Tertium commutabile, quod in auctorem retorqueri poteſt.
Quartum longum, quod nimis producitur;
Quintum ſeparatum, quod ex ipſa cauſa non ducitur, aut cum ea non conuenit:
Sextum tranſlatum, quod aliud conficit, quàm cauſæ genus poſtulat; vt ſi attentum faciat, cum beneuolentia concilianda eſt;
Septimum, quod eſt contra præcepta, vt quod neque beneuolum, neque docilem, neque attentum auditorem facit. His vitijs declinatis,

Digitized by Google

natis, optimum erit exordium eo modo confectum, quo ſuprà iam dictum eſt.

C.F. Quid in narratione, quæ tandem conſeruanda ſunt? C. P. Quoniam narratio eſt rerum explicatio, & quædam quaſi ſedes, ac fundamentum conſtituendæ fidei: ea ſunt in ea ſeruanda maximè, quæ etiam in reliquis ferè dicendi partibus, quæ partim ſunt neceſſaria, partim aſſumpta ad ornandum. nam ut dilucidè probabiliterque narremus, neceſſarium eſt, ſed aſſumimus etiam ſuauitatem.

Secunda pars orationis eſt narratio, de qua iam tractare incipit, atque illam, vt artis ratio poſtulat, primò definit, deinde docet, quid in ea ſeruandum ſit. Definitio igitur narrationis hæc eſt, Narratio eſt rerum explicatio, & quædam quaſi ſedes ac fundamentum conſtituendæ fidei. Neque enim alia de cauſa narratione vtuntur oratores, niſi vt res eas, de quibus agitur, explicent, atque in explicãdo ſemina quędam argumentationum ſpargant, quæ ſint tanquàm totius confirmationis fundamenta. Nam initium confirmationis eſt ipſa narratio, ſine qua non modo confirmari cauſa non poteſt, ſed ne intelligi quidem, Itaque ſemper in iudicialibus controuerſiis eſt neceſſaria, niſi quando res ita peruulgata eſt, ut eam explicare nihil ultrà referat. Eadem uero ſunt in narratione ſeruanda, quæ etiam in reliquis orationis partibus. Sunt etiam quædam præcepta omnium partium communia, quæ ad claritatẽ, & probabilitatem orationis pertinent, quędam etiam ad ſuauitatem. Siquidem hæc ita diſtincta ſunt, ut alia ſint neceſſaria, quæ nunquam omitti debent, ut perſpicuitas, & probabilitas; alia uero aſſumpta ad ornandum, ut ſuauitas, quæ tamen non ſunt neceſſaria. Quintilianus exiſtimat, narrationem omni qua poteſt uenere, & gratia ornandam, quoniam nulla in parte attentior eſt iudex, & nihil recte dictum perit, quin facilius credit, quæ iucũda ſunt. Hoc autem loco de ciuili narratione intelligimus. Nam tria narrationum genera ſunt, ut Aphthonius teſtis eſt, hiſtoricum, quo res ueræ explicantur, quæ hiſtoriæ nominantur; Drammaticum, quo fabulæ, & comœdiæ, atque tragediæ vtuntur; Politicum, quod ad cauſas ciuiles pertinet. Atque hoc ciuile narrationis genus, duas habet partes, ut docet Cicero,



Digitized by Google

ro, unam in qua cauſa, & omnis ratio controuerſiæ continetur; alteram, in qua digreſsio aliqua extra cauſam, aut criminationis, aut ſimilitudinis, aut delectationis, non alienæ ab eo negocio, de quo agitur, aut amplificationis cauſa interponitur. Sæpè enim in una oratione plures narrationes adhibentur; ſed una ſolet eſſe principalis, quæ totam cauſam continet, de qua hoc in loco intelligimus. Huic autem narrationi ſex illæ ferè ſemper accidunt, quæ uulgo circumſtantiæ dicuntur, perſona, res, cauſa, locus, tempus, modus, ut in narratione pro Milone, A perſona incipit, P. Clodius cum ſtatuiſſet omni ſcelere, in pretura uexare Remp. Rem, ideſt negocium factum exponit. Roma ſubito ipſe profectus pridie eſt. Cauſas multas affert, ſed illam præcipuè, Occurrebat mancam ac debilem præturam ſuam futuram conſule Milone. locum ibi notat, ut, Ante fundum ſuum Miloni inſidias collocaret, tempus etiam explicat. Fit obuiam Clodio ante fundum eius hora ferè undecima, aut non multò ſecus. Modus deniq; ponitur, Statim complures cum telis in hunc faciunt de loco ſuperiore impetum. Atque hæc eadem in alijs etiam narrationibus diligenter obſeruari ſolent, quæ ſi commodè tractentur, dilucidam & probabilem narrationem efficiunt, quæ duo ſunt in ea neceſſaria, ut hoc loco ſentit Cicero. Libr. 1. de Inu.

**Ergo ad dilucidè narrandum eadem illa ſuperiora explicandi, & illuſtrandi præcepra repetemus, in quibus eſt breuitas: eaq; ſæpiſsimè in narratione laudatur, de qua ſupra dictum eſt.**

Tres aiunt eſſe narrationis uirtutes, ut dilucida ſit, ut breuis, ut probabilis, quæ licet in tota oratione lucere debent, tamen in narratione maximè requiruntur, quoniam ea eſt quaſi ſedes, & fundamentum conſtituendæ fidei. Sed iam ſupra, cùm de uerborum luminibus uerba faceret, docuit Cicero, quibus modis dilucida, breuis, & probabilis fiat oratio. Quarè illa præcepta ſunt hic repetenda. Nam dilucida narratio fiet, ſi præter ea, quæ iam ſuprà dicta ſunt, ſeruetur ordo rerum, & nihil ambiguè, nihil confuſè, nihil perturbatè dicatur, nullaq. fiat in ea digreſsio, & nihil eorum, quæ neceſſaria ſunt, prætermittatur. Breuis autem erit, ſi nimis altè nõ repetatur, quod Horatius etiam in poeta laudat cum ait,

*Nec gemino bellum Troianum orditur ab ouo.*

Et, ſi non aberretur à propoſito, ſimpliciterq. res exponantur, nõ per

verbo-

uerborum circuitionem. Quamuis enim non ſemper in alijs partibus breuitas laudetur, quoniam eloquentia copioſè loqui debet, tamen ſæpiſsimè in narratione laudatur, ſed ea breuitas intelligitur, quę ſuperuacanea tantùm reſecat, non quæ omittit neceſſaria. Nam in eo ponenda eſt breuitas, vt docet Quintilianus, non ut minus, ſed ne plus dicatur, quàm oporteat. Satius eſt enim aliquid narratione ſupereſſe, quàm deeſſe, nam ſuperuacua cum tædio dicuntur, neceſſaria cum periculo ſubtrahuntur. Itaque uidemus multas Ciceronis narrationes, eſſe perquàm ſanè longas, ut pro Roſcio Am. pro P. Quintio, pro Milone, quoniam opus erat in eis iudicijs, benè *cauſam informare*, cùm aliter quàm Cicero narret, ipſi iudices ſentire uiderentur. Aphthonius quatuor narrationis uirtutes numerat, perſpicuitatem, breuitatem, probabilitatem, ſermonis proprietatem. Sed præter cæteras omnes, probabilitas eſt maximè neceſſaria. Nam, niſi ueriſimilis narratio ſit, nullum erit fundamentum conſtituendæ fidei, & omnis vis confirmationis interibit. Quare diligentius etiam Cicero docet, quibus modis probabilis narratio fiat.

Probabilis autem erit, ſi perſonis, ſi temporibus, ſi locis ea, quæ narrabuntur, conſentient, ſi cuiuſque facti, & euenti cauſa ponetur, ſi teſtata dici videbuntur, ſi cum hominum opinione, auctoritate, ſi cum lege, cum more, cum religione coniuncta, ſi probitas narrantis ſignificabitur, ſi antiquitas, ſi memoria, ſi orationis ueritas, & uitæ fides.

Quindecim modis narrrationem fieri probabilem oſtendit;

Primo a perſonis, in quibus cõſideratur nomẽ, natura, uictus, fortuna, habitus, affectio, ſtudia, conſilia, facta, caſus, orationes. Nomen, ut P. Clodius, Annius Milo. nã in narratione ſępè nomẽ explicatur, pro Roſcio Am. Nam duo iſti ſunt T. Roſcij, quorum alteri Capitoni cognomẽ eſt; iſte, qui adeſt, Magnus uocatur, & paulò poſt, Occiſo Sex. Roſcio primus Ameriã nunciat Manlius Glaucia quidam homo tenuis, libertinus, cliẽs & familiaris iſtius T. Roſcij. Sũt autẽ in narrationibus neceſſaria nomina propria, vt intelligatur, qui ſint illi, de quibus verba facimus. Natura cõſideratur, vt timidus, an audax, an fortis, prodigus, an auarus, an liberalis, robuſtus an infirma valetudine, atque ita de reliquis, vt Cicero de P. Clodio, Vbi vidit homo ad omne facinus paratiſsimus, fortiſsimum virum, inimiciſsimum ſuum, certiſsimum

con-

Digitized by Google

conſulem. pro Roſcio Am. Homines antiqui, qui ex ſua natura cęteros fingerent. Semper autem Cicero naturam eorum quos defendit, optimam eſſe, aduerſariorum peſsimam oſtendit, niſi fortè aduerſarij ſint amici, vt pro L. Murena, Cato & Sulpitius, tunc enim modeſtius cum eis agit. Victus etiam ſpectatur, ut pro Roſcio Am. Cum hic filius aſsiduus in prædijs eſſet, cumq́. ſe voluntate patris rei familiari, uitæq́. ruſticæ, dediſſet; Pro P. Quintio docet Sex. Neuium ſemper ſcurrilem uitam egiſſe, neque iura ſocietatis didiciſſe. Pro M. Cælio, docet eum in adoleſcentia cum optimis uiris uixiſſe. Nemo hunc *M. Cælium* in illo ætatis flore uidit, niſi aut cum patre aut mecum, aut *in M.* Craſsi caſtiſsima domo, cum artibus honeſtiſsimis erudiretur. In fortuna ſpectatur nobililitas, & diuitiæ, atque his contraria, ut pro Roſcio Am. Sex. Roſcius pater huiuſcè, municeps Amerinus fuit, cùm genere, & nobilitate, & pecunia non modo ſui municipij, uerùm etiam eius uicinitatis facilè primus, tùm gratia, atque hoſpitijs florens hominum nobiliſsimorum. Habitus longa conſuetudine acquiritur; nam qui longo tempore ſe in aliqua re exercet, habitum contrahit, quem non ita facilè deinde poteſt exuere. Eſt autem & malus & bonus habitus. Malus, vt pro P. Quintio de Sex. Meuio, Fit magna mutatio loci, non ingenij. Nam qui ab adoleſcentulo quæſtum ſibi inſtituiſſet ſine impendio, poſtea quàm neſcio quid impendit, & in commune contulit, mediocri quæſtu contentus eſſe non poterat. Bonus, vt pro Roſcio Am. Hic cùm omni tempore nobilitatis fautor fuiſſet, tùm *hoc tumultu proximo*, cùm omnium nobilium dignitas & ſalus *in diſcrimen* veniret, præter cæteros in ea vicinitate, eam partem cau ſamq; opera, ſtudio, auctoritate defendit. Affectio differt ab habitu, quia habitus eſt diuturnior, affectio facilè mutatur, vt lætitia, ſpes, mœror, timor, Cicero pro Q. Ligario, Quo audito, partim cupiditate inconſiderata, partìm cæco quodam timore, primo ſalutis cauſa, poſt etiam ſtudij ſui, quęrebant aliquem ducem. paulo poſt, Atque ille non mediocri cupiditate arripuit imperium. Studium eſt vehemens animi applicatio ad aliquid agendum, quod in perſona conſideratur, vt pro Archia poeta, Nam, vt primùm ex pueris exceſsit Archias, atque ab his artibus, quibus ætas puerilis ad humanitatem informari ſolet, ſe ad ſcribendi ſtudium contulit. Conſilia ſæpè explicantur in narrationibus, vt pro Roſcio Am. Conſilium cœperunt plenum *ſceleris & audaciæ*, vt nomen huius de parricidio deferrent. Pro Milone, Qui non honoris gradum ſpectaret, vt cæteri, ſed & L. Paulum collegam effugere vellet, ſingulari virtute ciuem, & annum *integrum* ad dilacerandam Remp. quæreret. Facta vero ſæpiſsimè narrantur; vt pro Milone, Subitò reliquit annum ſuum, ſeq́. *in annum* proximum tranſtulit. Item, Roma ſubitò ipſe profectus pridie eſt. Caſus eſt, qui præter

ſpem atque opinionem accidit, vt pro Q. Ligario, Bellum ſubitò exarſit, quod, qui erant in Africa ante audierunt geri, quam parari. Orationes multo probabiliorem ſæpè narrationem faciunt, vt pro Milone, Palàm agere cœpit, & apertè dicere occidendum Milonem. Item, Etenim palàm dictitabat conſulatum Miloni eripi non poſſe, vitam poſſe. Hæc omnia ſunt in perſonis conſideranda.

Secundo fit narratio probabilis à temporibus, vt pro Milone probat inſidias à Clodio Miloni factas, quoniam eodem tempore Milo cõſulatum petebat, quo Clodius præturam. pro Q. Ligar. Q. Ligarius, cum eſſet adhuc nulla belli ſuſpicio, legatus in Africam *cum proconſule* C. Conſidio profectus eſt. pro M. Cælio docet à tempore Cælium Catilinæ familiarem non fuiſſe.

Tertio à loco fit probabilis narratio, vt pro Milone, vt ante fundũ ſuum inſidias Miloni collocaret. Sæpè etiam à loco narrationes incipiunt, vt tertia in Verrem, Oppidũ eſt in Helleſponto Lampſacum, iudices. Interdum locus, & tempus vna copulantur vt pro Roſcio Am. Occiditur ad balneas palatinas rediens à cæna Sex. Roſcius. Pro Milone, Fit obuiam Clodio ante fundum eius hora ferè vndecima, aut non multò ſecus.

Quarto, ſi cuiuſque facti, & euẽti cauſa ponetur, erit probabilis narratio. cauſarum enim explicatio fidem facit, vt, Cur Clodius inſidias Miloni fecit? quia occurrebat ei mancam, ac debilem præturam ſuam futuram conſule Milone. Cur ſeruos Clodius congregauit? delectum perditiſsimorum ciuium habuit? expeditus in equo, nulla rheda, nullis græcis comitibus, vt anteà ſolebat, nullis impedimentis Roma profectus eſt? nempe vt inſidias ſtrueret, cur igitur victus eſt? quia non ſemper viator à latrone, nonnunquàm etiam latro à viatore occiditur, quia quãquàm paratus in imparatos Clodius; tamen mulier inciderat in viros.

Quinto, ſi teſtata dici videbuntur, vt pro Milone, Quin etiam Fauonio fortiſsimo viro quærenti ex eo, qua ſpe fureret, Milone uiuo, reſpondit triduò illũ, ad ſummum quatriduò periturum, quam uocem eius ad hunc M. Catonem ſtatim Fauonius detulit.

Sexto, ſi cum hominum opinione, vt pro Roſcio Am. de vita ruſtica, Quæ uita maximè diſiuncta à cupiditate, & cum officio coniuncta. Pro Milone, Fecerunt ſerui Milonis, quod ſuos quiſque ſeruos in tali re facere uoluiſſet.

Septimo, ſi cũ auctoritate coniuncta, ut pro Roſcio Am. Etenim rectũ putabat pro eorũ honeſtate ſe pugnare, ꝓpter quos ipſe honeſtiſſimus inter ſuos numerabatur. Auctoritas. n. maximam uim habet ad fidẽ faciendã, uel in eo qui dicit, vel in eo de quo dicitur. Nã auctoritate magna præditis hominibus, facilius creditur, quia non eſt in eis

nulla

vlla mendacij ſuſpicio, & quæ dicuntur de viro magnæ auctoritatis, facile probantur, vt, ſiquis narret Catonem eſſe amantem patriæ, alienum ab auaritia, fortem & conſtantem in negocijs. Poteſt etiam auctoritas ad imperium referri, vt in Verrinis Cicero multa narrat, quæ Verres pro auctoritate imperij, quod gerebat, flagitioſè perpetrarat.

Octauo, ſi cum lege, vt pro Milone Cicero lege naturæ probat vnicuique licere vim vi repellere. Eſt enim, inquit, hæc Iudices non ſcripta, ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verùm ex natura *ipſa* arripuimus, hauſimus, expreſsimus, ad quam non docti, *ſed facti*, non inſtituti, ſed imbuti ſumus, & quæ ſequuntur. Probat hoc idem etiam a legibus duodecim tabularum eſſe conceſſum.

Nono, ſi cum more & conſuetudine, vt in eadẽ oratione. Sin hoc, & ratio doctis, & neceſsitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipſa præſcripſit, vt omnem ſemper vim, quacunq; ope poſſent, a corpore, a capite, a vita ſua propulſarent, & cætera.

Decimo, ſi cum religione coniuncta, vt ibidem, Iter ſolenne, legitimum, neceſſarium Miloni eſſe Lanuuium ad flaminem prodeũdum, quod erat dictator Lanuuij Milo.

Vndecimo, Si probitas narrantis ſignificabitur. probis enim viris facilè credi ſolet. Ideo Ariſtoteles inter probationes artificioſas, mores etiam dicentis oratione expreſſos ponit. Idem valent ſæpe mores etiam ipſius rei ſi exprimantur, vt pro Milone. Nihil dico, quid Reſp. conſecuta ſit, nihil, quid vos, nihil, quid omnes boni, nihil ſanè id proſit Miloni, qui hoc fato natus eſt, vt ne ſe quidẽ ſeruare potuerit, quin vna Remp. voſq; ſeruaret. Libr. 11. Rheto.

Duodecimo, ſi antiquitas, hoc eſt orationis grauitas, quæ antiquitatem quandam & venerationem prę ſe ferat, vt pro Milone, Qui non honoris gradum ſpectaret, vt cæteri; ſed & L. Paulum collegam effugere vellet ſingulari virtute ciuem, & cætera.

Tertiodecimo, ſi memoria dicentis ſignificabitur. Nam ea, quæ promptè, & memoriter narrantur, vera eſſe videntur; cum autem quis hæret in dicendo ac vacillat, neque ſibi conſtat, ficta loqui videtur, ideo prouerbio dicitur: Mendacem eſſe memorem oportere.

Quartodecimo, Si orationis veritas, hoc eſt, ſi antea ſolitus eſt vera dicere. probabile eſt enim eum, qui ſemper antea veridicus fuit, etiam nunc vera narrare; mendax autem id aſſequitur, vt neque cum vera dicit, ei credatur. Pœna mẽdacis.

Vltimo, vitę fides maximè probabilem efficit orationem: vita enim anteacta, firmum quoddam teſtimonium eſt. Sceleſtus enim & improbus, nullam fidem habet, probo vero homini facilè creditur; idcircò dicunt oratorem bonum virum eſſe oportere.



Digitized by Google

Suauis autem naratio eſt, quæ habet admirationes, expectationes, exitus inopinatos, interpoſitos motus animorum, colloquia perſonarum, dolores, iracundias, metus, lætitias, cupiditates. Sed iam ad reliqua pergamus.

Decem res eſſe oſtendit, quæ ſuauem orationem *efficiant*,

Primò admirationem, quæ tùm excitatur, cum aut magna, *aut noua* & inaudita dicimus. Magna, vt ſiquis narraret a Scipione adoleſcente defenſum fuiſſe patrem, ac protectum, cum Annibal eum vrgeret in prælio. Ita Cicero magnum oſtendit fuiſſe factum Cæſaris Octauiani, quòd adoleſcens, ac penè puer exercitum veteranorum compararit, patrimonium effuderit. & M. Antonij furori obſtiterit. Quin eiuſdem factum oſtendit eſſe nouum & inauditum, Multa, inquit, memini, multa audiui, multa legi, nihil ex omnium ſeculorum memoria tale cognoui. Ita pro A. Cluentio, O mulieris ſcelus incredibile, & præter hanc vnam in omni vita inauditum.

Phili. 5.

Secundò, expectationes concitatæ multum delectant, cum dubitant auditores quò res ſit euaſura, vt pro A. Cluētio, Summa omnium expectatio, quidnam ſententiæ ferrent nummarij iudices. Pro eodem, Cum eſſent hæ nuptiæ plenæ dignitatis, plenæ concordiæ, repentè eſt exorta mulieris importunæ nefaria libido, non ſolum dedecore, verùm etiam ſcelere coniuncta. Hac de cauſa, multi fiunt *circuitus verborum* & præparationes in dicendo, vt maior expectatio concitetur. Quod in Verrem frequentiſsime Cicero facit. In comœdijs, & tragœdijs expectationes rerum futurarum concitatæ, magnoperè delectant.

Tertiò exitus inopinati, quando felices apparent, ſummam afferunt iucunditatem, quod ita Cicero affirmat, At viri ſæpè excellentis, ancipites, varijq; caſus, habent admirationē, expectationem, lætitiam, moleſtiam, ſpem, timorem: ſi vero exitu notabili concluduntur, explentur animus iucundiſsimæ lectionis voluptate. Tales ſunt omnes comœdiarum exitus hoc eſt inopinati, & felices.

Lib. 5 ep. ad Luc.

Quartò, ſuauis fiet narratio, ſi motus animi interponantur. Nam, vt ait Ariſtoteles, in omni animi motu ineſt quædam iucunditas. Cicero pro A. Cluentio de Saſsia Cluentij matre; Deinde ita flagrare cœpit amentia, ſic inflammata ferri libidine, vt etiam non pudor, non pudicitia, non pietas, non macula familiæ, non hominum fama, nō filij dolor, non filiæ mœror a cupiditate reuocaret, animū, adoleſcentis nondum conſilio ac ratione firmatum pellexit, & reliqua.

Quin-

Quintò colloquia perſonarum in narratione delectant, vt tertia in Verrem, Quæſo, inquit, Philodame cur ad nos filiam trium non intrò vocari iubes. & paulo poſt, Tū ille, vt aliquid reſponderet, negauit moris eſſe græcorum, vt in conuiuio virorum accumberent mulieres: hic tum alius ex alia parte, enimuero ferendum hoc non eſt, vocetur mulier, & quæ ſequuntur.

Sextò dolores expreſsi delectant. Ineſt enim quædam etiam in dolore iucunditas: vt pro Roſcio Am. Quod Amerinis vſque eo viſum eſt indignum, vt vrbe tota fletus gemitusq; fierent. Pro A. Cluentio, in huius amantiſsimi ſui fratris manibus & gremio, mœrore & lachrymis conſeneſcebat.

Septimò, iracundiæ mouent delectationem. Nam Homerus ita de ira cecinit, vt citat Ariſtoteles.

*Dulcior effuſo quæ melle in pectore gliſcit.*

Cicero pro Roſcio Am. Nemo erat, qui non ardere omnia mallet, quàm videre in Sex. Roſcij optimi viri, atque honeſtiſsimi, bonis iactantem ſe ac dominantem T. Roſcium.

Octauò, metus in narratione ſuauitatē afferunt, vt pro Roſcio Am. Vſque adeo autem ille pertimuerat, vt mori mallet, quam de his rebus Syllam doceri: tertia in Verrem, Hæc vbi filio nunciata ſunt, ſtatim exanimatus ad ædes contendit, vt & vitæ patris, & pudicitiæ ſororis ſuccurreret.

Nonò, lætitiæ faciunt iucundam narrationē, vt pro Cluentio, Tum vero illa egregia, ac præclara mater, palàm exultare lætitia, ac triumphare gaudio cæpit: tertia in Verrem, Fit ſermo inter eos & inuitatio, vt greco more biberetur, hoſpes hortatur, poſcunt maiorib. poculis, celebratur omnium ſermone lætitiaq; conuiuium.

Decimò & vltimò, cupiditates expreſſæ delectant, ut pro Roſcio Am. Hoc conſilio, atque adeo hac amentia impulſi, quem ipſi cum cuperent, non potuerunt occidere, eum iugulandum vobis tradiderunt. Pro Cluentio, Sanguinem ſuum profundere omnem cupit, dum modò profuſum huius ante uideat.

C. F. Nempe ea ſequuntur, quæ ad faciendam fidem pertinent. C P. ita eſt, quæ quidem in confirmationem, & reprehenſionem diuiduntur. nam in confirmando noſtra probare volumus, in reprehendendo redarguere contraria.

Poſt narrationem ſequitur confirmatio. Narratio enim ad rem docendam

cendam adhibetur, confirmatio vero ad faciendam fidem. Confirmationi adiungitur refutatio, ſiue reprehenſio, qua contraria redarguere conamur. Hæc autem interdum confirmationem præcedit, ut pro M. Cælio, pro Milone; interdum ſubſequitur confirmationem, ut pro lege Manilia; ſæpe etiam confunditur, & commiſcetur in confirmatione, ut pro Murena, pro Flacco, pro Cluentio. Qua de cauſa Cicero & Ariſtoteles hanc unam tantum orationis partem efficiunt, quæ ex confirmatione, & reprehenſione conſtat, licet Quintilianus aliter ſentiat. Confirmationis initium ſæpe à partitione ducitur, ut pro P. Quintio, Oſtendam primùm cauſam non fuiſſe cur à prætore *poſtulares*, ut bona P. Quintij poſſideres, deindè ex edicto te poſſidere non potuiſſe, poſtremò non poſſediſſe. Eſt igitur partitio confirmationis principium, quæ totam confirmationem in certas partes diſtribuit, in qua tria præcipuè ſeruanda ſunt. Primò ne partium multitudo fiat, nam duas, aut tres, aut ad ſummum quatuor tantùm facere partes opus eſt; Deindè ut eodem ordine partes perſequamur, quo propoſuimus; Tùm ut ſumma genera complectamur, neque ſpecies cum generibus miſceamus.

**Quoniam igitur omne, quod in controuerſiam venit, id aut ſit, nec ne ſit, aut quid ſit, aut quale ſit, quæritur, in primo coniectura valet; in altero definitio; In tertio ratio.**

Antequam ad confirmationem cauſæ noſtræ accedamus, ſtatū eius, ſiue conſtitutionem agnoſcere debemus. Eſt autem ſtatus, ſiue conſtitutio, quam Græci ςάσιν vocant, ea quæſtio, quæ ex prima conflictione exoritur; ex intentione & depulſione hoc modo, Seruius Sulpitius Murenā accuſans ait; Murena ambitum commiſit; Cicero defenſor, Imo uero Murena ambitum non commiſit, quæritur an commiſerit, hæc quæſtio ſtatus vel conſtitutio dicitur, quoniam in ea tota cauſa conſiſtit. Hoc autem nomen ςάσις ab Hermagora quidam inuentum putant, quidam ab Eucrate Socratis diſcipulo, quidam, à Zopyro Clazomenio. Quanquam Aeſchines contra Cteſiphontem petit à iudicibus, vt Demoſthenem dicere de ipſo cauſæ ſtatu cogant, neque euagari permittant. Hos igitur ſtatus alij aliter diuidunt. Cicero tres eſſe ſtatuit, quoniam de vnaquaque re tria quærere poſſumus.

Primum an ſit, nec ne ſit; vt ſi ſit de re aliqua diſputandum, primo quæritur, an ſit ea res. Deinde quæritur quid ſit, vt poſtea quàm probatum



Digitized by Google

batum fuerit, illā rem eſſe, tunc eius natura explicetur, & quid ſit aperiatur. Tū quæritur qualis ſit, vt ſi iam conſtat eſſe illam rem, intelligatur quid ſit, illud vnū ſupereſt, vt qualis ſit oſtēdatur. Hac etiam ratione Rhetores cauſas ſuas diſtribuunt. Primò enim quęrunt, ſit nec ne, id, de quo eſt controuerſia, & hunc ſtatum coniecturalem vocant, à coniectu, hoc eſt directione quadam rationis ad veritatem, vnde etiā ſomniorum, atque omnium interpretes coniectores vocantur. In Topicis à Cicerone dicitur etiam inficialis, eo, quòd fiat a reſpondente & inficiante crimen, atque negante. Et hunc ſtatum eſſe proprium Rhetorum volunt, vt Cicero in Topicis, Ad Ciceronem, inquibat, *Gallus* noſter, ſi quis ad eum quid tale retulerat, vt de facto, quæreretur. In hoc ſtatu ſunt omnes cauſæ in quibus factum negatur, vt pro L. Murena, pro Flacco, pro Sylla, pro Roſcio Am.

Secundò quærunt Rhetores quid ſit, vnde ſtatus definitiuus vocatur, qui tunc accidit, cùm factum quidem conceditur, ſed de nomine, facti controuerſia eſt. Vt Labienus accuſat Rabirium, quod arma contra Saturninum ſumpſerit, atque ideo maieſtatem minuerit: Cicero Rabirium defendit, & cōcedit arma quidem à Rabirio contra Saturninum ſumpta, ſed non tamen læſam eſſe maieſtatem. Quæritur ergo quid ſit maieſtatem lędere. vt pro A. Cæcina, quid ſit deijcere. pro Murena, quid ſit ambitum committere.

Tertio quærūt quale ſit, vt cū de facto conſtat, & de nomine facti, ſed de qualitate cōtrouerſia eſt, vtrū iuſtum ſit, an iniuſtum, & hæc dicitur *ratio* vel *qualitas*, vel ſtatus iuridicialis, vt rectène Milo Clodiū interfecerit: potuerit ne iure Flaccus exigere pecunias à Græcis ad inſtruendam claſſem: iuſtène ſumpſerit arma Rabirius contra Saturninum.

C. F. Teneo iſtam diſtributionem, nunc coniecturæ locos quæro. C. P. in veriſimilibus, & in proprijs rerum notis poſita eſt tota. Sed appellemus docendi gratia veriſimile, quod plerumquè ita fiat, vt adoleſcentiam procliuiorem eſſe ad libidinem. Propriæ autem notæ argumentum, quod *nunquam* aliter fit, certumq́. declarat, vt *fumus ignem.*

Coniectura omnium quæſtionum eſt difficillima, & vtiliſsima, ideo primo eam loco tractat. Diffunditur autem cōiectura in omnes quæſtiones, & in omne genus Rhetoricæ, vnde quidam exiſtimarunt eſſe

tantum

Lib. 3. inſti. orat. tantum vnum ſtatum coniecturalem, vt Quintilianus ſcribit, & certè proprius eſt oratoris hic ſtatus, ut in Topicis ait Cicero. Duobus autem modis confirmatur coniectura, hoc eſt veriſimilibus, & proprijs rerum notis. Veriſimilia, ſunt, quæ alio nomine probabilia, & credibilia dicuntur. à Græcis πιθανὰ, vel ἔνδοξα vel etiam εἰκότα nominantur. ea plerunque fiunt, & eodem modo maiori ex parte eueniunt, ſed non tamen ſunt neceſſaria; vt adoleſcentes ſunt ad libidinem procliuiores. Senes ad auaritiam, veruntamen reperiuntur etiam adoleſcentes temperati, & ſenes liberales. Propriæ rerum notæ ſunt, *quæ alio nomine* indicia, & argumenta neceſſaria vocantur, que aliter *eſſe non poſſunt*, à græcis appellantur τεκμήρια: quoniam rem certam & *indubitatam* declarant, ut ait Ariſtoteles. quemadmodum fumus ignem declarat, lac in muliere partum oſtendit. Veriſimilia ſunt illa pro Cælio, Datur enim conceſſu omnium huic aliquis ludus ætati, & ipſa natura profundit adoleſcentiæ cupiditates, quæ ſi ita erumpunt, vt nullius uitam labefactent, nullius domum euertant, faciles, & tolerabiles haberi ſolent. propriæ rerum notæ ſunt huiuſmodi, Spiritum ducit, igitur uiuit. Peperit mulier, ergo cum uiro concubuit.

Veriſimilia reperiuntur ex partibus, & quaſi membris narrationis, ea ſunt in perſonis, in locis, in temporibus, in factis, in euentis, in rerum ipſarum negociorumq́; naturis.

Cum omnis coniectura probetur, aut ueriſimilibus, aut proprijs rerū notis, docet primo Cicero vnde ueriſimilia reperiantur, & ait ex partibus narrationis inueniri. nam in narratione, ſicut antea dictum eſt, argumentationum ſemina ſparguntur, ex quibus omnis coniecturæ probatio poſtea ducitur. Sunt autem ſex quaſi partes narrationis, unde uerſimilia ducuntur: Perſonę, Loca, Tempora, Facta, Euenta, Rerum negociorumq; naturę, Sumamus exemplum ab oratione pro Roſcio Am. primo tractatur ita perſona Roſcij, ut non modò a paricidio, cuius accuſabatur, ſed etiàm ab omni flagitio uideatur aliena, quòd aſsiduus eſſet in prædijs ruſticis colendis, quòd uoluntate patris rei familiari, uitæq; ruſticæ ſe dediſſet, quod integris & caſtis moribus eſſet. Cōtra docet aduerſarios ſceleſtos, audaces, inopes, Roſcij patris inimiciſsimos, ut ueriſimilius ſit ab ipſis, quàm a filio patrem Roſcium interfectum. Deinde loca tractat, quod Romæ fuerit interfectus ad balneas palatinas, ubi frequentes erant inimici, qui eius uitæ inſidiabantur, cum interim filius eſſet Ameriæ in rebus ruſticis occupatus.

patus.

patus. Tū etiam à tempore argumentatur, cum fuiſſe interfectum veſperi à cœna redeuntem, cum maxima eſſet gladiatorū impunitas propter Syllanas proſcriptiones, quo tempore filius Romæ non eſſet. Quarto à factis aduerſariorum probat eos auctores cædis fuiſſe, quod Manlius Glaucia decem horis nocturnis ſex & quinquaginta millia ciſijs peruolarit; vt cædem factam Capitoni inimico Roſcij nunciaret; quod interfectum in proſcriptorum numero habendum curarint, quod in Roſcij bona, ac fortunas impetum fecerint. Quinto ab euentis, quod filius domo fuerit eiectus, quod minas & tela inimicorum fugiens, Romam uenerit, & cauſæ ſuæ patronum quæſiuerit, quæ ſigna ſunt hominis probi. Denique tractat etiam totius rei negotijq; naturam; quod non alia de cauſa Roſcius accuſaretur, niſi ut eo condemnato poſſent aduerſarij ſecurè bona illius poſſidere.

In perſonis naturæ primum ſpectantur ualetudinis, figuræ, uirium, ætatis, marium, fæminarum, atque hæc quidem in corpore.

Perſonarum tractatio magnam vim habet in coniecturalibus controuerſijs, ideo diligenter inueſtiganda ſunt ea, quæ in perſonis ſpectantur. Sunt aūt duo, quæ potiſsimū in perſonis conſiderantur, hoc eſt natura & fortuna, ſed natura duplex eſt, altera corporis altera animi, quo fit vt tria ſpectētur in perſonis, corpus, animus, fortuna. In ipſo corpore quinq; potiſsimū ſpectari ſolent, valetudo, figura, vires, ætas, ſexus. Valetudo conſideratur bona, ne, an mala ſit, quoniā veriſimile eſt, qui fuerit infirma valetudine, domo non exijſſe, aut nulla negocia tractaſſe. Cicero tantis pedum doloribus premitur, ut ſe cōueniri nolit. Pro Cluentio, Erat eo tempore infirma valetudine. Figura, vtrum ſit pulcher an deformis, nam pudicitia magis periculoſa eſt in pulchro corpore, quam in deformi. Cicero pro M. Cælio, Nam quod obiectum eſt de pudicitia, quodque omnium accuſatorum non criminibus ſed vocibus celebratum eſt, id nunquam tam acerbè feret M. Cælius, vt eum pœniteat, non deformem eſſe natum. Pro Roſcio Com. à figura Chæreæ duxit argumentum coniecturale, hoc modo; Nonne ab imis vnguibus, vſque ad uerticem ſummum, ſi quam coniecturam afſert hominibus, tacita corporis figura, ex fraude, fallacijs, mendacijs conſtare totus videtur? Vires ideo ſpectantur, quoniam aliter robuſtus, aliter imbecillis ſe gerere ſolet. Cicero pro P. Seſtio, Si gladium paruo puero, aut ſi imbecillo ſeni, aut debili dederis, ipſe impetu ſuo nemini noceat. ſin ad nudū uel fortiſsimi uiri corpus acceſſerit, poſsit acie ipſa, & ferri uirib. uulnerari. Aetas mores maximè uariare ſolet,



Digitized by Google

Libr. 2. Rhet. nam alij puerorum, alij adoleſcentium, alij ſenum mores ſunt, ut Ariſtoteles docet, & Horatius.

*Aetatis cuiuſque notandi ſunt tibi mores.*

In ar. poe. Cicero defendit M. Cælium ab ætate, quod eſſet adoleſcens, ideo illi ignoſcendum, ſi amoribus Clodiæ deditus eſſet. Pro Deiotaro probat ab ætate Deiotarum non ſaltaſſe nudum in conuiuio, vt aduerſarij obijciebant, quod eſſet iam valde ſenex, & nihil vnquam in adoleſcentia tale feciſſet. Sexus conſideratur, quia ſe mares aliter, aliter fœminæ gerunt. mulier enim effrenatior, atque impudentior *viro eſt, vt ait* Ariſtoteles, atque etiam inconſtantior. Cicero pro M. Cælio Clodiæ mores deſcribit, & pro A. Cluentio Saſsiæ. ſunt etiam timidiores fœminę, quam viri, vt pro Milone, Quæ mulier ſceleratum, ac pernicioſum ciuem occidere non auderet, niſi periculum timeret? atque hæc quidem ſunt, quæ in corpore ſpectantur.

Animi autem, aut quemadmodum affecti ſint virtutibus, vitijs, artibus, inertijs; aut quemadmodum commoti cupiditate, metu, uoluptate, modeſtia. atque hæc quidem in natura ſpectantur.

In animo ſpectātur habitus, & perturbationes. Habitus vel boni ſunt, vt virtutes, & artes; vel mali, vt vitia & inertiæ. perturbationes vel futuri temporis ſunt, vt cupiditas, & metus; vel præſentis, vt voluptas, & moleſtia. Hæc ſunt quæ in natura ſpectantur, & magnam dicendi copiam afferunt, exempla paſsim apud Ciceronem, & reliquos bonos auctores occurrunt. Virtutes enim principales quatuor ſunt, fortitudo, iuſtitia, temperantia, prudentia. Fortitudo oſtenditur in perſona, ut pro Milone, Propoſita inuidia, morte, pęna, qui nihilo ſegnius Remp. defendit, is uir uere putandus eſt. & paulo poſt. Viri fortis eſt ne ſupplicijs quidem moueri, ut fortiter feciſſe pęniteat. Iuſtitia, ut pro Roſcio Com. Nonne ut ignis in aquam coniectus continuo reſtinguitur, & refrigeratur, ſic referuens falſum crimen in puriſsimam & caſtiſsimam vitam collatum ſtatim concidit, & extinguitur. quin tota illa oratione Roſcij iuſtitiam, & bonitatem oſtendit. Temperantia, pro Deiotaro, Omnes ſunt in illo regiæ uirtutes, quod te Cæſar ignorare nō arbitror, ſed præcipuè ſingularis, & admirāda frugalitas. Prudentia, pro Milone, Nec uero ſic erat unquam non paratus Milo contra illum, ut non ſatis ferè eſſet paratus, ſemper ille, & quantum intereſſet P. Clodij ſe perire, & quāto illi odio eſſet, & quantum auderet,

Digitized by Google

ret, cogitabat. Ita etiam à vitijs argumentari licet, vt à Clodio factas eſſe inſidias Miloni Cicero probat, quod Clodius improbus & nefarius eſſet, & à talibus vitijs nunquam abhorruiſſet. pro Roſcio Am. ab aduerſariorum vitijs probat innocentem Roſcium accuſari. Artes etiam ſæpe ſpectantur in coniecturis, vt pro M. Cælio coniecturam facit Cicero, Cælium non eſſe luxuriæ deditum, propterea quod artibus ingenuis intentus eſſet. Pro L. Murena probat Aſiæ delicijs Murenam corruptum non fuiſſe, quod arti militari maxime ſtuderet. Inertiæ dicuntur artium ignorantiæ, vt qui dialecticæ artis imperitus eſt, facile à vero abduci poteſt. Qui nullas artes ingenuas nouit, nihil ſcienter adminiſtrare poteſt. Perturbationes etiam animi coniecturam confirmant, vt Cæſar cupiditate regni bellum patriæ inferet. Timidus nunquam ſtatuet Trophæum: voluptati deditus nullam rem magnam aggreditur. Iratus vlciſcẽdi libidine trahitur. Nulla vero eſt animi perturbatio, quæ magis hominem tranſuerſum rapiat, & ad improbitatem impellat, quam cupiditas, atque ideo Cicero vocat, Cæcam & temerariam animi dominatricem.

*In fortuna genus, amicitiæ, liberi, propinqui, affines, opes, honores, poteſtas, diuitiæ, libertas, & ea, quæ ſunt iis contraria.*

Poſt naturæ conſiderationem in perſonis fortuna ſpectatur. numerat autem Cicero decem, quæ fortunæ beneficio videntur hominibus accidere. Primo loco genus ponitur. nam, vt quis claro genere & excelſo loco naſcatur, fortunæ munus eſt. Cicero pro P. Seſtio, Erat enim hominum opinioni nobilitate ipſa blanda conciliatricula commendatus, omnes boni ſemper nobilitati fauemus. Secundo amicitiæ quæ ſæpe nobilitatem ſequi ſolent. nam viri nobiles, & felices amicis abundant, vnde prouerbium illud, Felicium multi cognati. Dicuntur autem homines gratioſi, qui amicis abundant, vt pro P. Quintio, P. Quintius cui tenues opes, nullæ facultates, exiguæ amicorum copiæ ſunt, cum aduerſario gratioſiſsimo contendat. Intelligendum autem eſt de amicitijs vulgaribus, & popularibus, nam vera amicitia non à fortuna, ſed à virtute prouenit, vt in Lælio copioſè docet Cicero. Tertio liberi, nam bona proles, & liberorum multitudo fortuita eſt, videmus enim aliquos copia filiorum abundare, aliquos vero licet cupidiſsimi ſint, nullos tamen habere filios. felix hac in re Q. Metellus, qui eodem tempore tres filios conſulares, vnum etiam cenſorium, duos triumphales, & quartum prætorium vidit, tres filias nuptui dedit, earumq; ſobolem ſinu ſuo excepit. Propinqui quarto loco numerantur.

ſunt autem propinqui eodem ſanguine progeniti, multa vero ope propinquorum fiunt. vt auxilio propinquorum L. Murena per largitionem conſulatū adeptus eſt. Fabij propinquorum multitudine freti bellum ſoli contra Veientes ſuſceperunt. Quinto affines; Sunt autem affines, qui per mulierum matrimonia coniuncti ſunt. & affinitas ea coniunctio dicitur. quæ à mulieribus originem trahit. vt ideo Cæſar cum Pompeio affinitatem iunxit, vt tutius Remp. inuadere poſſet, M. Antonius odio Ciceronem proſequebatur, quod is Lentulum affinem ſuum occidendum curauerat. Sexto opes, vt Sex. *Neuius cum ſe* multum opibus & gratia valere intelligeret, P. *Quintium, cui tenues* erāt opes, iniquo iudicio euertere tentauit. Septimo honores, vt P. Clodius cum præturam peteret, non honoris gradum ſpectabat, vt cæteri, ſed Remp. euertere cupiebat. Octauo poteſtates, vt Chryſogonus autem is, qui plurimum poteſt, potentia pugnat. Item, homo potens, & factioſus inopem circumuenire ſtudet. Nono diuitiæ, quæ ſæpè homines inſolentiores efficiunt, & præcipuè ſi præter ſpem, aut repente eueniunt, vnde nuper ditati ſolent eſſe deteriores, vt docet Ariſtoteles. Decimo libertas, hoc enim etiam à fortuna prouenit, vt quis aut liber, aut ſeruus naſcatur. ſeruus autem ſemper libertatem concupiſcit, vt ſpe libertatis adducti ſerui in Milonem ementiti ſunt.

Li. 2. Rhe.

In locis autem & illa naturalia, maritimi, an remoti à mari, plani an montuoſi, leues an aſperi, ſalubres an peſtilentes, opaci an aprici: & illa fortuita, culti an inculti, celebres an deſerti, coædificati an uaſti, obſcuri an rerum geſtarum ueſtigiis nobilitati, conſecrati an profani.

In locis vel naturalia, vel fortuita ſpectantur. Naturalium quinque differentias ponit, totidem etiam fortuitorum. Naturales differentiæ ſunt hæ, maritimi vt Corinthus, Tarentum; remoti à mari, vt Roma, Capua. Plani per quos equitatus facile decurrere poteſt. qui plerumque etiam leues ſunt, & aſperitate carent, montuoſi qui ſunt peditibus aptiores, & plerūque ſunt etiam aſperi. Salubres vt Croton, vnde prouerbium, Crotone ſalubrius, peſtilentes, vt Ampſancti valles. Opaci vel arborum denſitate, uel quod auerſi ſint à ſole. Aprici ſolibus expoſiti, quaſi ſine frigore dicti. Fortuitorum vero ſunt illæ differentiæ, Culti, ubi multi ſunt aratores, inculti neglecti, ſteriles. Celebres ubi frequens eſt multitudo; deſerti qui à paucis, uel nullis habitantur; Coę

dificati

Digitized by Google

dificati ut urbes, oppida, villæ. Vaſti ubi nulla ſunt ædificiorum ueſtigia, uel ubi multæ ſunt parietinæ, Obſcuri qui à paucis nominantur. Rerum geſtarum ueſtigijs nobilitati, ut Cannæ, Thraſymenus lacus, Trebia, Conſecrati ut Cliuus capitolinus, campus martius. Profani ubi nulla templa ſunt, ac nulla religio. Huc ea pertinent, quæ ad patriæ, uel loci, ubi quis educatus ſit laudem, aut uituperationem tractantur; ut pro Archia poeta, Primum Antiochiæ, nam ibi natus eſt, loco nobili, & celebri quondam vrbe, & copioſa. Huc etiam conſilia imperatorum ſpectant, per quæ loca ducant exercitum, ut Geographiæ cognitio multum prodeſt; uel qua uenturi ſunt hoſtes, ut Macedones interrogabant, an Romani uolare poſſent, ut trans montes in Macedoniam uenirent. Annibal milites ad fortiter præliandum adhortatur, quod nulla pateant effugia, cum Alpibus à tergo, à latere duobus maribus clauſi ſint. Facti etiam controuerſias locus plurimum adiuuat, ut iam ſupra docuimus.

**In temporibus autem præſentia, & præterita, & futura cernuntur, in his ipſis vetuſta, recentia, inſtantia paulo poſt, aut aliquando futura.**

Tempora tripertitò diſtribuuntur in præteritum, præſens, & futurum ſed præteritum duplex eſt, uetuſtum & recens, ita etiam futurum duplex, paulò poſt, & aliquando. præſens uero propriè nullum eſt tempus, niſi momentum, & nunc, ſed tamen populariter præſens tempus dicimus, quod uel paulò ante fuit, aut paulò poſt futurum eſt. itaque dicimus, Nunc uenit, nunc ueniet. Ducuntur autem à tempore plurima argumenta, ſicut iam ſupra docuimns. ut in narratione pro Milone tangit omnia tempora Cicero, præteritum, ut, Videretq; ita tracta eſſe comitianno ſuperiore, ut non multos menſes præturam gerere poſſet. Futurum, ut, Occurrebat mançam, ac debilem præturam ſuam futuram conſule Milone. Præſens, ut, Fit obuiam Clodio ante fundum eius hora ferè undecima, aut non multò ſecus.

**Inſunt etiam in temporibus illa, quæ temporis quaſi naturam notant, vt hyems, ver, æſtas, autumnus, aut anni tempora, vt menſis, vt dies, vt nox, hora, tempeſtas, quæ ſunt naturalia. fortuita autem, ſacrificia, feſti dies, nuptiæ.**



Digitized by Google

In tempore conſiderantur naturalia, & fortuita. Naturalia vt quatuor anni tempora, hyems, ver, æſtas, autumnus. atque hyems, vt Virgilius.

*Quinetiam hyberno moliris ſydere claſſem.*
Libr. 4. Aen. *Et medijs properas aquilonibus ire per altum.*

Ver, vt

*Ver adeo frondi nemorum, ver vtile ſyluis*
*Vere timent terræ, & genitalia ſemina poſcunt.*

l. 2. Geor. Aeſtas vt in Bucolicis,
Solſticium pecori defendite iam venit æſtas,

*Torrida*, Autumnus.

eod. lib. *tibi pampineo grauidus autumno*
*Floret ager, ſpumat plenis vindemia labris*

In coniecturis autem plurimum valet notatio menſis, diei, horæ, tempeſtatis, vt pluuio, aut ſereno cœlo; item ætatum notatio, vt pueritiæ, adoleſcentię, ſenectutis; & eorum temporum, quæ rebus agendis conueniunt, vt meſsis, vindemiæ, arandi, ſerendi. Quin in tempore ſumitur commoditas quædam ad res conficiendas, quam occaſionem vocant, cuius (vt inquit Liuius) opportunitas momento præteruolat, nunquam reditura ea. καιρος græcè dicitur, & eſt, vt ait Socrates, flos temporis, vnde aliquid tempeſtiuè, aut intempeſtiuè, opportunè, aut importunè fieri dicitur. Ea vero, quæ fortuita ſunt, in tempore, vt ſacrificia, dies feſti, nuptiæ, vim eandem habent, hinc totum exordium pro M. Cælio; quod ea cauſa diebus feſtis agitaretur, & pro Milone, Clodium probat tempus obſeruare potuiſſe ad inſidias faciẽdas, quia ſciebat Miloni iter ſolenne, ac legitimum eſſe Lanuuium ad flaminem prodendum.

Iam facta & euentus aut conſilij ſunt, aut imprudentiæ, quæ eſt aut in caſu, aut in quadam animi permotione. caſu cum aliter accidit, ac putatum ſit, permotione, cum aut obliuio, aut error, aut metus, aut aliqua cupiditatis cauſa permouit. eſt etiam in imprudentia neceſsitas ponenda.

In coniecturis facta etiam & euenta ſunt explicanda; vt pro Milone facta Clodij diligentiſsime Cicero perſequitur, vt oſtendat eum inſidiato-

diatorem fuiſſe. Quæ vero facimus, & quæ nobis eueniunt, aut à conſilio, aut ab imprudentia proficiſcuntur. Conſilium animi deliberati eſt, & à diligenti rerum conſideratione naſcitur, vt Clodius cum ſibi Milonem rebus in omnibus aduerſari videret, eius interficiendi conſilium cepit. Pro Roſcio Am. Conſilium, inquit, ceperunt plenum ſceleris, & audaciæ, vt nomen huius de parricidio deferrent. Imprudentia aut à caſu, aut ab animi permotione prouenit. A caſu, vt curator Atys filij regis Cræſi dum aprum cuperet occidere, ipſum Atym interfecit. Miles quidam putans hoſtem necare, fratrem ſuum occidit. *Permotione* animi multa peccantur. vt Alexander iratus Clytum familiarem ſuum trucidauit; Catilina, captus amore Horeſtillæ, filium è medio ſuſtulit. In permotione ſunt obliuio, error, metus, cupiditas. Obliuio, vt Icarus paterni præcepti oblitus in mare decidit. Error, vt Mutius pro rege Porſenna ſcribam obtrūcauit. Metus, vt Demoſthenes abiecto clypeo fugit. Cupiditas, vt dominandi libidine Cæſar coniurauit. Neceſsitas ſub imprudentia ponitur, quoniam interdum ab ea naſcitur, vt Poſthumius per imprudentiam furcas caudinas ingreſſus, cum deinde nullo modo poſſet effugere, neceſſario ſe hoſtibus dedidit.

Rerum autem bonarum & malarum tria ſunt genera, nam aut in animis, aut in corporibus, aut extra eſſe poſſunt. Huius materiæ ad argumentum ſubiectæ perluſtrandæ animo, partes erunt omnes, & ad id, quod agetur ex ſingulis coniectura capienda.

Quia dixerat, in coniecturis conſiderandam eſſe rerum atque negociorum naturam; nunc ait res, aut bonas, aut malas eſſe; eaſq; tribus in generibus conſiſtere, aut in animis vt artes, ſcientiæ, virtutes; aut in corporibus, vt valetudo, robur, pulchritudo; aut extra, vt genus, patria, diuitiæ, poteſtates, de quibus in demonſtratiuo genere plura dicemus. *Hæc autem bona*, vel his contraria mala, perſonis, locis, & temporibus ita annexa ſunt, & cohærent, vt non re ipſa, ſed cogitatione tantum ſeparari poſsint. Hæc eſt veriſimilium *materia*, quam perluſtrare diligenter oportet, vt ex ea facti, vel non facti coniecturam capere poſsimus; ut an Roſcius patrem interfecerit? an L. Flaccus Claſsis nomine ſocios expilarit? an Cn. Pompeius imperator eligi debeat contra Mithridatem? an A. Cluentius pecunia iudices corruperit, ut Opianicum innocentem condemnarent?

Eſt

Eſt etiam genus argumentorum aliud, quod ex facti veſtigiis ſumitur, ut telum, cruor, clamor editus, titubatio, permutatio coloris, oratio inconſtans, tremor, & eorum aliquid, quod ſenſu percipi poſſit, etiam ſi præparatum aliquid, ſi communicatum cum aliquo, ſi poſtea uiſum, auditum, indicatum.

De verſimilibus hactenus tractauit, nunc ad ſigna tranſit. Eſt autem inter uериſimile, & ſignum ea differentia, quòd ueriſimile refertur ad intelligentiam & opinionem, & generalia comprehendit; ſignum autem ad ſenſum pertinet, & ſingularia reſpicit. ideo Cicero vocat aliud argumentorum genus. Hæc autem ſigna ſunt quaſi facti ueſtigia. quorum nonnulla exempla Cicero ponit, VT TELVM) nam ſiquis in ſuſpicionem cædis ueniret, & eius telum deprehenſum fuerit, aut in uulnere, aut ubi cædes facta eſt, ualebit hoc plurimum ad facti probationem. idem ualebit etiam ſiquid aliud repertum fuerit, ut pallium, pileus, chirotheca. hinc illa pixis ueneni pro Cælio; VT CRVOR) ideſt effuſus ſanguis, ſi cruentus enſis, aut ueſtis, aut manus repertæ fuerint. hinc exemplum illud Ciceronis, de illo, cui gladius cruentus repertus fuit; & pro Roſcio Am. Non modò ut exoptatum inimico nũcium primus afferret, ſed etiam cruorẽ inimici quàm recentiſsimum, teluḿq; paulo ante è corpore extractum oſtenderet. Clamor EDITVS) ut ſiquis clamorem eius, qui interficeretur, audiuiſſe dicat, aut minas eius qui interfeciſſe dicitur. TITVBATIO) ut ſi non conſtanter locutus fuerit, ſed in dicendo uacillarit, aut fugam & latebras quæſierit, quæ conſcientia ſigna ſunt. PERMVTATIO COLORIS) quæ à timore plerunque naſcitur, & à mala cõſcientia. unde prouerbium, Mali uertitur color. pro A. Cluentio, Timor eius, perturbatio, ſuſpenſus incertuſq; uultus, crebra coloris mutatio, quæ erant antea ſuſpicioſa, hæc aperta, ac manifeſta faciebant. ORATIO INCONSTANS) cum excuſandi facti gratia modò hoc, modò illud dicitur, nam mendacium eſt multiforme, quod ait Ariſtoteles, ueritatis ſimplex eſt oratio. TREMOR) a timore plerunque naſcitur, neque ferè quiſquam in iudicio timet, niſi ſibi conſcius ſit. Denique ſenſus omnes poſſunt afferre facti ſuſpicionem, ſed duo præcipuè uiſus, & auditus. atque etiam multo magis uiſus, unde prouerbium, Oculis magis adhibenda fides quàm auribus; & Oculatus teſtis plus unus ualet, quam auriti decem. SI PRÆPARATVM

Lib. 2. de Inu.

Digitized by Google

RATVM ALIQVID ) ut Cethegus multam uim telorum & malleolorum ad inuadendam & incendendam urbem præparauerat; & P. Clodius ſeruos agreſtes, & barbaros contra Milonem ex Apenino deduxerat. SI COMMVNICATVM CVM ALIQVO ) ut M. Curius coniurationem Catilinæ cum Fuluia amica ſua communicauit, illa vero Ciceroni patefecit; Et Clodius Fauonio dixit Milonem triduò periturum. SI POSTEA VISVM, AVDITVM, INDICATVM ) Hæc ſunt, quæ geſtum negocium conſequuntur: ut ſiquis fugentem uiderit, aut alicui narrantem audiuerit, aut literis, aut tormentis fuerit indicatum. hoc modo Vindicius ſeruus cum uidiſſet Tarquinij legatos, cum Vitellijs & Bruti filijs colloquentes, & eorum conſilia ſubauſcultaſſet, M. Valerio detulit, qui poſtea literis deprehenſis, totum factum indicauit.

Veriſimilia autem partìm ſingula mouent ſuo pondere, partìm etiam ſi videntur exigua per ſe, multùm tamen, cum ſunt coaceruata, proficiunt.

Argumenta ueriſimilia ſunt alijs alia firmiora, nam aliqua etiam ſi ſingula ponantur, tamen ſuo pondere multùm valent: aliqua vero per ſe poſita parùm poſſunt, ſed ſi coniungantur, & coaceruentur, nõ mediocriter cauſam adiuuant; hoc eſt, quod præcipit Quintilianus, cum ait firmiſsimis argumentorum ſingulis inſtandum eſſe, infirmiora vero eſſe congreganda. Quod Cicero pro Roſcio Am. facit eo in loco, Quid ſi vt auarus, quid ſi vt audax? quid ſi vt illius, qui occiſus eſt, inimiciſsimus? num quærenda cauſa eſt, quæ te ad tantum facinus adduxerit? Nam hæc ſingula per ſe ſunt exigua, ita coaceruata coniecturam augent. Et in eadem oratione pro defenſione Roſcij ſic ait, Hęc cum ſint omnia, tamen extent oportet, expreſſa ſceleris veſtigia, vbi qua ratione, per quos, quo tempore maleficium ſit admiſſum, quæ niſi multa & manifeſta ſunt, profectò res tàm ſceleſta, tàm atrox, tàm nefaria credi non poteſt. Pro M. Cælio. Non cauſa, non locus, non facultas, non conſcius, non perficiendi, non occultandi maleficij ſpes, non ratio vlla, non veſtigium maximi facinoris reperietur.

Atque in his veriſimilibus, inſunt nonnunquam etiam certæ rerum, & propriæ notæ.

In facti veſtigijs interdum etiam propriæ rerum notæ cernuntur, quę neceſſariò cõcludũt; vt cicatrix propria eſt vulneris nota; & lac con-

Eſt etiam genus argumentorum aliud, quod ex facti veſtigiis ſumitur, ut telum, cruor, clamor editus, titubatio, permutatio coloris, oratio inconſtans, tremor, & eorum aliquid, quod ſenſu percipi poſſit, etiam ſi præparatum aliquid, ſi communicatum cum aliquo, ſi poſtea uiſum, auditum, indicatum.

De verſimilibus hactenus tractauit, nunc ad ſigna tranſit. Eſt autem inter ueriſimile, & ſignum ea differentia, quòd ueriſimile refertur ad intelligentiam & opinionem, & generalia comprehendit; ſignum autem ad ſenſum pertinet, & ſingularia reſpicit. ideo Cicero vocat aliud argumentorum genus. Hæc autem ſigna ſunt quaſi facti ueſtigia. quorum nonnulla exempla Cicero ponit, VT TELVM) nam ſi quis in ſuſpicionem cædis ueniret, & eius telum deprehenſum fuerit, aut in uulnere, aut ubi cædes facta eſt, ualebit hoc plurimum ad facti probationem. idem ualebit etiam ſiquid aliud repertum fuerit, ut pallium, pileus, chirotheca. hinc illa pixis ueneni pro Cælio; VT CRVOR) ideſt effuſus ſanguis, ſi cruentus enſis, aut ueſtis, aut manus repertæ fuerint. hinc exemplum illud Ciceronis, de illo, cui gladius cruentus repertus fuit; & pro Roſcio Am. Non modò ut exoptatum inimico nūcium primus afferret, ſed etiam cruorē inimici quàm recentiſsimum, teſumq; paulo ante è corpore extractum oſtenderet. Clamor EDITVS) ut ſiquis clamorem eius, qui interficeretur, audiuiſſe dicat, aut minas eius qui interfeciſſe dicitur. TITVBATIO) ut ſi non conſtanter locutus fuerit, ſed in dicendo uacillarit, aut fugam & latebras quæſierit, quæ conſcientia ſigna ſunt. PERMVTATIO COLORIS) quæ à timore plerunque naſcitur, & à mala cōſcientia. unde prouerbium, Mali uertitur color. pro A. Cluentio, Timor eius, perturbatio, ſuſpenſus incertusq; uultus, crebra coloris mutatio, quæ erant antea ſuſpicioſa, hæc aperta, ac manifeſta faciebant. ORATIO INCONSTANS) cum excuſandi facti gratia modò hoc, modò illud dicitur, nam mendacium eſt multiforme, quod ait Ariſtoteles, ueritatis ſimplex eſt oratio. TREMOR) a timore plerunque naſcitur, neque ferè quiſquam in iudicio timet, niſi ſibi conſcius ſit. Denique ſenſus omnes poſſunt afferre facti ſuſpicionem, ſed duo præcipuè uiſus, & auditus. atque etiam multo magis uiſus, unde prouerbium, Oculis magis adhibenda fides quàm auribus; & Oculatus teſtis plus unus ualet, quam auriti decem. SI PRÆPA-

Lib. 2. de Inu.

RATVM

RATVM ALIQVID ) ut Cethegus multam uim telorum & malleolorum ad inuadendam & incendendam urbem præparauerat; & P. Clodius ſeruos agreſtes, & barbaros contra Milonem ex Apenino deduxerat. SI COMMVNICATVM CVM ALIQVO ) ut M. Curius coniurationem Catilinæ cum Fuluia amica ſua communicauit, illa vero Ciceroni patefecit; Et Clodius Fauonio dixit Milonem triduò periturum. SI POSTEA VISVM, AVDITVM, INDICATVM ) Hæc ſunt, quæ geſtum negocium conſequuntur: ut ſiquis fugentem uiderit, aut alicui narrantem audiuerit, aut literis, aut tormentis fuerit indicatum. hoc modo Vindicius ſeruus cum uidiſſet Tarquinij legatos, cum Vitellijs & Bruti filijs colloquentes, & eorum conſilia ſubauſcultaſſet, M. Valerio detulit, qui poſtea literis deprehenſis, totum factum indicauit.

Veriſimilia autem partìm ſingula mouent ſuo pondere, partìm etiam ſi videntur exigua per ſe, multùm tamen, cum ſunt coaceruata, proficiunt.

Argumenta ueriſimilia ſunt alijs alia firmiora, nam aliqua etiam ſi ſingula ponantur, tamen ſuo pondere multùm valent: aliqua vero per ſe poſita parùm poſſunt, ſed ſi coniungantur, & coaceruentur, nō mediocriter cauſam adiuuant; hoc eſt, quod præcipit Quintilianus, cum ait firmiſsimis argumentorum ſingulis inſtandum eſſe, infirmiora vero eſſe congreganda. Quod Cicero pro Roſcio Am. facit eo in loco, Quid ſi vt auarus, quid ſi vt audax? quid ſi vt illius, qui occiſus eſt, inimiciſsimus? num quærenda cauſa eſt, quæ te ad tantum facinus adduxerit? Nam hæc ſingula per ſe ſunt exigua, ita coaceruata coniecturam augent. Et in eadem oratione pro defenſione Roſcij ſic ait, Hęc cum ſint omnia, tamen extent oportet, expreſſa ſceleris veſtigia, vbi qua ratione, per quos, quo tempore maleficium ſit admiſſum, quæ niſi multa & manifeſta ſunt, profectò res tàm ſceleſta, tàm atrox, tàm nefaria credi non poteſt. Pro M. Cælio. Non cauſa, non locus, non facultas, non conſcius, non perficiendi, non occultandi maleficij ſpes, non ratio vlla, non veſtigium maximi facinoris reperietur.

Atque in his veriſimilibus, inſunt nonnunquam etiam certæ rerum, & propriæ notæ.

In facti veſtigijs interdum etiam propriæ rerum notæ cernuntur, quę neceſſariò cōcludūt; vt cicatrix propria eſt vulneris nota; & lac con-

cepti fœtus. Verũ de certis notis Cicero pauca loquitur, quoniã nemo de illis dubitat, quæ neceſſaria eſſe intelligit. Et Quintilian. ea putat vix ad artem pertinere, nam admodum pauca ſunt huiuſmodi ſigna, quæ neceſſaria ſunt, vt ait Ariſtoteles, ideo Cicero dicit nonunquam in veriſimilibus inueniri, non autem ſæpe.

1. Rheto.

**Maximam autem facit fidem ad ſimilitudinem veri primum exemplum, deinde introducta rei ſimilitudo, fabula etiam nonnunquam, & ſi ſit incredibilis, tamen homines commouet.**

Tria tangit hoc loco Cicero, quæ maximam fidem faciunt ad veriſimilitudinem, exemplum, ſimilitudinem, fabulam. Exemplum Ariſtoteles ait, inductionem eſſe rhetoricam, quoniam eo frequenter rhetores vtuntur, & plurimùm valet ad ea probanda, quæ dubia, vt Cicero, Cum aduerſarij Milonis dixiſſent, intueri lucem nefas eſſe illi, qui à ſe hominẽ occiſum fateretur, probat id eſſe falſum multis exemplis, vt Horatij, qui ſororem interfecit, & tamen fuit abſolutus, vt Halæ, qui Sp. Melium, Naſicæ, qui Tib. Gracchum, Marij, qui Saturninum occidit. Ita ſi quis dicat non credendum Annibali, quia ſit perfidus, hoc faciet fidem, ſi proferantur exempla, quibus in rebus Annibal fidem non ſeruauerit. Cicero probat M. Antonium non fuiſſe Romæ veniam ſuis inimicis daturum, cum Brunduſij in conſpectu vxoris centuriones occiderit. Hoc genere frequenter vtitur in Verrem, vt, cum ſcelera cõmemorat, quæ Verres Romæ perpetrarat, deinde monet Iudices, vt ex eis coniecturam faciant, quid apud exteras nationes, cum iudicia non timeret facere ſolitus ſit. Nam in coniecturis ab antè acta vita, ſumuntur exempla, ad id probandum, de quo eſt cõtrouerſia: ut Cicero probat Clodium fuiſſe inſidiatorem, exempla multa commemorans earum rerum, quæ nefariè ſceleſteq; iam anteà commiſerat. Neque tantùm in coniecturis ualent exempla, ſed etiam in alijs controuerſiarum generibus, ut Lucanus cum probare uellet, inter ſocios regni nullam eſſe fidem, exemplo Romuli Remiq; vtitur, ſic enim ait.

Pro Mil.

*Nulla fides regni ſocijs, omniſq; poteſtas*
*Impatiens conſortis erit, nec gentibus vllis*
*Credite, nec longè factorum exempla petantur.*
*Fraterno primi maduerunt ſanguine muri.*

Pro A. Cl. *Similitudo* etiam plurimùm coniecturas adiuuat, vt cùm probare uelit Cicero Stalenum in iudicio pecunia corruptum, quoniam etiam

bien-

Digitized by Google

biennio antè pecunias pro re iudicanda ceperat. Iam, inquit, hoc igno ratis, Iudices, ut etiam beſtiæ fame dominãte plerumq; ad eũ locum, ubi paſtæ ſunt, aliquando reuertantur? Sed de ſimilitudine iam ſupra diximus, cum de ſedibus argumentorum uerba faceremus. FABVLA ) quamuis res incredibiles continet, tamen ſæpè animos commouet, præcipuè ruſticorum, qui capti uoluptate, facilè ijs, quibus delectantur, cõſentiunt. Quintilianus ait Heſiodum auctorem fabularum fuiſſe, ſed Aeſopicas dici, quoniam Aeſopus eas excoluerit. Eſt autem fabula, ſicut eam definit Aphthonius, ſermo falſus, qui ueritatem quodammodo repræſentet, ut apud Horatium fabula muris ruſtici, & urbani, docet melius eſſe in paupertate liberum, & ſecurum uiuere, quàm in diuitijs anxium & ſolicitum. Quomodo autem oratori fabulis uti liceat, optimè Cicero docuit, ut ait Quintilianus, cum ita argumentatur, Itaque hoc Iudices, non ſine cauſa fictis fabulis doctiſſimi homines memoriæ prodiderunt, eum, qui patris ulciſcendi cauſa matrem necauiſſet, uariatis hominum ſententijs, non ſolum diuina, ſed etiam deæ ſapientiſsimæ ſententia liberatum. Menenius Agrippa plebem cum patribus in gratiam traditur reduxiſſe, nota illa de membris humanis aduerſus uentrem diſcordantibus, fabula. Pro Mil.

C. F. Quid definitionis, quæ ratio eſt, & quæ via? C. P. Non dubium eſt id quidem, quin definitio genere declaretur, & proprietate quadam, aut etiam communium frequentia, ex quibus proprium, quid ſit eluceat.

Secunda quæſtio quærit, quid ſit res, ideo definitione eſt explicanda & definitiua conſtitutio, uel definitiuus ſtatus appellatur. Nam definitio id, quod quaſi inuolutum eſt, euoluit; & propriè conſtat ex genere & differentia, ut animal eſt corpus animatum, ſenſus particeps, ſed quia rariſsimæ ſunt illæ uerę differentię, idcirco ad proprietatem & ad communia accidentia confugiendum eſt. Hac de cauſa Cicero differentiam non nominat, quę oratori, copiam quærenti, parum utilis eſt, duobus uero modis oſtendit, oratoriam definitionem fieri poſſe, proprietate, & communium frequentia. Proprietas eſt, quę rei alicui ſoli conuenit ita, ut eam ab alijs omnibus ſecernat; ut, Iuſti hominis eſt nemini nocere, ſuum cuique tribuere: Prudentis uerò nihil temerè agere, bonorum ac malorum delectum habere; finem cuiusque facti conſiderare. Huius generis definitiones quę fiunt ex genere, & proprietate, plurimę reperiuntur, ut homo eſt animal doctrinę capax.

Perduellio eſt crimen, quo populi dignitas imminuitur. Ita proprium eſt Grāmatici officium emendatè loqui; Rhetoris, politè dicere; Dialectici, acutè diſſerere; Phyſici, rerum cauſas explicare. Quod ſi proprium reperire non poſſumus, communium frequentiam coniungemus, ex quibus proprium elucere poterit, ut Cicero. Voluptatem hanc eſſe ſentiunt omnes, quam ſenſus accipiens mouetur, & iucunditate quadam perfunditur, & paulò poſt. Omnes iucundum motum, quo ſenſus hilarentur, græcè ἡδονὴν latinè uoluptatem uocant. Idem in Topicis, Hęreditas eſt pecunia, quę morte alicuius ad quempiam peruenit iure; nec ea aut teſtamēto legata, aut poſſeſsione retenta. Pro Milone, Populi grati eſt, prę mijs afficere benemeritos de Rep. ciues; uiri fortis, ne ſupplicijs quidem moueri, ut fortiter feciſſe pœniteat.

2. Definit.

Sed quoniam de proprijs oritur plerumq́. magna diſſenſio: definiendum eſt ſæpè ex contrarijs, ſæpè etiam diſſimilibus, ſæpè ex paribus.

Accidit ſæpenumerò, ut de proprietate rei cōtrouerſia naſcatur, quod aliud alij proprium eſſe uideatur, ut aliquis dicet proprium Oratoris benè argumentari, ſed alius non Oratoris hoc eſſe proprium, ſed Dialectici contendet. & pro A. Cæcinia, cum dixiſſet Ebucius uim Cæcinę nō eſſe factam, quoniam tunc propriè uis fieri dicitur, cum aliquis aut interficitur, aut ſauciatur; at contra, inquit Cicero uim eſſe propriè, quæ periculo mortis iniecto, formidine animum præteritum loco, & certo de ſtatu dimouet. Cum igitur accidit, ut de proprijs oriatur diſſenſio, tunc ad contraria, ad diſsimilia, ad paria confugiendum eſt; ut in eadem oratione pro Cæcina, Nec æquitati, inquit, quicquam tàm infeſtum eſt, quàm conuocati homines, & armati. & alibi, Quæ uis in bello appellatur, ea in ocio non appellabitur? & quod uehemens in re militari putatur, id leue in iure ciuili iudicabitur? Quin etiam à diſsimilibus ipſam definit, cum docet aliam vim intelligendam eſſe in bello, aliam cum de iure, & legitimis hominum controuerſijs loquimur. &, A paribus, vt, ſicuti C. Piſoni vis fieret, ſi in domum ſuam ingredi prohiberetur, ita Cæcinæ facta vis eſt ab Ebucio, cum in fundum ingredi prohibitus eſt. Hæc & alia multa quærit in ea cauſa Cicero, quoniam de proprio controuerſia erat, cum eſſet definiendum, quid propriè ſit, vim facere. Igitur ex contrarijs interdum definitiones ſumuntur, vt pro P. Seſtio, Optimates ſunt, qui neque nocentes ſunt, nec natura improbi, nec furioſi, nec malis domeſticis impediti. Philip. 8. Etenim cum inter bellum, & pacem mediū nihil ſit, neceſſe eſt tumultum, ſi belli non ſit, pacis eſſe. quo quid abſurdius dici aut

exiſti-

exiſtimari poteſt. Et quoniam definitio eſt de eodem & altero, ut in Topicis ait Cicero, ideo ex diſsimilibus aliquando conficitur. ut, aliud eſt maledicere, aliud accuſare; accuſatio crimen deſiderat, rem ut definiat, hominem ut notet, argumẽto probet, teſte confirmet. Maledictio autem nihil habet propoſiti, prǽter cõtumeliam. Item, Non eſt idem rex, qui tyrannus, quoniam tyrannus iniuſtitia, & crudelitate in ſubiectos utitur, & proprijs tãtùm commodis ſtudet; rex autem iuſtè, & legitimè tãtum imperat. Aliud eſt iudicium, aliud arbitrium; iudicícium eſt pecuniæ certæ, arbitrium incertę. pro Roſcio Com. *Ex paribus* ita definire licet, Idem eſt continentia in rebus noſtris, quod abſtinẽtia in alienis. Idẽ eſt mens in animo, quod oculus in corpore. Idẽ eſt in arboribus, & plantis radix, quod in animalibus eſt os.

Quamobrem deſcriptiones quoq́ue ſunt in hoc genere ſæpè aptæ, & enumeratio conſequentium: in primis commouet explicatio vocabuli, ac nominis.

Tria ponit hoc loco, quæ plurimum valent in definitiuis controuerſijs, hoc eſt, deſcriptionem, enumerationem conſequentium, & explicationem vocabuli. Deſcriptionem intelligimus, quæ fit ex accidentium congerie, cum ea, quæ perſonis, & negocijs attributa ſunt, fuſius explicantur, qualis eſt illa; Dici in hac cauſa poteſt, vbi arma fuerint, vbi coacta hominum multitudo, vbi inſtructi, & certis locis cum ferro homines collocati, vbi minæ, pericula, terroresq́; mortis, ibi vim non fuiſſe? Eſt in oratione pro M. Cęlio pulcherrima deſcriptio, qua Catilinæ mores ita ſcienter exprimuntur, vt nullus pictor corporis effigiem melius exprimere potuiſſet. Apud Poetas frequentes ſunt, & pulchræ deſcriptiones, vt ſupra docuimus. ENVMERATIO CONSEQVENTIVM,) multum definitionem adiuuat, vt octaua Philippica, probat à conſequentium enumeratione, bellum eſſe cum Antonio, quod Brutus oppugnaretur, quod Mutina obſideretur, quod Gallia vaſtaretur, quod tota Italia, delectus haberetur. Hæc enim ſuſceptum bellum conſequi ſolent. Ita pro A. Cæcina, Omnis enim *vis eſt*, quæ periculo aut decedere nos alicunde cogit, aut prohibet accedere. Sed in primis, inquit Cicero, commouet explicatio vocabuli, ac nominis: quoniam hęc tota controuerſia definitiua videtur à vocabuli explicatione pendere; vt cum quæritur, quid ſit ſacrilegium, quid ſit minuere maieſtatẽ, quid ſit deijcere. Pro Cæcina: in hac enim tantum de nomine facti quæritur, vtitur hoc genere Philip. 8. Quid enim tu- Pro A. Cæ.

multus,

multus, niſi perturbatio tanta, vt timor maior oriatur, vnde etiam nomen ductum eſt tumultus. Pro Cor. Balbo, irridet aduerſarij interpretationem, Erat, inquit, accuſatoris interpretatio indigna reſponſione, qui ita dicebat comiter eſſe communiter, quaſi vero priſcum aliquod aut inſolitum verbum interpretaretur. Comes, benigni, faciles, ſuaues homines eſſe dicuntur. Notandum eſt hoc loco Ciceronem octo definiendi ſpecies ponere, quarum prima eſt ex genere, & proprietate, altera ex communium frequentia, tertia ex contrarijs, quarta ex diſsimilibus, quinta ex paribus, ſexta, quæ deſcriptio vocatur, ſeptima enumeratio conſequentium, octaua, nominis *explicatio.*

Lib.7. inſtit.

C. F. ſunt expoſita iam ferè ea, quæ de facto, quæque de facti appellatione quæruntur, nempe igitur ea reſtant, quæ, cum factum conſtet, & nomen, qualia ſint vocantur in dubium. C. P. eſt ita ut dicis.

Duæ quæſtiones iam abſolutę ſunt, coniecturalis, in qua de facto quęritur, & definitiua, in qua de facti appellatione controuerſia eſt. Sequitur, vt etiam de tertia quæſtione verba faciamus, nam cum de facto conſtat, & de nomine facti, tunc reſtat, vt quale factum ſit, quæratur. Hanc quæſtionem Cornificius iuridicialem vocat, Cicero rationem, & qualitatem appellat, Hermogenes ποιότητα vocat. atq; eam ita diſtribuit, vt vel in re controuerſiam habeat, vel in verbo. Cum autem in verbo controuerſia eſt, legitima, inquit, conſtitutio vocatur; cum in re, dicitur rationalis, quæ itidem duplex eſt, aut enim de futuro eſt, & dicitur πραγματικὴ hoc eſt negocialis, quæ deliberationem habet, aut eſt de præterito, & δικαιολογία dicitur, de qua hoc loco ſentit Cicero, & de qua multa Quintilianus.

C. F. Quæ ſunt igitur in eo genere partes? C. P. aut iure factum depellitur, aut ulciſcendi doloris gratia, aut pietatis, aut pudicitiæ, aut religionis, aut patriæ nomine, aut deniq́ue neceſsitate, inſcitia, caſu.

Diſtinguit eas quæſtiones, quæ in facti qualitate verſantur, nam duæ qualitatis partes à rhetoribus traduntur, altera dicitur abſoluta, altera aſſumptiua. Abſoluta eſt, cum iure factum depellitur, id quatuor modis potiſsimum fieri poteſt, vel lege, vel conſuetudine, vel quia nulla ſit prohibitio, uel quia concedatur ab omnibus. Lege, ut ſi quis accuſetur, quod nomen ſibi mutauerit; Diocletiani, & Maximiani lege ſe defen-

Digitized by Google

defendet, qua conceditur liberis hominibus, ut nomen ſibi mutare poſsint, modo ne id fraudis gratia faciant. Aut ſiquis nocturnum furem interfecerit, lege duodecim tabularum abſoluetur. Eodem modo ſiquis adulterũ, exulẽ, proditorẽ, occiderit. Cõſuetudine, ut ſi quis accuſetur, quod laruam ſiue perſonam in Bacchanalibus ſumpſerit; quæ conſuetudines etiam regionum ſunt, ut in Germania inebriari, mulieres deoſculari in Gallia. Quod nulla prohibitio ſit, defenditur, ut ſi quis accuſetur, quod in foro ſaltauerit, aut quod nudus per urbem inceſſerit. Quod concedatur ab omnibus, vt ſumptuoſis vti veſtibus, conuiuia celebrare, vel contra, ſordidatum ingredi, rebus ſuis parcere. nam hæc omnia tanquam iure facta depelluntur. Aſſumptiua eſt, cum aliqua cauſa ad factum defendendum extrinſecus aſſumitur, vt VLCISCENDI DOLORIS GRATIA) quæ tranſlatio criminis dicitur, vt Horatius interfecta ſorore, crimen in eam transfert, quòd ea ſponſum mortuum lugeret, vt Oreſtes in matrem, quod Agamennonem occidiſſet. AVT PIETATIS) vt ſi parentes, fratres, propinquos defendens, cædem fecerit, vt ſiquis Manlium Torquatum accuſet, quòd Pomponio Tribuno pl. mortem minatus fuerit; quòd ab eo pater ſuus fuiſſet accuſatus; AVT PVDICITIÆ) vt ſi quis Virginium in ius vocaret, quòd filiam ſuam occidiſſet, ne Appij Claudij libidini dederetur; Aut Pontium Aufidianum, qui ſeruum & filiam ſuam à ſeruo violatam interemit, Aut Cælium Plocium, quòd Tribunum militum Cluſiũ C. Marij affinem, quia ſe de ſtupro compellare auſus fuerat, interfecit. AVT RELIGIONIS) vt ſi quis ſacrilegum occiderit, Aut ſi accuſetur Tarquinius, quod M. Tullium Diuinorum, culeo inſutum, in mare abijci iuſſerit; quod ſacrum librum Petronio Sabino deſcribendum dederit AVT PATRIÆ NOMINE) vt ſi Brutus vocetur in iudicium, quod filios ſuos, proditionem patriæ molientes, occiderit; aut Cicero defendat à ſe damnatos Lentulum, Cethegum, & alios, vt patriam liberaret. Hæc adiungitur etiam illa, quæ remotio criminis vocatur, cũ quis iuſſu maioris poteſtatis ſe feciſſe dicit, vt Seruilius Hala iuſſu Cincinnati Dictatoris Sp. Meliũ interemit. AVT DENIQVE NECESSITATE) vt Mancinus neceſsitate compulſus cum Numantinis inducias fecit. Milo Clodium ne ab eo necaretur, occidit. Torrente aliquis impeditus ad diem venire non potuit, INSCITIA) vt Titinius Centurio ducem ſuum pro hoſte interfecit. Populus Romanus C. Eluium Cinnam Tribunum pl. pro Cornelio Cinna diſcerpſit. Quidam putans ſeruum ſuum verberare, ciuem percuſsit. CASV) vt ſiquis, in ſcopum iaculans, prætereuntem hominem occidat; aut ignem gerens domum incendat. Hæc enim omnia quamuis facta eſſe concedantur, tamen aliquam facti defenſionem habent, & purgari quodammodo poſſunt.

Nam

Nam quæ motu animi, & perturbatione facta ſine ratione ſunt, ea defenſionem contra crimen in legitimis iudiciis non habent, in liberis diſceptationibus habere poſſunt.

Cum aliquis ſe peccaſſe fatetur, & id dedita opera feciſſe, neque peccati ſui rationem vllam afferre poteſt, niſi motum *animi* & perturbationem, à legitimis iudicibus abſolui non poteſt; à *populo tamen libe*ro, & à principe facilè poteſt. Hæc autem deprecatio dicitur, *qua reus* fatetur ſe cõſultò peccaſſe, & tamen veniam petit, qua Cicero pro *Li*gario vtitur, quoniam apud Cæſarem ipſum totius Reip. principem cauſam agebat. Cauſas, inquit, Cæſar egi multas, & quidem tecum, dum te in foro tenuit ratio honorum tuorũ, certè nunquam hoc modo; ignoſcite, Iudices, errauit, lapſus eſt, non putauit, ſi vnquam poſthac, ad parentẽ ſic agi ſolet, ad Iudices, Non fecit, nõ cogitauit, falſi teſtes, fictum crimen, & paulò poſt, Ego ad parentem loquor, erraui, temere feci, pœnitet, ad clementiam tuam confugio, delicti veniam *pe*to, vt ignoſcas oro. Multa vero peccata motu animi, & perturbatione committuntur, vt Alexander ira percitus ſine ratione Clytum familiarem ſuum interfecit. Catilina, captus amore Horeſtillæ, filium proprium occidit, vt eam vxorem haberet. Centauri (vt eſt in fabulis) ebrij rapere Hippodamiam conati ſunt. Hæc & huius generis cætera, defendi in iudicio legitimo non poſſunt. Sed in liberis diſceptationibus, vt apud Populum, apud Regem, aut Imperatorem defenſionem habere poſſunt, præſertim ſi pro eo dicamus, cuius in Remp. multa extent beneficia.

Hoc in genere, in quo quale ſit, quæritur, ex controuerſia iure, & rectè ne actum ſit, quæri ſolet, quorum diſputatio ex locorum deſcriptione ſumenda eſt.

Duo ſunt, quæ in hoc genere qualitatis quæri ſolent, iure, & rectè ne actum ſit. cum enim in iuridiciali conſtitutione factum concedatur, primò poteſt eſſe controuerſia an iure factum ſit, hoc eſt ſecundum leges; vt, pro Milone Cicero probat legibus eſſe conceſſum, vt vim vi repellamus, & ait gladium ad interficiendũm hominem ab ipſis aliquando porrigi legibus. Deinde quæri poteſt, rectè ne factum ſit? hoc eſt ex æquo & bono, vt pro P. Quintio, Cicero Næuium inſectatur,

Digitized by Google

ſtatur, quòd non ex æquo & bono Quintij bona inuaſiſſet. Sed horum (inquit Cicero) diſputatio ex locorum deſcriptione ſumenda eſt. Debemus autem communes locos intelligere, in quibus de iure & de æquitate diſputamus, vt pro L. Murena probat, licere populo gratificari, & magna in eum vti liberalitate. pro Milone multis rationibus oſtendit, licere inſidiatorem interficere. pro C. Rabirio probat contra ſeditioſum hominem Saturninum, iuſtè arma ſumpta fuiſſe, quoniam is Remp. perturbaret. His quidam addunt comparationem, cum reus oſtendit multò melius fuiſſe id facere, quod ipſe fecit, quàm quod aduerſarij dicunt fieri oportuiſſe, vt C. Pompilius cum a Gallis obſideretur, cum eis ita conuenit, vt impedimenta relinqueret, exercitum educeret, ſatius eſſe duxit amittere impedimenta, quàm exercitum. Quæ comparatio nonnunquam fit, vt inconueniens oſtendatur, vt ſatius fuit Miloni dare iugulum Clodio, quam à iudicibus condemnari.

C. F. Age ſis ergo, quoniam in confirmationem & reprehenſionem diuiſeras orationis fidem, & dictum de altero eſt, expone nunc de reprehendendo.

Tertia pars orationis probatio vel fides dicitur, quæ confirmationem & reprehenſionem continet; ſed iam de confirmatione ſatis multa dicta ſunt; ſequitur igitur vt etiam de reprehenſione dicamus. Hæc autem multis nominibus appellatur, nam & reprehenſio, & refutatio, & confutatio nominatur, atque ita definitur; Refutatio eſt oratio, per quam argumentando aduerſariorum confirmatio aut diluitur, aut infirmatur, aut eleuatur. Eget autem hæc pars magno acumine & eloquentia, præſertim in defenſionibus, quoniam accuſator vulnera facit, defenſor eis medetur: ſed longè difficilius eſt ſanare vulnera, quam facere: quod ait Quintilianus, ita difficilius eſt obiecta crimina diluere, quam accuſare. M. Antonius hac potiſsimum laude præſtitit, quod aduerſarios acutiſsime refelleret.

C. P. Aut totum eſt negandum, quod in argumentatione aduerſarius ſumpſerit, ſi fictum, aut falſum eſſe poſſis dicere, aut redarguenda ea, quæ pro veriſimilibus ſumpta ſunt.



Digitized by Google

Multi ſunt modi reprehendendi, ſed ille omnium firmiſsimus, ſi totum negari poteſt. vt pro Cluentio, cum aduerſarius dixiſſet, quendam epoto poculo ſtatim concidiſſe, Cicero negat eo die mortuum eſſe. Pro Deiotaro, cum aduerſarius dixiſſet Deiotarum ebrium in conuiuio ſaltaſſe, totum negat Cicero, & hoc a Deiotari moribus abhorrere docet. Totum autem facilè reprehenditur, ſi poſſumus oſtendere fictum, aut falſum eſſe. Fictum dicitur, quod eſt commentitium, & à malitia plerumq; proficiſcitur, falſum autem, quod non eſt verum, & ab errore ſæpè naſcitur. Fictum oſtendit Cicero *parricidij* crimen pro Roſcio Am. quo facilius *aduerſarij, damnato Roſcio*, poſſent bona eius diripere. Hoc conſilio, inquit, atque adeò *hac dementia* impulſi, quem ipſi cum cuperent, non potuerunt occidere, eum iugulandum vobis tradiderunt. Pro P. Quintio multis argumentis probat fictum crimen a Sex. Næuio, neque quicquam ei debuiſſe Quintium. Pro Milone fictos rumores enumerat, qui deinde falſi reperti ſunt, vt Milonem arma præparaſſe, vrbem incendere cogitaſſe. Falſum id dicitur, in quo perſpicuè mendacium eſt, vt ſiquis dicat, Nemo eſt, qui non magis pecuniam, quàm ſapientiam amet. Qui pecuniam negligit, ſapiens eſſe nullo modo poteſt. Pro Cn. Plancio totum illud crimen ambitus, quo Plancius accuſabatur, falſum eſſe docet. Quod ſi totum negare non poſsimus, ea redarguere conabimur, quæ pro veriſimilibus aduerſarij ſumpſerunt, vt pro Milone. Quid enim odiſſet Clodium Milo, ſegetem, ac materiam ſuæ gloriæ? Pro Roſcio Com. Roſcius ſocium fraudauit? poteſt hoc homini huic hærere peccatum? qui medius fidius, audacter dico plus fidei, quàm artis, plus veritatis, quàm diſciplinæ poſsidet in ſe.

Primùm dubia ſumpta eſſe pro certis, deindè etiam in perſpicuè falſis eadem poſſe dici, tum ex ijs, quæ ſumpſerint, non effici, quæ velint.

Tres rationes adfert, quibus infirmare veriſimilia argumenta poſſumus. Prima eſt, cum dicimus dubia pro certis eſſe ſumpta, vt accuſator Roſcij dicebat, Roſciũ a parte relegatum in villam, quòd eum odiſſet, & quòd exhæredare ſtatuiſſet, quæ Cicero facilè refellit. Ita pro A. Cluentio, cũ iudiciũ corruptum fuiſſe conſtaret, ita concluſerant aduerſarij, quaſi a Cluẽtio factum id eſſe, certum eſſet, vocat hoc in dubium Cicero, potiusq; ab Oppianico, quam a Cluentio corruptum fuiſſe probare nititur. Hac ratione facilè refelluntur illius generis argumenta, Expalluit, ergo conſcius eſt; cruore reſperſus erat, ergo cædem fecit. Secũda ratio eſt, cum dicimus in perſpicuè falſis eadem

dem poſſe dici, vt pro M. Cælio, cum eum impudicum aduerſarij dixiſſent, ait Cicero, idem in omnes adoleſcentes pulchros dici poſſe. Sunt etenim, inquit, iſta maledicta peruulgata in omnes, quorum in adoleſcentia forma, & ſpecies fuit liberalis. pro Roſcio Am. veriſimile non eſſe oſtendit, relegationis & ſupplicij gratia, Roſcium a patre rus fuiſſe miſſum, cum multi patresfamilias optatiſſimum ſibi putent eſſe, filios ſuos rei familiari maximè ſeruire, & in prædijs colendis operæ plurimum ſtudijq; conſumere. Tertia ratio eſt, cum dicimus, ex ijs, quæ ſumpſerunt, non effici, quę velint, quod reprehenſionis genus frequentiſsimum eſt, vt quamuis rus filium miſiſſet Roſcius, non ideo tamen eum exhęredare volebat. Quamuis odiſſet Clodium Milo, non tamen illi fecit inſidias. Quamuis a Laterenſe dignitate ſuperetur Plācius; non tamen largitione eſt ædilitatem aſſecutus. Quamuis in populum R. liberalis fuit Murena; non tamen eum pecunia corrupit, vt ſe conſulem faceret. Hoc in genere vel prima pars argumentationis negatur, quæ propoſitio dicitur, vel ſecunda, quę vocatur aſſumptio, vel tertia, quæ concluſio nominatur. Propoſitio negatur, vt ſiquis ita argumentetur; Nullus poeta eſt in ciuitate retinendus. Archias eſt poeta; non eſt igitur Archias in ciuitate retinendus. Aſſumptio negatur hoc modo, cum quis argumentatur, Parricidæ ſunt extremo ſupplicio afficiendi, Roſcius eſt parricida; extremo igitur ſupplicio eſt afficiendus. Concluſio negatur hoc modo, Cæcina prohibitus tantum fuit ab Ebucio, ne in fundum ſuum accederet, non igitur ab eo deiectus fuit. Hæc autem longè melius intelliget, & efficiet, qui dialecticis imbutus fuerit. quamobrem eſt ars illa diligenter ediſcenda.

Accedere autem oportet ad ſingula, ſic vniuerſa frangentur.

Suprà iam dictum eſt, veriſimilia coaceruata multùm valere; nunc oſtendit, ſi diducantur, & ſingula conſiderentur, infirma fieri. Nam vt ædificium totum ſimul non facilè diruitur, ſed ſi paulatim lapides extrahas; totum deniq́ue corruet; ita ſi totam orationem ſimul refellere volueris, nihil proficies, at ſi argumenta ſingula reprehenderis, tandem omnia dilues. Ita Sertorius, equinæ caudæ pilos paulatim facilius euelli, quàm omnes ſimul edocuit, cum hiſpanos adhortaretur, ne tota acie cū Romanis cōfligerent, ſed paulatim eos aggrederētur.

Commemoranda ſunt etiam exempla, quibus ſimili in diſputatione creditum non ſit: conquerenda

conditio communis periculi, ſi ingenijs hominum criminoſorum ſit expoſita vita innocentium.

Exempla ſolẽt plurimum commouere, de quibus iam ſuprà dictum; ea ſunt ad cauſam accommodanda ſimilitudine aliqua, vt ſi eis non creditum ſit, neque aduerſariorum criminibus credatur; vt pro Roſcio Am. probat Cicero, non facilè parricidij crimen eſſe credẽdum, exemplo T. Clælij Terracinenſis, qui iugulatus fuit in eodem conclaui, vbi eſſent duo adoleſcentes filij, qui de parricidio accuſati, ſtatìm abſoluti ſunt, quoniam aperto oſtio dormientes reperti fuerant. Ita pro Milone refellit aduerſarios, qui dixerant debere eum condemnari, qui à ſe hominem occiſum fateretur, exemplo M. Horatij, qui populi R. comitijs liberatus eſt, cum ſua manu ſororem interfectam fateretur, & exemplo Cælij Plocij, qui tribunum militarem in exercitu C. Marij propinquum eius Imperatoris interfecerit, quoniam ei pudicitiam eripere voluerat. Sæpè etiam eſt conquerenda conditio communis periculi, quod ſæpenumerò Cicero facit, cum oſtendit commune malum eſſe, commune periculum, ſi hominibus improbis fides adhibeatur, vt pro Roſcio Am. vbi de Roſciorum audacia verba facit, atque vbi Erucij accuſatoris calumnias inſectatur. Sed de reprehenſione multa ſatis ingenioſè idem diſputat, vbi ſigillatim etiam explicat ea, quæ poſſunt in argumentationibus, atque in earum ſingulis partibus refutari. Sed hæc, vt dixi, melius a dialecticis traduntur.

Lib. 1. de Inuen.

C. F. Quoniam vnde inueniuntur, quæ ad fidem pertinent, habeo, quemadmodum in dicendo ſingula tractentur expecto. C. P. Argumentationem quærere videris, quæ eſt argumenti explicatio, quæ ſumpta ex ijs locis, qui ſunt expoſiti, conficienda, & diſtinguenda dilucidè eſt.

Iam explicatum eſt, quomodo poſſint inueniri, quæ ad confirmationem & refutationem pertinent; nunc quærit filius, quà ratione poſſit ea tractare: Parùm enim prodeſt inuentio, niſi tractatio diligens adhibeatur in dicendo. Tractantur autem ſingula per argumentationem, quę ſumitur ex locis iam expoſitis. Ipſa porro argumentatio definitur, hoc modo; Argumentatio eſt argumenti explicatio. nam argu mentum

mentum probabile inuentum eſt, ad faciendam fidem; argumentatio vero dilucidè conficit & diſtinguit ipſum argumentum; copioſeque atque ornatè vim argumenti explicat. quo fit vt ab aliquibus expolitio dicatur. & græcè eſt ἐπιχείρημα. At vero loci, vnde ſumitur argumentatio, duplices ſunt. Nam alij communes ſunt omnium generum, & dialectici vocantur, de quibus huius operis initio diximus, vt definitio, partium enumeratio, notatio verbi, res affectæ; Alij proprij ſunt cuiſque generis & conſtitutionis, de quibus paulò antè dictum eſt atque hi rhetorici nominantur.

C. F. *Planè iſtuc ipſum deſidero.* C. P. Eſt ergo, vt ſuprà dictum eſt, explicatio argumenti argumentatio. ſed ea concifitur, cum ſumpſeris, aut non dubia, aut probabilia, ex quibus id efficias, quod aut dubium, aut minus probabile per ſe uidetur.

Cupit filius ea diſcere, quæ ad argumentationem pertinent, itaque pater eius definitionem primo repetit, deinde quibus ex rebus conficitur, oſtendit, Fit enim omnis argumentatio, vel ex rebus non dubijs & certis atque indubitatis, vel ex probabilibus, quæ probent id, quod prius erat aut dubium, aut non ſatis probabile. Nam (vt ait Quintilianus) *in omni cauſa neceſſe eſt aliquid eſſe certum, quod probatione nō egeat, ex quo, quæ dubia ſunt, quærātur*, vt dubiū eſt, an Cælius deditus ſit voluptatibus & meretricijs amoribus; negat hoc Cicero, ſuamq; negantiam, nō dubio pronunciato, comprobat: omnes enim, qui liberalibus & ingenuis artibus dediti ſunt, corporis voluptates nō amplectuntur; Cælius autem bonis artibus deditus eſt. Ita dubiū eſt, an Roſcius patrem interfecerit. ſed illud certum eſt, à bono & frugi filio patrem necari non ſolere; cum igitur probatum fuerit Roſcium eſſe bonum & frugi filium, certum erit ab eo patrem non fuiſſe necatum. Non dubia ſunt illa, quæ neceſſaria ſunt, vt ſi ſpirat, viuit; ſi peperit, virgo non eſt; ſi homo eſt, rationis eſt particeps; ſi eſt animal, ſentit & mouetur. Probabilia ſunt illa, quæ nullam habent neceſsitatem, & aliter etiam ſe habere poſſunt, ſed tamen opinione hominum vera eſſe creduntur, vt ſi mater eſt, filium diligit; Si auarus eſt, negligit iuſiurandum. Si prodigus eſt, pecuniam contemnit. Ex his duobus generibus omnis conficitur argumentatio, quæ græco nomine Syllogiſmus dicitur, & latinè Ratiocinatio. Quoties vero non dialectico more, ſed oratorio tractatur, tunc Enthymema vocatur. ideo dicūt Enthymema *rhetoricum eſſe ſyllogiſmum*, de quo multa

tradit

Digitized by Google

Li.Rhe.2. tradit Ariſtoteles, & nos etiam libro Reprehenſionum ſecundo contra Nizolium multa diſſeruimus.

Argumentandi autem duo ſunt genera, quorum alterum ad fidem directò ſpectat, alterum ſe inflectit ad motum. Dirigitur, cum propoſuit aliquid, quod probaret, ſumpſitq́; ea, quibus *vteretur*, atque his confirmatis, ad propoſitum *ſeſe retulit*, atque concluſit.

Quemadmodum in tota oratione duo ſpectantur, fides, & motus; ita etiam duo ſunt argumentandi genera, quorum altero fides fit, altero mouentur animi. Genus illud argumentandi, quod ad fidem faciendam pertinet, aut per inductionẽ tractatur, aut per ratiocinationẽ. De Inductione ſupra iam dictum eſt, cum de partium enumeratione verba faceremus; nunc de Ratiocinatione aliqua dicemus. Eſt igitur Ratiocinatio latinè, idem quod ſyllogiſmus gręcè; ſed alio modo tractatur à dialecticis, alio à rhetoribus. Dialectici preſsius & ſpinoſius argumentantur, Rhetores latiùs & ornatiùs diſſerunt. Quod autem partes Ratiocinatio ſiue argumentatio cõtineat, non ſatis inter Rhetores cõuenit: quoniã alij plures, alij pauciores attribuũt. Cicero & Quintilianus integrã & perfectã argumentationem, quinque partibus conſtare volunt, quorum prima propoſitio dicitur, altera ratio ſiue probatio, tertia aſſumptio, quarta aſſumptionis confirmatio, quinta concluſio. Sed tamen tres tantum partes videntur eſſe neceſſariæ, propoſitio, aſſumptio, & concluſio, duæ reliquæ, ad propoſitionis & aſſumptionis probationem adhibentur. Cicero hoc in loco breuiter quinque partes illas, quas propoſuimus, tangit. Cum enim ita, inquit, dirigitur, cum propoſuit aliquid, quod probaret, duas partes notat, propoſitionem & probationem. Cum autem addit, ſumpſitq́; ea quibus vteretur, tertiam partem tangit, hoc eſt aſſumptionem, denique cum ait, Atque his cõfirmatis, ad propoſitum ſeſe retulit, atque concludit, tangit confirmationem aſſumptionis, & concluſionem. Prima igitur pars argumentationis Propoſitio dicitur, vnde omnis vis concluſionis emanat: vt ſi quis probare velit, Clodium iure fuiſſe interfectum, hæc poterit eſſe propoſitio; Omnis inſidiator & latro, iure interficitur. Secunda pars dicitur approbatio, qua propoſitio confirmatur hoc modo: Natura enim hoc nobis præſcripſit, vt omnem ſemper vim, quacunque ope poſſemus, à corpore, à capite, à vita noſtra propulſaremus.

mus. Tertia pars aſſumptio dicitur, per quam id aſſumitur, quod probare volumus; vt Clodius fuit inſidiator & latro. Quarta pars dicitur aſſumptionis confirmatio, vt Palàm enim egit, & apertè dixit occidendum eſſe Milonem, ſeruos agreſtes & barbaros ex Appenino deduxit, quibus inſidias Miloni ſtrueret. Quinta & vltima pars complexio ſiue concluſio dicitur, in qua vel propoſitionem & aſſumptionem copulantes concludimus, hoc modo; Quod ſi omnis inſidiator iure interficitur; & Clodius fuit inſidiator; iure igitur fuit interfectus. Vel tantum id addimus, quod ex propoſitione & aſſumptione conficitur, vt, *iure igitur* fuit interfectus. Hac ratione poſſunt orationes quamuis *longiſsimæ*, ad vnam principalem argumẽtationem reduci. Quæ res plurimum prodeſt, & ad intelligendam artem rhetoricam, & Ciceronem imitandũ, vt in oratione pro lege Manilia, nihil aliud vult ſuadere Cicero, niſi vt Põpeius ad bellũ Mithridaticũ mittatur, cuius orationis ſummam illa vna argumentatio complectitur, Ad bellum Mithridaticum ſummus Imperator eſt mittendus. Eſt enim magnum & periculoſum bellum, quod à duobus potentiſsimis regibus Mithridate & Tigrane nobis infertur. Pompeius autem ſummus eſt Imperator, nam in eo ſciẽtia rei militaris eſt, & virtus, & auctoritas, & felicitas. Quare Pompeius ad bellum Mithridaticum eſt mittendus. Ita pro Roſcio Am. cum probare velit, à Roſcio patrem non fuiſſe interfectum, eam affert rationem, quod Roſcius vitæ ruſticæ deditus eſſet. Fiet igitur huiuſmodi argumentatio, Qui vita ruſtica delectantur, nullo ſcelere, nullis flagitijs imbuti eſſe ſolent; ſed probatis moribus præditi. Eſt enim ea vita diſiuncta à cupiditate, & cum officio, coniũcta parſimoniæ, diligentiæ, iuſtitiæ magiſtra; Roſcius autem in vita ruſtica educatus fuit, eum enim pater ſuus ruri eſſe volebat, vt rerum familiarium curam haberet, & diligens pater familias euaderet, nullo igitur ſcelere imbutus eſt, ita neque de parricidio cogitauit. Interdum probationes prætermittuntur, vel ambæ, vel altera tantum, cum altera tantum probatio prætermittitur, fit argumẽtatio quadripartita, vt ſi probationem propoſitionis relinquamus hoc modo; Hoſtes patriæ bello perſequendi ſunt, M. Antonius patriæ hoſtis eſt, nam vindices libertatis odio proſequitur, leges euertit, res iudicatas frangit, regium dominatum appetit, eſt igitur bello perſequendus, vel ſi dimittamus aſſumptionis probationem hoc modo; Qui contra leges à ſe hominem occiſum eſſe fatetur; ei nefas eſt lucem intueri: nulla enim eſſet legum vtilitas, nulla poteſtas, *nulla reuerentia*, *niſi qui illas violant*, debitas pœnas luãt: Sed Horatius ſororem à ſe contra leges occiſam eſſe confitetur: igitur ei lucem intueri nefas eſt. Cum vero ambæ probationes prætermittuntur, tunc tripartita fit argumentatio hoc modo; Qui contra ſeditioſum magiſtratum arma ſumunt, ij maieſtatem non imminuunt.



Digitized by Google

nuũt; C. Rabirius contra Saturninum ſeditioſum magiſtratum armã ſumpſit: non igitur maieſtatem imminuit. Atque hoc modo ſunt argumentationes, quæ ad fidem directò ſpectant.

Illa autem altera argumentatio, quaſi retrò, & contra prius ſumit, quæ uult, eaq; confirmat, deindè id quod proponendum fuit, permotis animis iacit ad extremum.

Cum oratori propoſitum ſit animos commouere, non eundem ordinem ſequitur in argumentando, quem dialectici aut philoſophi; ſed plerumque à concluſione incipit, eaq; confirmata quaſi retro & contrà progreditur, & tandem, poſtquam animos commouit, in extremo ponit, quod erat proponendum, ſi directò argumentari voluiſſet: vt ſi quis ita argumentetur; Non eſt credibile, Iudices, à Roſcio patrem interfectum fuiſſe. Hæc eſt concluſio, quam probare opus eſt, quę ita confirmabitur. Eſt enim Roſcius vir probatis moribus, & innocens, qui nullum vnquàm maleficium commiſit. Huic confirmationi poteſt addi propoſitio generalis hoc modo: At certè nemo tantum ſcelus aggreditur, niſi qui antea perditiſsimus fuerit. In oratione pro M. Cælio, pulchrum & euidens eſt huius generis argumentandi exemplum, in quo primo loco ponitur concluſio hoc modo; In M. Cælio nulla luxuries reperietur, nulli ſumptus, nullum æs alienum, nulla conuiuiorum ac luſtrorum libido: paulo poſt additur aſſumptio, cum ita inquit, Audiuiſtis, cum pro ſe diceret, audiuiſtis anteà cum accuſaret, defendendi hæc cauſa, non gloriandi loquor, genus orationis, facultatem, copiam ſententiarum ac verborum: poſtremò ponit propoſitionem ſibi, Atqui ſcitote, Iudices, eas cupiditates, quæ obijciuntur Cælio, atque hæc ſtudia, de quibus diſputo, non facilè in eodem homine eſſe poſſe. Atque hanc proſitionem additis rationibus confirmat. In oratione pro Milone ſic argumentationem inflectit, *Quonam* igitur pacto probari poteſt inſidias Miloni feciſſe Clodium? ſatis *eſt* in illa tàm audaci, tàm nefaria bellua, docere, magnam ei cauſam, magnam ſpem in Milonis morte propoſitam, magnas vtilitates fuiſſe. Itaque illud Caſsianum, Cui bono fuerit, in his perſonis valeat, Etſi boni nullo emolumēto impelluntur in fraudem, improbi ſæpè paruo. Sed de hoc argumentandi genere multa diximus contra Nizolium, vbi docuimus, hanc eſſe Ciceronis conſuetudinem, vt in argumentando ferè ſemper à concluſione incipiens ſe inflectat ad motum, & quaſi retro prius firmat, quæ probare vult, deindè quod proponendum fuit, iaciat ad extremum.

Eſt

Digitized by Google

Eſt autem illa varietas in argumentando, & non iniucunda diſtinctio, vt cum interrogamus noſmetipſos, aut percunctamur, aut imperamus, aut optamus, quæ ſunt cum alijs compluribus ſententiarum ornamenta.

Quia ſimilitudo in omnibus rebus eſt ſatietatis mater, varietas autem delectationem parit, ideo in argumentando etiam ſimilitudinem fugere, & varietatem quærere debemus; docet autem quatuor potisſimum modis argumentationem variari poſſe. Primo cum interrogamus noſipſos. Secundo cum percunctamur aduerſarios. Tertio cum imperamus. Quarto cum optamus: quæ ſunt quatuor ſententiarum exornationes. Illa argumentatio in qua noſipſos interrogamus, appellatur ſubiectio, quæ frequentisſima eſt apud Ciceronem, vt pro A. Cæcinna. Quid? verbis ſatis hoc cautum erat? minimè. quæ res igitur valuit? voluntas, quæ ſi tacitis nobis intelligi posſit, verbis omnino non vteremur. Pro Milone, Cur veſperi? quid neceſſe eſt tarde? quid conuenit præſertim id temporis? diuertit in villam Pompeij, Pompeium vt videret? ſciebat in Alſienſi eſſe, procul inde, villam vt perſpiceret? millies in ea fuerat, quid ergo erat moræ, & tergiuerſationis? dum hic veniret, locum relinquere noluit. In Peroratione eiuſdem orationis, *Me non potuiſſe Milonis ſalutem tueri per eoſdem, per quos noſtram ille ſeruaſſet? at in qua cauſa non potuiſſe? quæ eſt grata gentibus, à quibus non potuiſſe? ab ijs qui maxime P. Clodij morte acquieuerunt, quo deprecante? me.* Terentius in Eunucho, Quid igitur faciã? non eam ne nunc quidem, cum accerſor vltro? Percunctamur aduerſarios, vt ab illis etiam inuitis confesſio per vim argumentationis exprimatur, vt pro Cæcinna, Reſponde ſi tibi videtur, in fundum Cæcinna, vtrum voluit tandem, an non potuit accedere, cum te obſtitiſſe & repudiaſſe dicis, certè hunc voluiſſe concedis. Potes igitur dicere, non ei vim fuiſſe impedimento, cui cum cuperet, eoque conſilio veniſſet, per homines coactos non ſit licitum accedere? Actione tertia in Verrem, longum & pulchrum eſt huius generis exemplum. Nam quæro abs te, circumſeſſus ne ſis Lampſaci? cœperit ne domum, in qua diuerſabare, illa multitudo incendere? voluerint ne legatum populi Romani comburere viuum Lampſaceni? & quæ ſequuntur. Imperamus in oratione aut ſimpliciter, aut per ironiam. *Simpliciter* vt pro A. Cluentio, Iudices ſi ſcelus odiſtis, prohibete aditum matris a filij ſanguine. pro C. Rabirio, Quin continetis vocem indicem ſtultitiæ veſtræ, teſtem paucitatis. per Ironiam, vt pro Milone, Excitate, exci-

tate eum ſi poteſtis ab inferis, frangetis impetum viui., cuius vix ſuſtinetis furias inſepulti. Virgilius,

*I ſequere Italiam ventis, pete regna per vndas.*

AVT OPTAMVS) eſt etiam quædam vis orationis in optando, vt cum probare vult Cicero iure cæſum fuiſſe Saturninum, pro C. Rabirio, Vtinam, inquit, hanc mihi facultatem cauſa concederet, vt poſſem hæc prædicare C. Rabirij manu L. Saturninum hoſtem populi R. interfectum. Sed hæc ornamenta, atque alia multa ſententiarum ſunt, quibus argumentationes plurimùm illuſtrantur.

Vitare autem ſimilitudinem poterimus, non ſemper à propoſito ordientes, & ſi non omnia confirmando diſputabimus: breuiterq́; interdum, quæ erunt ſatis aperta, ponemus. quodq́ue ex his efficietur, ſi id apertum ſit, non habebimus neceſſe ſemper concludere.

Quatuor præcepta tradit, quibus in argumentando ſimilitudinem vitare poterimus.

Primum ne ſemper eundem ordinem ſequamur. Sed modò à propoſitione, modò ab aſſumptione, modò à complexione incipiamus. Nam eandem argumentationem arbitrio noſtro poſſumus, à qua voluerimus parte incipere, quod exemplo vno ſatis intelligi poterit. Sit enim deliberatio propoſita, An ſit bellum contra Mithridatem ſuſcipiendum, quam probare velimus. Primò igitur poterimus à propoſitione maiore incipere, hoc modo, Omne bellum in quo agitur populi R. gloria, & ſalus ſociorum, ſuſcipiendum eſt; At in bello contra Mithridatem gloria populi R. & ſalus ſociorum agitur, ergo contra Mithridatem bellum ſuſcipiendum eſt. Secundò poſſumus ab aſſumptione incipere, hoc modo, In bello contra Mithridatem agitur gloria populi R. & ſalus ſociorum; at omne bellum huiuſmodi ſuſcipiendum eſt, Igitur etiam hoc contra Mithidratem eſt ſuſcipiendum. Tertiò poſſumus à concluſione incipere, hoc modo, Bellum contra Mithridatem ſuſcipiendum eſt: agitur enim in eo gloria populi R. & ſalus ſociorum, pro qua bellum omne ſuſcipiendum eſt. Poſuimus autem exemplum nudum & apertum, vt res facilius intelligatur, nam in oratione deinde copioſius & ornatius argumentationes explicantur.

Secundùm præceptum eſt, vt aliquando probationes propoſitionis & aſſumptionis prætermittamus, & ne nimis ſubtiliter & acutè diſputemus.

Digitized by Google

remus, præſertim ſi propoſitiones ſatis probabiles fuerint: vt ſi quis ita argumentetur; Non eſt illis ignoſcendum, qui iura gentium violarũt, quod ſcelus Corinthij pulſatis legatis admiſerunt, non igitur Corinthijs eſt ignoſcendum: cum enim in hac argumentatione, & propoſitio & aſſumptio ſatis aperta ſit, nihil opus eſt eas approbare.

Tertium eſt, vt quæ ſatis aperta ſunt, breuiter ponamus. nam ſæpè nimium altercando veritas amittitur, & qui de rebus apertis diſputat, eas in dubium quodammodo reuocare videtur. Satis igitur eſt eas breuiter ſine vlla probatione ponere, vt pro Milone; Inſidiatori vero & latroni quæ poteſt afferri iniuſta nex? talia ſunt illa in eadem oratione, Addit hæc, quæ certè vera ſunt, fortes & ſapientes viros non tàm præmia ſequi ſolere rectè factorum, quam ipſa rectè facta: ſe nihil in vita niſi præclarisſimè feciſſe, ſi quidem nihil ſit præſtabilius viro, quàm periculis patriam liberare, & quæ ſequuntur.

Quartum eſt, vt Complexio ſiue concluſio argumentationis, cum per ſe manifeſta eſt, prætermittatur. Eſt enim ſæpè moleſtum, & interdum puerile, velle concluſionem adhibere, cum omnes intelligunt quid ex propoſitis ſequatur: vt, ea vera bona ſunt, quibus nemo malè vti poteſt, quo in genere virtus eſt, qua nemo malè vtitur. Hic enim non opus eſt addere concluſionem, quia ſatis intelligitur, ex propoſitione, & aſſumptione.

Sunt etiam quædam argumentationes breues, quibus frequentisſimè vtuntur auctores, quæ propoſitione, & ratione conſtant, & enthymemata vocantur, vt, Dignus eſt ſupplicio Cethegus, quoniam in patriam coniurauit: iure cæſus eſt Clodius, fuit enim inſidiator. Cicero pro Q. Ligario, Cauſa tum dubia, quod erat aliquid in vtraque parte quod probari poſſet: Talia ſunt illa, Nõ fraudauit Cheream, Roſcius eſt enim vir probus & liberalis. Non eſt adulter Cælius, non enim cum matrona, ſed cum meretrice rem habuit. Sed quæ fiunt à repugnantibus, vel cõtrarijs, vel disſimilibus, longè maiorem vim habent, vt pro Q. Ligario; Quorum igitur impunitas Cæſar tuæ clementiæ laus eſt, eorum ipſorum te ad crudelitatem acuet oratio? pro Milone, Eius igitur mortis ſedetis vltores, cuius vitam ſi putetis per vos reſtitui poſſe, nolitis. Sed de Enthymemate, multa diximus ſecundo Reprehenſionum libro, contra Nizolium.

C. F. Quid illa, quæ ſine arte appellantur, quæ iamdudùm aſſumpta dixiſti, ecquonam modo, ecquonam loco artis indigent? C. P. illa uero indigent, & nec eo dicuntur ſine arte, quod ita ſint, ſed ea



Digitized by Google

non parit oratoris ars, ſed foris ad ſe delata tamen arte tractat, & maximè in teſtibus.

Hactenus de artificioſis probationibus ſatis dictum eſt, nunc ad ea tranſit, quæ ſine arte appellantur, & aſſumpta etiam dicuntur. Petit igitur filius quomodo hæc artis expertia, arte indigeant? cui reſpondet pater, non ideo dici ſine arte, quod re vera ita ſint, ſed quod ab oratoris arte non inueniantur, cæteroqui, cum orator extrinſecus ea ad ſe delata ſumat, maximè arte tractare ſolet: & cum omnia tractari arte ſumma opus ſit, tum præcipuè teſtes, in quibus (vt ait *Quintilianus*) maximus eſt patronus Iudex. Cum autem multæ ſint ſpecies teſtimoniorum, vt quæ diuina vocantur, oracula, vaticinationes, auſpicia, reſponſa ſacerdotum, & quæ humana dicuntur, vt tabulæ, præiudicia, rumores, iuſiurandum, quęſtiones, teſtes, in teſtibus tractandis ait hoc loco Cicero, maximè oratorem arte vti ſolere: Teſtes autem vocat homines, qui aliquid in iudicio pro teſtimonio dicunt, qui quomodo tractandi ſunt ſubiungit.

Nam de toto genere teſtium, quàm id ſit infirmum, ſæpè dicendum eſt, & argumenta rerum eſſe propria, teſtimonia voluntatum.

In refellendis teſtibus, aut de toto genere teſtium, aut de ſingulis verba facimus. Si de toto genere, docebimus, quam id infirmum ſit: vt pro L. Flacco, primo de genere teſtium græcorum verba facit, cum ita inquit; Dicit enim natio minimè in teſtimonijs dicendis religioſa, propius accedo: nego iſta eſſe teſtimonia, quæ tu ipſe pſephiſmata appellas, ſed & fremitum egentium, & motum quendam temerarium græculæ concionis. Multis autem argumentis probat innocentiam L. Flacci, quibus magis credendum eſſe dicit, quàm græculis teſtibus. Pro M. Cælio, Equidem uos abducam à teſtibus, neque huius indicij veritatem, quæ mutari nullo modo poteſt, in voluntate teſtium collocari ſinam, quæ facillimè fingi, nullo negotio flecti ac detorqueri poteſt. Dicet igitur orator potius argumentis, quàm teſtibus eſſe credendum, quoniam argumenta rerum propria ſunt: teſtimonia vero pendent à voluntatibus, quæ pro arbitrio mutari poſſint.

Vtendumque eſt exemplis, quibus teſtibus creditum non ſit.

Pluri-

Digitized by Google

Plurimum in hac parte proderit, exempla commemorare, quibus teſtibus non ſit creditum. Valerius Max. octauo libro nonnulla commemorat exempla præclariſsimorum virorum, qui cum in iudicio teſtimonia dixiſſent, tamen eis creditum non eſt. Cicero pro M. Fonteio ſic ait; An vero vos id in teſtimonijs hominum barbarorum dubitabitis, quod perſæpè & noſtra & patrum memoria, ſapientiſsimi Iudices, de clariſsimis noſtræ ciuitatis viris, dubitandum non putauerunt? qui Cn. & Q. Cepionibus L. & Q. Metellis teſtibus in Q. Pompeium hominem nouum non crediderunt, quorum virtuti, generi, *rebus* geſtis, fidem & auctoritatem in teſtimonio cupiditatis atque inimicitiarum ſuſpicio derogauit. Ecquem hominem vidimus, ecquem verè commemorare poſſumus, parem conſilio, grauitate, conſtantia, cæteris virtutibus, honoris, ingenij, rerum geſtarum ornamentis M. Aemilio Scauro fuiſſe, tamen huius, cuius iniurati vultu, propè terrarum orbis regebatur, iurati teſtimonio neque in C. Fimbriam, neque in C. Memmium creditum eſt, & quæ ſequuntur. Hæc enim exempla facilè Iudices mouere poſſunt, ne teſtibus quibuſlibet fidem adhibeant, cum intelligant præclaris viris interdum non credi.

## Et de ſingulis teſtibus, ſi natura vani, ſi leues, ſi cum ignominia, ſi ſpe, ſi metu, ſi iracundia, ſi miſericordia impulſi, ſi præmio, ſi gratia adducti.

Tractantur etiam ſinguli teſtes artificioſè, vt cum oſtendit orator eos eſſe vanos qui facilè mentiantur, & leues qui ſibi non conſtent: aut ignominia notatos propter ſcelera, vt pro L. Flacco, Aſclepiades damnatus turpiſsimis indicijs domi, notatus literis publicis, cuius de probris, adulterijs, ac ſtupris extant Aemonenſium literæ, & alibi, Nicomedes, & furti, & pro ſocio damnatus eſt. Pro A. Cluentio, quendam Fidicularium Falculam Senatorem, tanquam vanum & leuem irridet, atque etiam pro A. Cæcina eundem teſtem inſectatur. Quod ſi probare potuerit orator, teſtes aut ſpe commodorum adductos, aut metu incommodorum, aut odio ipſius rei, aut miſericordia ad teſtimonium dicendum aduenifſe, facilè fidem illis abrogabit, atque etiam multo magis, ſi vel propter amicitiam, vel propter præmium teſtimonium dicere probati fuerint. Quod ſi à teſtibus dicere voluerimus, eos oſtendere oportebit probos viros, graues, fide dignos; vt pro Archia poeta, Adeſt vir ſumma auctoritate, & fide, & religione L. Lucullus, qui ſe non opinari, ſed ſcire, non audiuiſſe, ſed vidiſſe, non interfuiſſe, ſed egiſſe dicit. De modo autem tractandorum teſtium, duos Libr. 5. inſti. orat.

duos libros ſcripſit Domitius Afer teſte Quintiliano, atque ipſe Quintilianus multa de teſtibus.

## Comparandique ſuperiore cum auctoritate teſtium, quibus tamen creditum non ſit.

Plurimùm valet ad infirmandos teſtes comparatio, cum oſtendit orator, teſtibus multò fide dignioribus non eſſe creditum, ideo neque inferioribus, aut minus fide dignis eſſe credendum. Quod multis verbis Cicero pro Fonteio facit, ex eo loco, *An vero illi equites Romani, quos nos vidimus, qui nuper in Rep. iudicijsque maximis floruerunt, habuerunt tantum animi, tantum roboris, vt M. Scauro teſti non crederent, vos Belgarum, atq; Allobrogum teſtimonijs, non credere timetis?* & quæ ſequuntur.

## Sæpè etiam quæſtionibus reſiſtendum eſt, quòd & dolorem fugientes multi in tormentis ementiti perſæpè ſunt, moriquè maluerunt, falſum fatendo, quam inficiando dolere.

Alius locus communis eſt à quæſtionibus & contra quæſtiones. Qui locus, vt ait Quintilianus, eſt frequentiſsimus, cum vna pars ait tormenta veri inueniendi gratia fuiſſe conſtituta, atque ideo illis eſſe credendum; altera dicit tormenta ſæpè cauſam eſſe falſa dicendi. Apud Romanos non liberi, ſed tantum ſerui torquebantur. Apud Athenienſes vero & cæteros græcos, etiam liberi homines. Docet autem primo Cicero, quomodo quæſtionibus reſiſtendum ſit, quoniam aliqui cruciatus perferre non poſſunt, ideo in tormentis dolore victi mentiuntur, & mori malunt falſum fatendo, quam negando cruciari. Valerius Max. ſcribit M. Agrij argentarij ſeruum, tortum à domino, quia diceretur Alexandrum T. Fannij, ſeruum interfeciſſe, crimen ſe admiſiſſe, confeſſum, atque ideo ſupplicio affectum fuiſſe, cum tamen non multò poſt Alexander ille, qui dicebatur interfectus, domum redierit. Cicero pro P. Sylla, ita contra quæſtiones diſſerit, *Quæſtiones nobis ſeruorum ac tormenta accuſator minitatur, in quibus quamquam nil periculi ſuſpicamur, tamen illa tormenta gubernat dolor, moderatur natura cuiusque, tùm animi, tùm corporis, regit quæſitor, flectit libido, corrumpit ſpes, infirmat metus, vt in tot rerum anguſtijs nihil veritati loci relinquatur.*

Multi

Multi etiam ſuam vitam neglexerunt, vt eos, qui his cariores, quam ipſi ſibi eſſent, liberarent.

Sunt aliqui tàm conſtantes in tormentis, vt etiam propriam vitam negligant, & in cruciatu potius mori velint, quam vel dominos ſuos, vel eos, quos caros habent, confeſsione ſua lædere. Quod Philippus Fuluij Flacci ſeruus fecit, vt Valerius Max. ſcribit, qui octies tortus, ne verbum quidem quo dominus perſtringeretur, emiſit. Et M. Antonij illius diſerti ſeruus, adhuc imberbis, omnes cruciatus pertulit, vt dominum ſuum inceſti reum liberaret. Hæc exempla cæteraque huiuſmodi prolata, facilè quæſtionibus fidem adimere poſſunt.

Alij autem aut natura corporis, aut conſuetudine dolendi, aut metu ſupplicii, aut mortis, vim tormentorum pertulerunt.

Sunt etiam aliqui tam robuſto ac patienti corpore, vt dolorem non reformident, alij tormenta omnia perferunt, vel propter dolendi conſuetudinem, vel quia mortem atque extremum ſupplicium timeant. Huius rei exempla ferè quotidiè accidunt. Multi enim in equuleo torti, ne verbum quidem contra ſeipſos emittere cogi poſſunt, etiam ſi ſcelus perpetrarint. Quod de Alexandro T. Fannij ſeruo ſcribit Valerius Max. qui ſepties tortus, quod C. Flauium equitem Romanum occidiſſe diceretur, conſtantiſsimè pernegauit.

Alii ementiti ſunt in eos, quos oderant, atque hæc exemplis firmanda ſunt.

Inuenti ſunt etiam aliqui (inquit) qui cum torquerentur, diſsimulata veritate, in eos mētiti ſint, quos odio proſequebātur. Quod à Zenone Eleate factū legimus, qui cum Phalaridis crudelitatem inuiſam haberet, nobiliſsimos iuuenes Agrigentinorū ad coniurandum in Tyrannum illum concitauit: Sed coniuratione patefacta Zeno captus, & omni cruciatus genere tortus, vt ſocios delendæ tyrannidis indicaret, proximum quemque ac fideliſsimum Tyranno nominauit, quos Tyrannus ira incenſus, ſtatim interfici iuſsit, deinde Zeno ſic oratione ſua populum Agrigentinum inflammauit, vt Phalarim lapidibus obruerit. In Theodoro quoque (inquit Valerius) viro grauiſsimo Hieronymus Tyrannus tortorū manus fruſtra fatigauit. Rupit enim

verbera,

Digitized by Google

verbera, fidiculas laxauit, ſoluit equuleum, laminas extinxit, prius quàm efficeret, vt tyrannicidij conſcios indicaret. Quin etiam ſatellitem, in quo totius dominationis ſumma quaſi quodam cardine verſeſabatur, falſa criminatione inquinando, fidum lateri eius cuſtodem eripuit, beneficioque patientię, non ſolum quæ occulta fuerunt, texit, ſed etiam tormenta ſua vltus eſt, quibus Hieronymus dum inimicum cupidè lacerat, amicum temerè perdidit.

Neque eſt obſcurum, quin quoniam in vtraque parte ſunt exempla, & item ad coniecturam faciendam loci, in contrarijs contraria ſint ſumenda.

Quoniam tantum ea dixit, quæ contra quæſtiones valent, nunc admonet etiam à quæſtionibus diſputari poſſe. Sunt enim etiam in altera parte exempla, hoc eſt eorum, qui torti verum confeſſi ſunt. Sunt etiam in vtraque parte loci ad coniecturam faciendam, vtrum quæ dicta fuerunt, vera ſint nec ne. Et (vt ait Quintilianus,) hæc vtrinque tàm infinita ſunt, quàm ipſa rerum varietas. Quare poterit orator *in* contrarijs contraria ſumere, eaque rationibus & argumentis confirmare, quæ cauſam ſuam adiuuare videantur: vt pro Roſcio Am. Cicero coniecturam facit aduerſarios cædis eſſe conſcios, quod ſeruos Roſcij dare in quæſtionem recuſarent, ex quibus verũ inueniri poſſet.

Atque etiam incurrit alia quædam in teſtibus, & in quæſtionibus ratio. Sæpè enim ea, quæ dicta ſunt, ſi aut ambiguè, aut inconſtanter, aut incredibiliter dicta ſunt, aut etiam aliter ab alio dicta, ſubtiliter reprehenduntur.

Quatuor addit rationes quibus vel teſtes, vel quæſtiones euerti *facile* poſſunt.

Prima eſt ſi quid ambiguè dictum fuerit, quod in aliũ, atque alium ſenſum trahi poſsit: vt ſiquis in tormentis ita dixerit; verum eſt, Milonem inuaſiſſe Clodium, & ab eo factas inſidias. Eſt enim ambiguum, vtrum Milo, an Clodius tanquam latro & inſidiator notetur. Talia ſunt pleraque oracula, quibus teſtium vice antiqui vtebantur. Putabant enim in oraculis deorum eſſe orationem, & vera patefieri. Sed (vt dixi) pleraque erant ambigua, vt illud de Crœſo, Crœſus Halim penetrans, magnam peruertet opum vim.

Secunda

Digitized by Google

Secunda ratio eſt, ſi quid inconſtanter dictum fuerit, vt pro A. Cæcinna; Fidiculanium Falculam arguit Cicero, quia primo dixerat, nullos armatos cum Ebutio fuiſſe, deinde paulo poſt, dixit, ſeruos ſuos fuiſſe armatos.

Tertia ratio, ſi quod dictum eſt, incredibile eſſe videatur, vt pro P. Quintio refellit Cicero Neuium aduerſarium qui dixerat, vadimonium ſibi cum Quintio Nonis Februarij factum eſſe, cum Quintius pridie Calendas Februarij Roma diſceſſiſſet: & in eadem orationem ſic ait, O rem incredibilem, o cupiditatem inconſideratam, o nuncium volucrem, adminiſtri, & ſatellites Sex. Næuij, Roma trans alpes *in* Sebuſianos biduo veniunt, o hominem fortunatum qui eiuſmodi nuncios, ſeu potius pegaſos habeat: & paulo poſt, Septingenta millia paſſuum vis eſſe decurſa biduo?

Quarta ratio, ſi aliter ab alio dictum fuerit. neque enim plus vno verum eſſe poteſt, neque contraria dicta poſſunt ambo vera eſſe; vt pro A. Cęcinna, cum alij teſtes omnes dixiſſent, cum Ebutio armatos fuiſſe complures, vnus Fidiculanius dixit, nullos fuiſſe armatos. Hæc (inquit Cicero) ſubtiliter & ingenioſè refelli, reprehendique poſſunt. Sunt etiam alia quædam artis expertia, quæ quoniam omnia eodem ferè modo tractantur, ideo prætermittuntur hoc loco. Sciendum eſt tamen, & à tabulis & contra tabulas dici poſſe, vt primo Rhetoricorum copioſè docet Ariſtoteles, & pro Archia poeta Cicero contra tabulas ita dicit; Eſt ridiculum ad ea, quæ habemus, nihil dicere, quærere quæ habere non poſſumus, & de hominum memoria tacere, literarum memoriam flagitare, & cum habeas ampliſſimi uiri religionem, integerrimi municipij iuſiurandum fidemque, ea, quæ deprauari nullo modo poſſunt, repudiare, tabulas, quas idem dici ſolere corrumpi, deſiderare. Sic etiam dicitur à præiudicijs & contra præiudicia, à rumoribus, & contra rumores, à iureiurando, & contra iuſiurandum, & ſi quæ ſunt eius generis alia. De quibus orator in vtramq; partem diſputare ſcire debet: ideo tertio de oratore L. Craſſus ait, neminem egregium oratorem eſſe poſſe, niſi contra omnia quæ propoſita fuerint, diſſerere copioſè valeat. Quæ vis omnis ad confirmationem & reprehenſionem refertur, de qua iam ſatis multa dicta ſunt.

C. F. Extrema tibi pars reſtat orationis, quæ poſita in perorando eſt, de qua ſanè velim audire. C. P. Facilior eſt explicatio perorationis. Nam eſt diuiſa in duas partes, amplificationem, & enumerationem.



Digitized by Google

Vltima pars orationis peroratio vel concluſio dicitur, quæ ad mouendos animos adhiberi ſolet, & ſimile quiddam habet cum exordio, Sicut enim in exordio conciliare nobis audientium animos ſtudemus, ita etiam in peroratione. Sed in eo differunt, quod exordium mitiores illos affectus habere ſolet, qui ἤθη Græcè dicuntur, Latinè mores dici poſſunt: peroratio verò eos, qui πάθη Græco nomine vocantur, Latinè perturbationes, vel commotiones, quæ longè grauiores ſunt, & vehementiores. Maximè enim in hac extrema orationis parte ſtudet orator, vel ad ſæuitiam iudices concitare ſi accuſat, vel ad miſericordiam, ſi defendit.

Duobus vero modis totam orationem concludere licet, vel per amplificationem, vel per enumerationem.

Amplificatio valet plurimum in accuſationibus, cum crimina augentur, & ad indignationem Iudices mouentur: Quod pluribus in locis, Cicero contra Verrem facit, valet etiam in defenſionibus cum rei virtutes augentur, & innocentia tollitur, vel cum miſericordia concitatur.

Enumeratio locum habet in deliberationibus, vt pro L. Man. ſed interdum etiam in iudicijs adhibetur, vt pro P. Quintio, & pro Roſcio Am. & ſicut infra Cicero docet, accuſatori ſæpius, quàm reo neceſſaria.

Augendi autem & hic eſt proprius locus in perorando, & in curſu ipſo orationis, declinationes ad amplificandum dantur, confirmata re aliqua, aut reprehenſa.

De amplificatione primo tractat, & qui proprius ſit eius locus docet. Eſt enim in peroratione proprius locus amplificationis, quamuis interdum etiam alijs in locis adhibeatur, vt prima oratione in Catilinam Cicero ab amplificatione exorditur, quod etiam poſt reditum ſuum in Senatu facit. In Verrem frequenter poſt narrationes, frequenter etiam poſt argumentationes, in quibus aliquid vel confirmatum, vel reprehenſum fuerit, amplificationes adhibet, vt tertia in Verrem Actione, poſt Philodami, & filij mortem enarratam, ſic amplificat; Tantæ ne tuæ, Verres, libidines erunt, ut eas capere ac ſuſtinere, non prouinciæ populi R. non nationes exteræ poſſint? tu ne quod videris, quod audiueris, quod concupieris, quod cogitaris, niſi id ad nutum tuum præſto fuerit, niſi libidini tuæ cupiditatique paruerit, imitentur homines? expugnabuntur domus? ciuitates non modò paca-

tæ, ve-

tæ, verùm etiam ſociorum, atque amicorum ad vim, atque ad arma confugient, vt ab ſe atque liberis ſuis, legati populi R. ſcelus atque libidinem propulſare poſſint. Sed plurimæ ſunt huius generis amplificationes, pas ſim in illis actionibus.

Eſt igitur amplificatio grauior quædam affirmatio, quæ motu animorum conciliet in dicendo fidem, ea & verborum genere conficitur, & rerum.

Declarat quid ſit amplificatio, & quibus ex rebus conſtet, Amplificatio (inquit) eſt quædam grauior affirmatio, quæ non tantum fidem facit, ſed etiam animos mouet. Nam in hoc ab argumentatione differt, quòd argumentatio quærit tantum fidem facere, amplificatio vero præter fidem, quærit etiam animos commouere, atque ideo dicitur grauior affirmatio, quia maiorem uim & grauitatem habet, quàm ſimplex illa argumentatio. Nam (ut ait Quintilianus) omnis vis oratoris in augendo minuendoque conſiſtit.

Conſtat autem amplificatio, ſicut etiam reliquæ partes orationis, ex verbis & rebus, itaque de verbis, quæ vim habent amplificandi, primò tractat, deindè etiam de rebus tractabit.

Verba ponenda ſunt, quæ vim habeant illuſtrandi, nec ab uſu ſint abhorrentia, grauia, plena, ſonantia, iuncta, facta, cognominata, non vulgata, ſuperlata, imprimiſque translata, nec in ſingulis uerbis, ſed in continentibus ſoluta, quæ dicuntur ſine coniunctione, ut plura uideantur.

In amplificatione primo quærenda ſunt verba, quæ vim habeant illuſtrandi, quoniam illuſtris oratio rem penè ante oculos conſtituit, ſicut iam ſupra demonſtratum eſt, vbi docuimus quibus modis illuſtris oratio fiat, quæ præcepta ſunt etiam ad hunc locum referenda.

Sed illuſtria verba talia eſſe debent, ut ab vſu non ſint abhorrentia, verum ab omnibus intelligantur, ut pro Cn. Plancio illuſtris eſt, & vſitatis verbis illa exclamatio. O acerbam mihi iudices memoriam temporis illius & loci, cum hic in me incidit, complexus eſt, conſperſitque lachrymis, nec loqui præ mærore potuit. Pro Milone, Hunc ſua quiſquam ſententia ex hac vrbe expellet, quem omnes urbes expulſum à vobis ad ſe uocabunt.



Digitized by Google

Debent etiam eſſe grauia verba in augendo, vt pro Milone; Sed tamen ex omnibus præmijs uirtutis, ſi eſſet habenda ratio præmiorum, ampliſſimum eſſe præmium gloriam, eſſe hanc vnam, quæ breuitatem vitæ, poſteritatis memoria conſolaretur, & quæ ſequuntur.

Plena ſunt illa, De me ſemper populus R. ſemper omnes gentes loquentur, nulla unquam obtumeſcet uetuſtas.

Sonantia, ut illa: Polluerat ſtupro ſanctiſsimas religiones, Senatus grauiſsima decreta perfregerat. & pro Plancio, Nec me ſolum deprecatorem fortunarum tuarum, ſed comitem ſociumque profitebor.

Iuncta uerba dicuntur compoſita quæ maiorem ſonum habent, & uehementius mouent, ut contrucidare, pertimeſcere, pro Plãcio, Omnia tibi illorum laborum præmia pro me perſoluturos.

Facta dicuntur, quæ orator ipſe fingit, ut acrius & vehementius dicat, etiam ſi noua ſint, & inuſitata. Qua in re notatus fuit etiam Demoſthenes ab Aeſchine quod quædam uerba dura, odioſa, & intolerabilia proferret, vt in oratore ad Brutum ait Cicero. Ipſe Cicero tertio Epiſtolarum ad Appium ſcribens ita inquit, vllam Appietatem, aut Lentulitatem ualere apud me plus, quàm ornamenta uirtutis exiſtimas? duo enim uerba quaſi contemptionis gratia finxit.

Cognomina dicuntur ea uerba, quæ eandem habent ſignificationem, quæ ſæpè in amplificatione conglobantur, ut pro Milone, Hæc tanta uirtus ex hac urbe expelletur, exterminabitur, eijcietur? & pro Cn. Plancio, Quid me áſpectas? Quid mea promiſſa repetis? quid meam fidem imploras? prima in Catilinam, Abijt, exceſsit, euaſit, erupit.

Non uulgata ea intelligimus, quæ ſupra uulgarem ſermonem efferuntur, ne humilis fiat oratio, ſed ſublimis ſit, ut pro Milone, Quas ille præceps amentia, cæſis proſtratiſque ſanctiſsimis lucis ſubſtructionum inſanis mobilibus oppreſſerat.

Superlata uocantur ea, quæ ueritatem excedunt, & plus dicunt, quam reipſa eſſe poſsit, ut pro Milone, O terram illam beatam, quæ hunc uirum exceperit, hanc ingratam, ſi eiecerit, miſeram, ſi amiſerit. Pro Archia poeta, Saxa & ſolitudines uoce reſpondent, beſtiæ ſæpè immanes cantu flectuntur atque conſiſtunt.

Tranſlata multum ualent in augendo, ut pro Milone, Et quidem cæteras tempeſtates, & procellas in illis dũtaxat fluctibus concionum ſemper putaui Miloni eſſe ſubeundas. Item, cum omnes à ſuis inimicis faces inuidiæ meæ ſubijciantur. Item, omnes in me meoſque redundant ex illo fonte dolores. Sed hæc frequentiſsima ſunt. NEC IN SINGVLIS VERBIS, SED IN CONTINENTIBVS SOLVTA) Diſſolutum, uel diſiunctio uocatur, cum plura membra ſine coniunctione proferuntur, & ita diſſoluuntur ut

unum-

unumquodque membrum ſuum uerbum habeat, & ſuum integrum ſenſum: ut pro Milone; Me patria expulerat, bona diripuerat, domum incenderat, liberos, coniugem meam uexauerat, Cn. Pompeio nefarium bellum indixerat. Aliquando in ſingulis uerbis fit ſolutio, ut pro Milone, Cum illa indicia cōmunis exitij indagaui, patefeci, protuli, extinxi. Hæc autem ſoluta ſine ulla coniunctione dicuntur, ut plura eſſe uideantur. Sic Cicero, Nos penates, aras, focos, ſepulchra maiorum, nos leges, iura, libertatem, coniuges, liberos, patriam defendimus, M. Antonius id molitur, id pugnat, ut hæc omnia perturbet, euertat.

## Augent etiam relata verba, iterata, duplicata.

Relata verba multis modis intelliguntur; Primò cum paria paribus referuntur, vt pro Milone, Eſt enim hæc Iudices non ſcripta, ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſsimus, ad quam non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus. Secundò cum contraria contrarijs referuntur, vt pro P. Seſtio, Sed mihi omnis ratio eſt cum virtute, non cum deſidia, cum dignitate, non cum voluptate; Pro Milone; Non enim inimici mei te mihi eripient, ſed amiciſsimi, non malè aliquando de me meriti, ſed ſemper optimè. Tertiò cum ad vnum verbum multi caſus referuntur, vt pro A. Cluentio, Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia, quæ exornatio dicitur adiunctio.

Iterata vocamus ea, quæ ſæpius initio membrorum repetuntur, vt pro Milone, Caruit foro poſtea Pompeius, caruit Senatu, caruit publico. Item vbi nunc Senatus eſt, quem ſecuti ſumus? vbi equites Romani illi, illi, inquit, tui? vbi ſtudia municipiorum? vbi Italiæ voces.

Duplicata dicimus illa quæ geminantur, vt vos vos appello fortiſſimi viri, valeant (inquit) valeant ciues mei. excitate excitate eum, ſi poteſtis, ab inferis.

## Et ea, quæ aſcendunt gradatim ab humilioribus verbis ad ſuperiora.

Hoc appellatur incrementum, cum paulatim aſcendit oratio ab humilioribus verbis ad ſuperiora, vt pro Milone; Capere eius amentiam ciuitas, Italia, prouinciæ, regna non poterant. Item, valeant ciues mei, ſint incolumes, ſint florentes, ſint beati,. Item, vt P. Clodius non modò viueret, ſed etiam Prætor, Conſul, Dictator eſſet. Verum vnum huius

huius rei pulcherrimum eſt exemplum in ſeptima actione contra Verrem, quod etiam Quintilianus admiratur, vbi ita Cicero inquit, Facinus eſt vinci ciuem Romanum, ſcelus verberari, propè parricidium necari, quid dicam in crucem tolli? Pro Cn.Plancio ita aſcendit. Hos pro me lugere, hos gemere, hos decertare pro meo capite vel vitæ periculo velle videbam, de eorum deſiderio, luctu, querelis quotidie aliquid tecum ſimul audiebam.

Omninoq́ue ſemper quaſi naturalis, & non explanata oratio, ſed grauibus referta verbis, ad augendum accommodatior.

Concludit ea, quæ ad verborum amplificationem pertinent, tribus potiſsimum rebus contineri.

Primò vt ſit oratio quaſi naturalis, non fucata, non diſsimulatrix, ſed quæ veros affectus indicet, vt pro Milone, Quid reſpondebo literis meis, qui te parentem alterum putant? Quid tibi Quinte frater, qui nunc abes, conſorti mecum temporum illorum?

Secundò vt non ſit explanata, ſed quodammodo interciſa, & præ dolore interrupta, vt, Quid iam reſtat? quid habeo, quid dicam. quid faciam pro tuis in me meritis? niſi vt eam fortunam, quæcumque erit tua, ducam meam. Terentius in Eunucho, Egone illam? quæ me? quæ illum? quæ non? mori me malim.

Tertiò, vt grauibus verbis ſit referta, grauia vero ſunt, aſpera, moleſta, odioſa quodammodo, vt ſunt lachrymæ, luctus, acerbitates, ſquallores, exterminationes, exilia, fugę, dimicationes capitis, vt, Quid me reducem eſſe voluiſtis? an vt inſpectante me expellerentur ij, per quos eſſem reſtitutus. nolite obſecro vos pati mihi acerbiorem reditum eſſe, quam fuerit ille ipſe diſceſſus, & reliqua.

Hæc igitur in verbis, quibus actio vocis, vultus, & geſtus congruens, & aptè ad animos permouendos accommodata eſt.

Non ſatis eſt verba ad amplificandum eſſe accommodata, niſi etiam actio & pronunciato vehemens & acris accedat. Eſt enim actio quaſi vita orationis, quæ niſi congruens fuerit, & apta ad animos permouendos, reliqua omnia quamuis in oratore præclara fuerint, parum adiuuant. Tria vero ſunt quæ in actione ſpectantur, vox, vultus, & geſtus, quæ ſi mouere animos debent, oportet vt vox ſit flebilis, vul-

tus

Digitized by Google

tus mæſtus, geſtus miſerabilis, atque hæc in defendendo: in accuſando autem vox intenſa & vehemens, vultus iratus, geſtus minarum plenus eſſe debet, quæ vt fiant opus eſt, vt prius orator intra ſe talem animum concipiat, qualem in auditoribus concitare deſiderat. Hoc eſt quod ait Horatius in Arte.

*Si vis me flere, dolendum eſt*
*Primùm ipſi tibi, tùm tua me infortunia lædent.*

Sed & in uerbis, & in actione, cauſa erit tenenda, et pro re agenda. Nam hæc quia uidentur perabſurda, cum grauiora ſunt, quàm cauſa, diligenter ferè, quid quemque deceat, iudicandum eſt.

Quia non in omnibus cauſis eadem eſt ratio mouendorũ affectuum, ideo docet hoc in loco Cicero, debere oratorem benè cauſam tenere, & diligenter conſiderare, quid ea poſtulet, vt poſsit, quid deceat, verè iudicare; Cum enim grauiora ſunt verba, quam cauſa poſtulet, aut actio pronunciatioque vehementior, tunc potius riſum quàm miſericordiam, aut indignationem mouet orator. Hoc eſt quod ait Lib. 6. inſt. ora. Quintilianus, nam in paruis quidem litibus has tragędias mouere tale eſt, quale ſi perſonam Herculis, & Cothurnos aptare infantibus velis. Et M. Antonius ſic ait; Equidem primum conſiderare ſoleo, po- Lib. 2. de orat. ſtulet ne cauſa; nam neque paruis in rebus adhibendæ ſunt hæ dicendi faces, neque ita animatis hominibus, vt nihil ad eorum mentes oratione flectendas proficere poſsimus, ne aut irriſione, aut odio digni putemur, ſi aut tragędias agamus in nugis, aut conuellere adoriamur ea, quæ non poſſunt commoueri. Sic in oratore ad Brutum, Quam enim indecorum eſt, de ſtillicidijs cum apud vnum iudicem dicas, ampliſsimis verbis & locis vti communibus, de maieſtate vero populi R. ſummiſſe, & ſubtiliter? in omnibus rebus videndum eſt quatenus.

Rerum amplificatio ſumitur eiſdem locis omnibus, quibus illa, quæ dicta ſunt ad fidem, maximeque definitiones ualent conglobatæ, & conſequentium frequentatio, et contrariarum, et diſſimilium, et inter ſe pugnantium rerum conflictio, et cauſæ, et ea, quæ ſunt de cauſis orta, maximeque ſimilitudines,

dines, et exempla, ficta etiam perſonæ, multa denique loquantur.

Iam de verborum amplificatione dictum eſt, nunc ad rerum amplificationem tranſit, quam ait ex iiſdem locis ſumi ſolere, quibus illa, quæ ad probandum & fidem faciendam pertinent. Cum amplificatio nihil aliud ſit, quam vehemens quædam argumentatio; numerat tamen hoc in loco Cicero locos vndecim, qui frequentiores ſunt in amplificatione, maximamque mouendi animos vim habent.

Primus eſt, cum definitiones ſiue deſcriptiones conglobatæ ponuntur: vt pro Milone in peroratione conglobatam gloriæ deſcriptionem ita ponit, Eſſe hanc vnam quæ breuitatem vitæ poſteritatis memoria conſolaretur, quæ efficeret, vt abſentes adeſſemus, mortui viueremus, hanc denique eſſe cuius gradibus homines in cælum videantur aſcendere. In eadem oratione, curiæ incendium ita per definitiones conglobatas amplificat. Templum ſanctitatis, amplitudinis, mentis, conſilij publici, caput vrbis, aram ſociorum, portum omnium gentium, ſedem ab vniuerſo populo R. conceſſam vni ordini, inflammari, excindi, funeſtari. M. Antonius ſecundo de Oratore ſic amplificando laudat hiſtoriam; Hiſtoria eſt teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuncia vetuſtatis.

Secundus locus eſt, cum frequentatio conſequentium ponitur, hoc eſt, cum ea proferuntur mala, quæ conſecutura ſunt, quod in perorationibus frequentiſsimè Cicero facit, vt pro Milone, Quid reſpondebo liberis meis, qui te parentem alterum putant? quid tibi Q. Frater, qui nunc abes, conſorti mecum temporum illorum? & reliqua. pro L. Murena, Si (quod Iupiter omen auertat) hunc ueſtris ſententijs afflixeritis, quò ſe miſer uertet, domumnè, ut eam imaginem clariſsimi uiri parentis ſui, quam paucis ante diebus laureatam in ſua gratulatione conſpexit, eandem deformatam ignominia, lugentemque uideat? an ad matrem? quæ miſera modo conſulem oſculata filium ſuum, nunc cruciatur, & ſolicita eſt, ne eundem paulo poſt ſpoliatum omni dignitate conſpiciat. Sed quid ego matrem aut domum appello? quem noua pœna legis & domo, & parente, & omnium ſuorum conſuetudine conſpectuque priuat, ibit igitur in exilium miſer? quo? & quæ ſequuntur.

Tertius locus eſt cũ ponuntur contraria, ut pro L. Murena, Habet magnũ dolorem, unde cum honore diſceſſeris, eodem cum ignominia reuerti. Pro Milone, Non enim inimici mei, te mihi eripient, ſed amiciſsimi, non malè aliquando de me meriti, ſed ſemper optimè. Tale eſt illud, cedere patria ſeruatorem eius, manere patriæ proditores?

Quartus

Quartus locus eſt cum adhibentur diſsimilia, ut pro M.Cælio, Neque enim poteſt, qui hominem conſularem, quòd ab eo Remp. uiolatam diceret, in iudicium vocarit, ipſe eſſe in Rep. ciuis turbulentus, non poteſt qui ambitu ne abſolutum quidem patitur eſſe abſolutum, ipſe impunè unquàm eſſe largitor. In Verrem, Sic habete iudices plures à Syracuſanis iſtius aduentu deos, quam uictoria Marcelli homines eſſe deſideratos. Pro Milone, Me non potuiſſe Milonis ſalutem tueri per eoſdem, per quos noſtram ille ſeruaſſet?

Quintus locus eſt à repugnantibus, ut pro Milone, Nam qui poſſum putare me reſtitutum eſſe, ſi diſtrahor ab ijs, per quos reſtitutus ſum? Pro L. Murena, Ne L. Murenæ recentem gratulationem noua lamentatione obruatis. Item pro Milone, Hiccine uir patriæ natus uſquam, niſi in patria morietur, aut ſi fortè pro patria, huius vos animi monumenta retinebitis, corporis in Italia nullum ſepulchrum eſſe patiemini?

Sextus à cauſis ducitur, pro Milone. Negat enim ſe, negat, ingratis ciuibus feciſſe quæ fecerit, timidis & omnia circumſpicientibus pericula non negat, plebem & infimam multitudinem quæ P. Clodio duce, fortunis veſtris imminebat, eam, quo tutior eſſet vita veſtra, ſe feciſſe commemorat, vt non modo virtute flecteret, ſed etiam tribus ſuis patrimonijs deliniret.

Septimus ab ijs quæ ſunt orta de cauſis, quæ effecta vel euenta nominantur, vt pro Milone, Fortes & ſapientes viros, non tàm præmia ſequi ſolere rectè factorum, quàm ipſa rectè facta, ſe nihil in vita, niſi præclariſsimè feciſſe, ſi quidem nihil ſit præſtabilius viro, quàm periculis patriam liberare. Tertia actione in Verrem; Niſi libidini tuæ cupiditatique paruerit, immitentur homines, expugnabuntur domus, ciuitates non modò pacatæ, verùm etiam ſociorum atque amicorum, ad vim atque ad arma confugient, vt ab ſe, atque a liberis ſuis, legati populi R. ſcelus atque libidinem propulſare poſſint.

Octauus locus a ſimilitudine trahitur, vt pro Milone, Etenim ſi in gladiatorijs pugnis, & in infimi generis hominum conditione, atque fortuna, timidos, & ſupplices, &, vt viuere liceat, obſecrantes, etiam odiſſe ſolemus, fortes, & animoſos, & ſe acriter ipſi morti offerentes ſeruare cupimus, eorumque nos magis miſeret, qui noſtram miſericordiam non requirunt, quam qui illam efflagitant, quanto hoc magis in fortiſsimis ciuibus facere debemus? pro Archia poeta, Saxa & ſolitudines voce reſpondent, beſtiæ ſæpè immanes cantu flectuntur atque conſiſtunt, nos inſtituti rebus optimis, non poetarum voce moueamur?

Nonus locus ab exemplis, quæ plurimùm mouere ſolent, vt pro Archia poeta, ſtatim poſt ſimilitudinem exempla ſubiungit hoc modo,

Ee Home-

Homerum Colophonij ciuem eſſe dicunt ſuum, Chij ſuum vendicant, Salaminij repetunt, Smyrnæi vero ſuum eſſe confirmant, itaque delubrum etiam eius in oppido dedicauerunt, permulti alij præterea pugnant inter ſe, atque contendunt, ergo illi alienum, quia poeta fuit, poſt mortem etiam expetunt, nos hunc viuum, qui & voluntate & legibus noſter eſt, repudiabimus?

Decimus locus a fictis perſonis, quæ proſopopæa Græco nomine vocantur, & Latinè conformationes à Cornificio, vt pro M. Cælio ſenex ille Appius cæcus a mortuis excitatur, & inducitur, vt Clodiam turpibus amoribus deditam reprehendat. Et pro Milone Cicero facit ipſum Milonem ita loquentem, Valeant (inquit) valeant ciues mei, ſint incolumes, ſint florentes, ſint beati, & reliqua.

Vndecimus locus eſt, cum muta loquentia inducuntur, vt prima in Catilinam actione, patriam loquētem facit, Etenim (inquit) ſi mecum patria, quæ mihi vita mea multo eſt carior, ſi cuncta Italia, ſi omnis Reſp. loquatur, M. Tulli quid agis? & quæ ſequuntur. Ex his locis omnibus vehemens dicitur amplificatio, ſed non omnes tamen ſemper in vnam orationem cadunt, orator igitur pro loco, proque tempore ſuo arbitrio & iudicio his vtetur.

Omninoque ea ſunt adhibenda, ſi cauſa patitur, quæ magna habentur, quorum eſt duplex genus. Alia enim magna natura uidentur, alia uſu: natura ut cæleſtia, ut diuina, ut ea, quorum obſcuræ cauſæ, ut in terris, mundoque admirabilia quæ ſunt, ex quibus, ſimilibusque ſi attendas, ad augendum permulta ſuppetunt.

Magna eſt cauſarum varietas, nam aliæ ſunt preſſæ, & humiles, quæ ſummiſsè tractandæ ſunt, aliæ mediocres, quæ temperatum & æquabile dicendi genus deſiderant, aliæ denique ſublimes, quæ poſtulant ea, quæ magna habentur, ergo in amplificatione, inquit Cicero, ſi cauſa patitur, ſemper ea ſunt adhibenda, quæ magna putantur. Ea vero ſunt in duplici genere, quoniam alia propter naturam ſuam magna videntur; alia propter vſum. Quæ natura magna ſunt, ea ſolent admirationem ingentem in animis noſtris concitare, qualia ſunt cæleſtia, hoc eſt ea, quæ in cœlo fiunt, ut cometæ, lampades, tonitrua, tempeſtates, cæteraque eius generis. Item diuina, vt oracula, vaticinationes, reſponſa aruſpicum, & ea, quorum ſunt obſcuræ cauſæ, vt terræ motus, ter-

ræ hiatus,

Digitized by Google

ræ hiatus, inſoliti ſtrepitus, monſtra, prodigia, portenta, defectiones Solis, & Lunæ, præter conſuetudinem. Hoc amplificationis genere, Cicero vtitur in fine orationis de Reſpōſis Aruſpicum. Etenim (inquit) hæc Deorum immortalium vox, hæc penè oratio iudicanda eſt, cum ipſe Mundus, cum agri, terræ motu quodam nouo contremiſcunt, & inuſitato aliquid ſono, incredibilique prædicunt. Nec in oratione pro Milone prætermiſit hoc tam graue genus amplificationis cum ita ait, Non eſt humano conſilio, ne mediocri quidem iudices, Deorum immortalium cura, res illa perfecta. Religiones mehercule ipſæ, aræque, cum illam belluam cadere viderunt, commouiſſe ſe videntur, & ius in illo ſuum retinuiſſe, totusque ille locus: eſt enim longus & grauiſsimus. Reducuntur autem hæc, quæ natura magna ſunt, ad tria genera, hoc eſt cæleſtia, diuina, & quorum ſunt obſcuræ cauſæ, quæ omnia Virgilius primo Georgicorum, vbi Cæſaris mortem defleт, accuratè perſecutus eſt.

Nam primo cœleſtia ſigna ponit, cum ita de ſole ait.

*Ille etiam, extincto miſeratus Cæſare Romam.*
*Cum caput obſcura nitidum ferrugine texit.*
*Impiaque æternam timuerunt ſecula noctem.*

Et paulò poſt illa etiam addit cœleſtia.

*Non alias cælo ceciderunt plura ſereno.*
*Fulgura, nec diri toties arſere cometæ.*

Deinde ponit etiam diuina, cum inquit.

*Vox quoque per lucos vulgo exaudita ſilentes.*
*Ingens, & ſimulacra modis pallentia miris.*
*Viſa ſub obſcurum noctis, pecudesque locutæ.*

Tum ea, quorum ſunt obſcuræ cauſæ.

*Armorum ſonitum toto Germania Cælo.*
*Audijt, inſolitis tremuerunt motibus alpes.*

Et paulò poſt. *Nec tempore eodem.*
*Triſtibus aut extis fibræ apparere minaces.*
*Aut puteis manare cruor ceſſauit, & alte.*
*Per noctem reſonare lupis vlulatibus vrbes.*

Vſu, quæ videntur hominibus aut prodeſſe, aut obeſſe vehementius, quorum ſunt genera, ad ampli-



Digitized by Google

ficandum tria. Nam aut caritate mouentur homines, vt deorum, vt patriæ, vt parentum, aut amore, vt fratrum, vt coniugum, ut liberorum, ut familiarium, aut honeſtate, ut uirtutum, maximéque earum, quæ ad communionem hominum, & liberalitatem ualent.

Docuit, quæ propter naturam ſuam magna ſint, nunc ea docet, quæ ſint vſu magna; Et primo definit vſu magna dici, quæ vel magnam vtilitatem, vel magnum detrimentum hominibus afferre poſſunt, vtilitatem, ſi retinentur & obſeruantur, detrimentum, ſi amittuntur & negliguntur. Ariſtoteles primo Rhetoricorum huius generis quinque ſpecies ponit, quæ ad ſtatum Reip. pertinent: hoc eſt de vectigalibus, de bello, & pace, de cuſtodia regionis, de ijs, quæ importantur, & exportantur, de legum latione; ſed hæc ad deliberatiuum genus potius pertinent. Cicero tria ponit hoc loco genera, quæ plurimum ad amplificandum valent, caritatem, amorem, honeſtatem. Caritas ea eſt, quæ etiam alio nomine pietas dicitur, & græco nomine εὐσέβεια nominatur, & eſt obſeruantia, qua Deos, patriam, parentes veneramur. His enim tribus omnium plurimum debemus. Sed tamen obſeruantia in Deos proprie religio dicitur, quæ iuſtitiæ prima pars habetur, in patriam vero & parentes, pietas. Cicero primo de officijs, Cari ſunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares, ſed omnes omnium caritates patria vna complexa eſt, pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, ſi ei ſit profuturus? & paulo poſt. Principes ſunt patria & parentes. Maximè igitur in cauſis animi iudicum & auditorum permouentur, ſi quæ ad Deos immortales, quæ ad patriam, quæ ad parentes attineant, tractare videbitur orator: quibus exemplis plenæ ſunt Ciceronis orationes. Amor vero minus eſt, quam caritas, ſed eam tamen proxime ſubſequitur. Is oſtenditur in fratres, coniuges, liberos, familiares, amicos, quos plurimum amare debemus, ideo vehementer etiam horum recordatione mouetur animus. Honeſtas commune genus omnium virtutum eſt, vt prudentiæ, iuſticiæ, fortitudinis, temperantiæ, quæ magnæ quidem omnes habentur, ſed illæ præcipue, quæ non proprias, ſed alienas commoditates ſequuntur. Et ideo ab Ariſtotele dicuntur alienæ virtutes, qualis eſt iuſticia, & beneficentia, qua (vt ait Cicero) nihil eſt naturæ hominis accommodatius.



Digitized by Google

Ex ijs & cohortationes ſumuntur ad ea retinenda, & in eos, à quibus ea uiolata ſunt, odia incitantur, & miſeratio naſcitur.

Poſt quàm explicuit ea, quæ magna habentur, deinceps oſtendit, quomodo, quibuſque in rebus orator eis vtatur.

Primo enim res magnæ plurimum valent ad cohortandum, & inflammandum, vt earum ratio habeatur, & ſumma diligentia retineantur.

Deinde concitatur in illos odium, qui res eas violare auſi fuerint, tum earum miſeratione mouentur animi: quarum rerum exempla paſsim occurrunt. Ac primo quidem cohortationes ex rebus magnis ſumuntur ad eas retinendas, vt quarta in Catilinam actione, Quare P. C. conſulite vobis, proſpicite patriæ, conſeruate vos, coniuges, liberos. fortunaſque veſtras, populi Rom. nomen, ſalutemque defendite. & paulo poſt; Quare P. C. incumbite ad Reip. ſalutem, circumſpicite omnes procellas quæ impendent, niſi prouidetis. pro P. Seſtio, Hęc imitamini per Deos immortales, qui dignitatem, qui laudem, qui gloriam quæritis, hæc ampla ſunt, hæc diuina, hæc immortalia, hæc fama celebrantur, monumentis annalium mandantur, poſteritati propagantur: & infra, in eadem oratione, Amemus patriam, pareamus Senatui, conſulamus bonis, præſentes fructus negligamus, poſteritati & gloriæ ſeruiamus, id eſſe optimum putemus, quod erit rectisſimum, & quæ ſequuntur.

Secundo odia incitantur contra illos, a quibus res magnæ violatæ ſunt, vt pro Milone contra Clodium, Polluerat ſtupro ſanctisſimas religiones, Senatus grauisſima decreta perfregerat, pecunia ſe palam à iudicibus redemerat, vexarat in tribunatu Senatum, omnium ordinum conſenſu pro Reip. ſalute geſta reſciderat, me patria expulerat, bona diripuerat, domum incenderat, liberos coniugem meam vexauerat. Huius generis plurima ſunt exempla contra Verrem, ſed pulcherrimum in ſexta actione de candelabro, quod Rex Antiochus Ioui Capitolino dare conſtituerat, niſi Verres illud ei rapuiſſet. Quæ uox (inquit) quæ latera, quæ vires, huius unius criminis querimoniam poſſint ſuſtinere? & reliqua.

Tertio ex his miſeratio naſcitur, ut actione tertia in Verrem de morte Philodami atque eius filij, conſtituitur in foro Laodiceæ ſpectaculum acerbum & miſerum, & graue toti Aſiæ prouinciæ, grandis natu parens adductus ad ſupplicium, ex altera parte filius, ille quod pudicitiam liberorum, hic quod uitam patris, famamque ſororis defenderet, flebat uterque non de ſuo ſupplicio, ſed pater de filij morte,

de patris

Digitized by Google

de patris filius. Interdum miſeratio cum indignatione miſcetur, ut in eadem oratione, Homo auariſſime & ſparciſſime, redde bona ſodalis filio, ſi non quæ abſtuliſti, & quæ confeſſus es, cur cogis ſodalis filium, hanc primam in foro vocem cum dolore, & querimonia emittere? &c.

Proprius locus augendi in his rebus aut amiſsis, aut amittendi periculo, nihil eſt enim tàm miſerabile, quàm ex beato miſer. Et hoc totum quidem moueat, ſi bona ex fortuna quis cadat, & à quorum caritate diuellatur, quæ amittat, aut amiſerit, in quibus malis ſit, futuruſuè ſit, exprimatur breuiter. Cito enim areſcit lachryma, præſertim in alienis malis.

Cui res illæ magnæ, de quibus diximus, adſunt, is beatus exiſtimatur: qui vero eis priuatus eſt, aut cum haberet, amiſit, miſer habetur. Itaque proprius hic eſt locus augendi, cum aliquem oſtendit orator, aut eas res iam amiſiſſe, aut eſſe in amittendi periculo: quoniam nulla res eſt, quæ maiorem excitare poſſit miſeratione͂, quàm cum aliquis prius erat beatus, deindè fit repente miſer. Cum igitur animos mouere vult orator, enumerare debet quam breuiſsimè mala omnia, in quibus ſit ille conſtitutus, pro quo miſerationem cupit excitare, ut à quam bona fortuna deciderit, à quibus diuellatur, quæ ſint illa quæ amittat, aut quæ iam amiſerit, quæ mala patiatur, aut poſteà paſſurus ſit. Sed hæc ideo breuiter exprimi debent, quoniam lachrymæ diu durare non ſolent, præſertim cum ob aliena mala concitantur, horum omniũ exempla multa ſunt apud Ciceronem, ut de rebus amiſsis pro P. Sylla, Cum huic omnia cum honore detracta ſint, cum in hac fortuna miſera, ac luctuoſiſsima deſtitutus ſit, quid eſt, quod expetas amplius? lucis ne hanc uſuram eripere vis, plenam lachrymarum atque mœroris? in qua cum maximo cruciatu atque dolore retinetur: Et paulo poſt, O falſam ſpem, ò uolucrem fortunam, ò cæcam cupiditatem, ò præpoſteram gratulationem, quam cito illa omnia ex lætitia & voluptate, ad luctum & lachrymas reciderunt? De amittendi periculo pro L. Flacco, Miſeremini familiæ iudices, miſeremini patris, miſeremini filij, nomen clariſſimum, & fortiſſimum uel generis, vel vetuſtatis, uel hominis, cauſa Reip. reſeruate. NIHIL EST ENIM TAM MISERABILE) ut pro P. Sylla, Omnia Iudices hæc amiſſa

ſunt,

ſunt, omnia generis, nominis, honoris inſignia, atque ornaměta vnius iudicij calamitate occiderunt, & infra: vt, Qui paulo ante conſul deſignatus fuiſſet, retineret repentè nullum veſtigium priſtinæ dignitatis. Docet autem Cicero commiſerationem breuem eſſe debere, vt magis animos feriat, & ne auditor ab eo, quem cœperat impetu (quod ait Quintilianus) ad rationem redeat. CITO ENIM ARESCIT) Idem de Inuentione ſic ait, Comotis autem animis, diutius in conqueſtione morari non oportebit, quemadmodum enim dixit Rhetor Apollonius, lachryma nihil citius areſcit, aiunt periti lachrymas è cordis euaporatione prouenire, cor enim in dolore vehementius commouetur, & conſtringitur, quo fit vt oculis ſtatim lachrymæ ſuboriantur, & cum primum cordis motio ceſſat, etiam lachrymæ manare deſinunt. Lib. 1. de Inuent.

Nec quicquam in amplificatione nimis enucleandum eſt: minuta eſt enim omnis diligentia, hic autem locus grandia requirit.

Non tantùm quæ ſequenda ſint in amplificatione, ſed etiam quæ fugienda perſequitur. Dat igitur hoc præceptum ne in amplificatione ſigillatim omnia recenſere velimus, ſed ea prætermittamus, quæ parua eſſe videntur, quoniam amplificatio magna tantùm deſiderat: at vero qui diligens eſſe voluerit, vt etiam minima dicat, neceſſe eſt. Illa autem enucleatio, & minuta diligentia, narrationi potius & confirmationi conuenit, quibus in partibus res ſingulæ ſubtiliter excutiuntur. ſed in amplificatione grandia tantum adhibenda ſunt, vt ſupra declaratum eſt.

Illud iam eſt iudicij, quo quaque in cauſa genere utamur augendi. In illis enim cauſis, quæ ad delectationem exornantur, ii loci tractandi ſunt, qui mouere poſſunt expectationem, admirationem, uoluptatem.

Quoniam magna eſt cauſarum varietas, ideo iudicium eſt adhibendum, vt etiam vario amplificandi genere vtamur: Aliud enim amplificandi genus exornatio requirit, aliud cohortatio, aliud iudicium. Nam exornatio ſiue laudatio, quæ ad delectationem refertur, eos am-

plificandi

plificandi locos poſtulat, vnde expectatio, & admiratio, & voluptas excitari poſsit.

Expectatio tunc excitatur cum auditoris animus ſuſpenſus detinetur, vt exitum rei noſſe deſideret.

Admiratio naſcitur ex magnis præclarè geſtis rebus.

Voluptas ex ſummarum virtutum commemoratione, atque ex optato ac notabili fine. His amplificationis generibus Cicero multis in locis vtitur, ſed præcipue pro Lege Man. vbi Pompeium exornat.

Expectationem mouet hoc modo, Iam vero virtuti Cn. Pompeij quæ poteſt par oratio inueniri? quid eſt, quod quiſquam aut dignum illo, aut vobis nouum, aut cuiquam inauditum poſsit afferre? Item à bello prædonum expectationem mouet, cum ita inquit; Hoc tantum bellum, tàm turpe, tàm vetus, tàm latè diuiſum atque diſperſum, quis vnquam arbitraretur, aut ab omnibus Imperatoribus vno anno, aut omnibus annis, ab vno Imperatore confici poſſe.

Admirationem ibi concitat, Proh Dij immortales, tantà ne vnius hominis incredibilis ac diuina virtus, tàm breui tempore lucem afferre Reip. potuit, vt vos qui modo ante hoſtium Tyberinum claſſem hoſtium videbatis, ij nunc nullam intra Oceani oſtium prædonum eſſe audiatis? Rurſus ibi, Ita tantum bellum, tàm diuturnum, tàm longe lateque diſperſum, quo bello omnes gentes ac nationes premebantur, Cn. Pompeius extrema hyeme apparauit, ineunte vere ſuſcepit, media æſtate confecit: eſt hæc diuina atque incredibilis virtus Imperatoris, & cætera.

Voluptas eſt in illa virtutum amplificatione, vnde illam tantam celeritatem, & tam incredibilem curſum initum putatis? non enim illum eximia vis remigum, aut ars inaudita quædam gubernandi, aut venti aliqui noui tàm celeriter in vltimas terras pertulerunt, ſed hæc res, quæ cæteros remorari ſolent, non retardarunt, non auaritia ab inſtituto curſu ad prædam aliquam reuocauit, non libido ad voluptatem, non amœnitas ad delectationem, non nobilitas vrbis ad cognitionem, non denique labor ipſe ad quietem.

## In cohortationibus bonorum & malorum enumerationes, & exempla ualent plurimum.

Quoniam deliberationis finis, eſt vtilitas, ideo quæ vtilitatem afferũt, amplificanda ſunt. Eſt autem vtiliſsimum bona acquirere, & mala deuitare; amplificationis genere pro L. Manilia plurimum vtitur Cicero, cũ enumerat ea, quæ propter bellũ Mithridatis in diſcrimen veniant. Agitur enim populi Romani gloria, quæ vobis à maioribus cùm

magna

Digitized by Google

magna in rebus omnibus, tùm ſumma in re militari tradita eſt, agitur ſalus ſociorum atque amicorum, pro qua multa maiores veſtri, magna & grauia bella geſſerunt, aguntur certiſsima populi R. vectigalia & maxima, quibus amiſsis & pacis ornamenta, & ſubſidia belli requiretis: aguntur bona multorum ciuium, quibus eſt à vobis, & ab Imperatoribus Reip. conſulendum. Poſtea vero ab exemplis maiorum confirmat eſſe bellum cum Mithridate ſuſcipiendum; Maiores veſtri ſæpè mercatoribus ac nauiculatoribus iniurioſius tractatis, bella geſſerunt, & quæ ſequuntur. pro P. Seſtio cohortationem & exempla commiſcet hoc modo, Quare imitemur noſtros Brutos, Camillos, Halas, Decios, Curios, Fabricios, Maximos, Scipiones, Lentulos, Aemylios, innumerabiles alios, qui hanc Remp. ſtabiliuerũt, quos equidem in Deorum immortalium cętu, ac numero repono, amemus patriam, pareamus Senatui, conſulamus bonis, & reliqua.

In iudicijs accuſatori ferè quæ ad iracundiam, reo plerumque quæ ad miſericordiam pertinent: nonnunquam tamen accuſator miſericordiam mouere debet, & defenſor iracundiam.

Frequentiſsimè quidem fit in iudicijs, vt accuſator in amplificatione quærat iudices ad iracundiam concitare, defenſor autem ad miſericordiam reuocare. Sed interdum tota ratio commutatur: hoc eſt, vt accuſator miſericordiam moueat, & defenſor iracundiam excitet. Exempla paſsim occurrunt, vt actione ſeptima in Verrem Cicero accuſator, concitat iracundiam hoc modo; Potero ſilere Hortenſi? potero diſsimulare? cum tantum Reſp. vulnus acceperit, vt expilatę prouinciæ, vexati ſocij, Dij immortales ſpoliati, ciues Romani cruciati, & necati, impunè me actore eſſe videantur? pro M. Cælio defenſor ita miſericordiam mouet. Conſtitutote vobis ante oculos huius etiam miſeri ſenectutem, qui hoc vnico filio nititur, in huius ſpe requieſcit, huius vnius caſum pertimeſcit, quem vos ſupplicem veſtræ miſericordiæ, ſeruum poteſtatis, abiectum non tàm ad pedes, quàm ad mores ſenſuſque veſtros, vel recordatione parentum veſtrorum, vel liberorum iucunditate ſubſtentate, & reliqua. Contra vero tertia in Verrem actione, accuſator miſericordiam mouet, conſtituitur in foro Laodiceæ ſpectaculum acerbum & miſerum, & grauæ toti Aſiæ prouinciæ, grandis natu parens adductus ad ſupplicium, ex altera parte filius, ille quod pudicitiam liberorum, hic quod vitam patris, famamque ſororis defenderet, flebat vterque, non de ſuo ſupplicio, ſed pater de filij mor

te, de patris filius. Quid lachrymarum ipſum Neronem putatis profudiſſe? quem fletum totius Aſiæ fuiſſe? quem luctum & gemitum Lampſacenorum? Pro Roſcio Am. defenſor iracundiam mouet, Per Deos immortales, quæ iſta tanta crudelitas eſt? quæ tàm fera immaniſque natura? quis vnquàm prædo fuit tàm nefarius, quis pirata tàm barbarus, vt cum integram prędam ſine ſanguine habere poſſet, cruenta ſpolia detrahere mallet? & quæ ſequuntur.

Enumeratio reliqua eſt, nonnunquam *laudatori, ſuaſori* non ſæpè, accuſatori ſæpius, quàm reo *neceſſaria*. Huius ipſa tempora duo ſunt, ſi aut memoriæ diffidas eorum, apud quos agas, vel interuallo temporis, vel longitudine orationis, aut frequentatis firmamentis orationis, & breuiter expoſitis, uim eſt habitura cauſa maiorem.

Iam de altera perorationis parte dictum eſt, quæ fuit amplificatio, nũc ad alteram accedit, quæ Latinè enumeratio, Græcè ἀνακεφαλαίωσις dicitur, cùm ea quæ ſparſim in tota oratione dicta fuerunt, breuiter repetuntur, & enumerantur. Hæc autem omnibus cauſis adhiberi poteſt. Sed accuſatori præcipuè conuenit, qui quaſi ſub unum aſpectum omnia ponere crimina ſtudet. Duabus vero de cauſis fit enumeratio; Primò vt memoria reficiatur, ſi aut interuallum fuerit temporis, aut oratio longior; Deindè ut maior orationis vis adhibeatur. Igitur ſuaſor cùm memoriæ diffidit eorum, apud quos agit, vel interuallo temporis, vel longitudine orationis, tunc enumeratione vti debet, quod egregiè Cicero pro lege Man. facit, cum ita concludit; Quare cum & bellum ità neceſſarium ſit, vt negligi non poſſit, ità magnum, ut accuratiſsimè ſit adminiſtrandum, & cum ei Imperatorem præficere poſſitis, in quo ſit eximia belli ſcientia, ſingularis virtus, clariſsima auctoritas, egregia fortuna, dubitabitis Quirites, quin hoc tãtum boni quod a Dijs immortalibus oblatum, & datum eſt, in Remp. conſeruandam atque amplificandam conferatis? Hoc præceptores frequenter facere debent, ut breuiter enumerent ea, quæ docuerunt, quo melius memoriæ diſcipulorum affigantur. quod M. Antonius ſecundo de Oratore ſignificat. Debent etiam accuſatores vt frequentatis firmamentis orationis, cauſa uim habeat maiorem, & iudices ſcelerum enumeratione magis incitentur. Cicero pro P. Quintio repetit omnia firmamenta, quibus in tota cauſa docuerat Quintium Sex. Neuio nihil debuiſſe,



Digitized by Google

buiſſe, quæ enumeratio ſatis longa eſt: ſeptima actione in Verrem tribus verſiculis enumerat, quæ in omnibus libris accuſationum Verri obiecerat, cum ita inquit, Potero diſsimulare, cum tantum Reſp. vulnus acceperit, vt expilatæ prouinciæ, vexati ſocij, Dij immortales ſpoliati, ciues Rom. cruciati & necati, impunè me actore eſſe videantur?

Et reo rarius utendum eſt, quod ponenda ſunt contraria, quorum diſſolutio in breuitate latebit, aculei pugnent. Sed erit in enumeratione uitandum, ne oſtentatio memoriæ ſuſcepta, uideatur eſſe puerilis. Id effugiet, qui non omnia minima repetet, ſed breuia ſingula attingens, pondera rerum ipſa comprehendet.

Rationem affert, cur reus enumeratione rarius vti debeat: quoniam opus erit ei contraria etiam ponere, quæ deinde breuiter diſſoluere non poterit. Crimina enim audita ac renouata, tanquàm aculei mentes iudicum pungent, neque poſteà tempus erit medicinæ faciendæ, cum ſingula iam longa oratione fuerint refutata. Illud etiam (inquit) vitandum erit, ne pueriliter memoriam oſtentare velimus, quod fiet, ſi tantùm ſumma rerum capita repetiuerimus, non autem minima quæque. Illud autem ſcire profuerit, non tãtùm in peroratione poſſe nos enumeratione vti, ſed etiam in alijs partibus, vt ſi confirmationem exempli gratia in tres, aut quatuor partes diuiſerimus, vnaquaq; parte confirmata, licebit breuiter argumentationum capita repetere, vt pro lege Man. totam orationem diuidit in genus belli, in magnitudinem, & Imperatorem: primam partem ita per enumerationem concludit; Quare videte, num dubitandum uobis ſit, omni ſtudio ad id bellum incumbere, in quo gloria nominis veſtri, ſalus ſociorum, vectigalia maxima, fortunæ plurimorum ciuium cum Rep. defendũtur. Secundam hoc modo, Quantum illud bellum futurum putetis, quod coniungant reges potentiſsimi, renouent agitatæ nationes, ſuſcipiant integræ gentes, nouus Imperator veſter accipiat, vetere expulſo exercitu. Tertiam denique partem ita concludit, vt hæc omnia breuiter enumeret, quemadmodum ſupra diximus.

C.F. Quoniam & de ipſo oratore, & de oratione dixiſti, expone eum mihi nunc, quem ex tribus ex-

*tremum propoſuiſti, quæſtionis locum. C. P. duo ſunt (ut initio dixi) quæſtionum genera, quorum alterum finitum temporibus & perſonis, controuerſiam & cauſam appello, alterum infinitum, nullis neque perſonis, neque temporibus notatum, propoſitum uoco. Sed eſt conſultatio, quaſi pars cauſæ quædam, & controuerſiæ, ineſt enim infinitum in definito, & ad illud tamen referuntur omnia.*

Tertiam partem doctrinæ dicendi aggreditur, quæ eſt quæſtio, in qua vniuerſa eſt rhetoricæ materia. Eſt autem quæſtio, propoſitio quæ in vtramque partem diſputari poteſt.

Sed cum tria ſint propoſitionum genera, ſicuti primo Topicorum docet Ariſtoteles, logicum, ciuile, & phyſicum, propoſitio rhetoricæ quæſtiones, maiori ex parte ciuiles amplectitur, ſicuti rectè conſert Hermogenes. Eſt autem duplex hæc rhetorica quæſtio, infinita & definita; aut enim generatim de re aliqua quæritur, ſine ulla perſonarum, aut temporum, aut locorum commemoratione, vt adminiſtranda ne ſit Reſp. an uxor ſit ducenda, an philoſophiæ danda ſit opera: Et hæc dicitur quæſtio infinita, & generalis, & communis, dicitur etiam propoſitum, & conſultatio, & græco nomine θέσις: Aut ſigillatim de vna perſona, vel pluribus certis quærimus, vt an Cato Remp. adminiſtrare debeat, an Romani Corinthũ ſint euerſuri, an Roſcius patrem interfecerit, & hæc dicitur quæſtio finita, & cauſa, & controuerſia, & quæſtio ciuilis, & Græco nomine ὑπόθεσις. Sed aliqui fuerunt, qui illam quæſtionem infinitam, procul ab oratoris facultate remotam eſſe cenſuerunt, quod etiam Hermogenes ſentit, qui in hunc ſenſum ſcribit; Nam quod verè generatimque honeſtum aut vtile ſit, aut res huiuſmodi quærere, non ad artem rhetoricam pertinet. Verum magis hac in re magiſtro optimo Ciceroni, quam alijs rhetoribus credendum eſt; licet enim principaliter orator cauſam conſideret, tamen ſemper eſt ipſa cauſa ad propoſitum traducenda, quemadmodum docet M. Antonius ſecundo de Oratore, latius enim licet de genere, quam de parte diſputare. Cauſa ſingulas tantum perſonas, & indiuidua quæ græcè ἄτομα dicuntur continet, conſultatio vero ſpecies & genere complectitur. Neceſſe eſt enim aut de toto genere ſiue ſpecie ſit quæſtio, vt puniendi ne ſint peculatores, & hæc eſt conſultatio, aut de vna re vel perſona, vel pluribus certis, vt an puniendus

ſit Verres

Digitized by Google

ſit Verres peculator, vel quæſtores ærarij peculatores, & hæc appellatur cauſa. Sed cur ait Cicero conſultationem eſſe quaſi cauſæ partem? & infinitum in definito eſſe? atque ad illud tamen omnia referri? hæc ſupra iam à nobis explicata fuerunt, vbi docuimus cauſam componi ex conſultatione, & circumſtantijs, ſicut homo componitur ex animali & ratione. Quatenus igitur ad definitionem pertinet, animal eſt hominis pars quædam, quia dicimus, homo eſt animal particeps rationis, ita conſultatio eſt quædam cauſæ pars, quia cauſa eſt conſultatio certis perſonis & temporibus definita, atque hoc modo verum eſt, quod ait Cicero, infinitum ineſſe in definito: veruntamen ad conſultationem ſiue propoſitum omnia referuntur, quia nulla cauſa ſine propoſito probari poteſt: vt pro Milone conatur Cicero probare Clodium iure fuiſſe interfectum, quia fuit inſidiator, certè hoc nullo modo probari poſſet, niſi planum eſſet, omnes inſidiatores iure interfici poſſe. Nam hæ propoſitiones generales natura priores ſunt, & præſtantiores, quàm ſint ſingulares, atque ab eis vis omnis probationis emanat, & hoc eſt, quod dialectici dicunt, ex ſolis ſingularibus propoſitionibus, nihil neceſſario concludi poſſe.

Quam obrem prius de propoſito dicamus, cuius genera ſunt duo, cognitionis alterum, eius ſcientia eſt finis, vt veri ne ſint ſenſus: alterum actionis, quod refertur ad efficiendum quid, vt ſi quæratur, quibus officijs amicitia colenda ſit.

Cum iam declarauerit quid propoſitum ſit, & quomodo à cauſa diſtinguatur, nunc oſtendit quot ſint propoſiti genera; quæ duo eſſe ait, alterum cognitionis, alterum actionis. Cum enim homo duabus de cauſis natus ſit, ſicuti dixit Ariſtoteles, hoc eſt ad intelligendum & agendum; hæc etiam duo ſibi proponere debet, & quærere, quomodo rectè intelligere, & quomodo agere poſſit; quo fit, vt duo ſint conſultationis genera, quorum alterum ad cognitionem, alterum ad actionem pertinet.

Cognitionis quæſtio illa eſt, cuius finis eſt ſcientia, & ad nullam actionem refertur, quæ non oratorum, ſed philoſophorum propria eſſe videtur, vt veri ne ſint ſenſus? an Mundus ſit æternus? Quæ ſit terræ magnitudo? vnde gigantur pluuiæ? cæteræque eius generis. Actionis quæſtio communis eſt philoſophorum & rhetorum, & eſt ea, quæ refertur ad aliquid efficiendum, vt an bellum gerendum ſit? an no-

an nouæ leges ferendæ? an parenti ſit anteponenda patria. Cicero duo ponit exempla, quæ magis philoſophiam, quam rhetoricam attingunt. Primum ad cognitionem pertinet, veri ne ſint ſenſus: Alterum ad actionem, quibus officijs amicitia colenda ſit. De primo variæ fuerunt antiquorum ſententiæ, quidam enim philoſophi, nullum eſſe veritatis iudicium in ſenſibus opinabantur, vt Academici, quorum opinionem in Lucullo defendit acuratiſsimè Cicero, vbi probare contendit, nihil omnino percipi poſſe, nihil cognoſci, nihil intelligi, ſed omnia craſsis tenebris eſſe occultata, & (vt *Democritus* aiebat) veritatem in profundo merſam, adeò vt Anaxagoras *niuem eſſe* nigram affirmaret, quamuis nobis candidiſsima videatur, quia ſenſus oculorum nos decipit, aquam enim, vnde nix oritur, nigram eſſe dicebat. Verum Epicurus, & qui eum ſequebantur, nunquam ſenſus decipi cenſebant, & omnia qualia re vera ſunt, talia nobis videri, atque ideo Solem eſſe pedalem, aut paulo maiorem affirmabant, quia tantus oculis noſtris eſſe videtur. Ariſtoteles tanquam honorarius arbiter, horum controuerſiam ita diſſoluit, vt partim veros eſſe ſenſus, partim falſos eſſe dicat, prout res eis vel propriæ vel communes obijciuntur. Sunt enim res quædam ſingulorum ſenſuum propriæ, quæ ab eo tantùm ſenſu percipiuntur, cuius propriæ ſunt, vt color viſus proprium eſt obiectũ, vox auditus, odor olfactus, ſapor guſtus, calor & frigus, & ſiccitas & humor, tactus. Itaque ſi ſenſuum inſtrumenta benè fuerint affecta, nunquam in his ſenſus decipietur, vt tactus non putabit id eſſe frigidum quod eſt calidum, neque id eſſe ſiccum, quod eſt humidum, eodem modo guſtus non dicet id eſſe dulce, quod eſt amarum, atque ita de reliquis: quo fit vt in rebus proprijs ſenſus ſint veriſsimi. Verum ſunt etiam res quædam multis ſenſibus communes, in quibus facile ſenſus decipi poſſunt, qualis eſt magnitudo, figura, numerus, motus, quies. Nam hæc quinque numerat Ariſtoteles, quæ multis ſenſibus communia ſint. Quare facile poteſt oculus decipi in magnitudine procul poſita. Sol enim multis partibus maior eſt, quam videatur, ſicut etiam reliquæ ſtellæ: quin videtur nobis Sol quodammodo quieſcere, cum tamen velociſsimè moueatur, quoniam in motu & quiete ſenſus decipitur, Secundum exemplum Ciceronis ad actionem pertinet, quibus officijs amicitia colenda ſit. A. Gellius ſcribit quæſitum à Philoſophis fuiſſe, An præter iuſtitiam ſit amicus adiuuandus, & quouſque & quibus in rebus? Chilo Lacedæmonius vnus è ſeptem ſapientibus, falſum pro amici ſalute conſilium dedit, ſed an iure reprehendi poſſet, dubitauit, Pericles cum ab eo quidam amicus petiuiſſet, vt pro ſe peieraret, dixit, oportet me quidem amicis auxiliari, ſed ad aras vſque. Theophraſtus paruam infamiam pro amico ſubeundam cenſet, ſi inde amico magna naſcatur vtilitas.

Lib. 2. de Ani.

l. 1. Noct. Attic.

Digitized by Google

vtilitas. Cicero librum de Amicitia ſcripſit elegantiſsimum in quo ea omnia diligenter explicat, quæ ad hanc quæſtionem attinent.

Rurſus ſuperioris genera ſunt tria, ſit nec ne, quid ſit, quale ſit, ſit nec ne, ut ius in natura ſit, an in more? quid autem ſit, ſit ne ius id, quod maiori parti ſit utile? quale autem ſit, iuſtè uiuere ſit nec ne utile?

Ad cognitionem alicuius rei tria requiruntur; Primo vtrum ea res ſit, an non ſit, quæ coniecturæ quæſtio dicitur; Deinde quid ſit, hoc eſt quæ ſit eius natura, & hæc definitio appellatur; poſtremò qualis ſit, bona ne an mala, iuſta an iniuſta, quæ ratio, vel qualitas dicitur. Si quis autem hæc tria perceperit, plenam atque perfectam rei cognitionem habebit, vt ecce aliquis vult cognoſcere ius, primò quærit an ſit ius in natura, an in more, hoc eſt hominum conſuetudine? deindè ſit ne ius id, quod maiori parti ſit vtile? poſtremò ſit nec ne vtile, iuſtè viuere? Hæ vero quæſtiones, quas de iure ponit hoc in loco Cicero, partim ex Gorgia Platonis, partim ex libris de Rep. ſumptæ ſunt. Sunt enim qui putent iura ipſa, non à natura, ſed tantum ab hominum conſuetudine profluxiſſe. Qua in opinione Callides eſt in Gorgia Platonis: At vero Socratis & Platonis ſententia eſt, ab ipſa natura omne ius emanare, quod primo libro de legibus Cicero copioſè docet, vbi legem ita definit; Lex eſt ratio ſumma inſita in natura, quæ iubet ea, quæ facienda ſunt, prohibetque contraria, & alibi ſic ait; Nihil eſt profectò præſtabilius, quàm planè intelligi nos ad iuſtitiam eſſe natos, neque opinione, ſed natura conſtitutum eſſe ius. Statuunt igitur ſapientes in natura ius eſſe, non in opinione: & ita prima iuris quæſtio ſoluitur. Altera eſt, an ius ſit id, quod maiori parti ſit vtile: Nam Thraſymachus apud Platonem primo de Rep. ius eſſe definit id, quod principibus & potentioribus eſt vtile, eò quòd principes arbitrio ſuo, leges & iura conſtituunt: At vero Callides in Gorgia putat leges ac iura potius ab imbecilliori multitudine fuiſſe reperta, vt viros fortes metu legum reprimeret. Sed re vera ſapientes viri, ius ipſum à natura ſumptum ità definiuerunt, vt id eſſe ſtatuerent, quod maiori parti ſit vtile, quodque æquitatem & bonitatem continet. Tertio de qualitate iuris quæritur, an vtile ſit iuſte viuere? vocat hoc in dubium Traſymachus apud Platonem primo de Rep. qui putat ſummam iniuſtitiam, eſſe remomnium vtiliſsimam, cum quis iniuſtus eam facultatem habet, vt ſeipſum tueri ac defendere poſsit, qualem poteſtatem nonnulli tyranni ſibi acquiſiuerunt: iuſtè autem viuere prorſus inutile eſſe cenſet, quoniam iuſtus vir omnibus in rebus in-

iuſto

iuſto videtur eſſe inferior, & minus lucri facit. Sed poſtea Socrates in eiſdem libris oſtendit, vtiliſsimum eſt iuſtè viuere. Siquidem vera vtilitas nunquam ab honeſtate ſeparatur.

Actionis autem duo ſunt genera; Vnum ad perſequendum aliquid, aut declinandum, vt quibus rebus adipiſci gloriam poſſis, aut quomodo inuidia vitetur; Alterum quod ad aliquod commodum vſumque refertur, vt quemadmodum ſit Reſp. adminiſtranda, aut quemadmodum in paupertate uiuendum.

Platonis eſt hæc diſtinctio, in humanis actionibus tria eſſe rerum genera: Quædam enim bona ſunt, quæ perſequi debemus, vt honeſtas, honor, gloria; Quædam quæ declinanda ſunt ac fugienda, quia mala, vt turpitudo, infamia, inuidia; quædam vero media, quæ ad aliquod commodum vſumque referuntur, vt diuitiæ, paupertas, adminiſtratio Reip. Hinc fit vt in actionibus duo quæſtionum genera naſcantur; Primum eſt, cum de aliqua re quęrimus, vtrum perſequenda ſit an fugienda: Secundum eſt, cum de rei alicuius vſu commodoque diſſerimus. Primi generis, hoc loco duo ponuntur exempla; Alterum quibus rebus adipiſci gloriam poſsimus, quod ſanè Cicero duobus libris explicuerat, quos de gloria ſcripſit, ſed illi temporum iniuria perierunt, ſecundo tamen libro de Officijs hic locus ſatis copioſe tractatur. Ibi enim docet ſummam, & perfectam gloriam ex tribus his conſtare, ſi diligit multitudo, ſi fidem habet, ſi cum admiratione quadam, honore dignos putat. Amor (inquit) multitudinis commouetur ipſa fama & opinione liberalitatis, beneficentiæ, iuſtitiæ, fidei, omniumque earum virtutum, quæ pertinent ad manſuetudinem morum atque facilitatem. Fides vt habeatur duabus rebus, effici poteſt, ſi exiſtimabimur adepti coniunctam cum iuſtitia prudentiam. Admiratione afficiuntur ij, qui anteire cæteris virtute putantur, & cùm omni carere dedecore; tùm vero ijs vitijs, quibus alij non facilè poſſunt obſiſtere. Secundum exemplum eſt, quomodo inuidia vitetur, quod facilè fit comitate, modeſtia, & affabilitate, & ſi nullum appareat in nobis arrogantiæ veſtigium. Secundi generis etiam duo ſunt exempla, primum quemadmodum Reſp. ſit adminiſtranda, quod in ciuili ſcientia docetur, quæ græco nomine Politica vocatur: de qua libros octo ſcripſit Ariſtoteles, Plato decem, Cicero ſex; Hæc ſcientia prin-

Digitized by Google

tia princeps aliarum omnium ſcientiarum ab Ariſtotele dicitur, quæ docet, iuſtitia, bonis legibus, prudentia, & fortitudine Remp. adminiſtrare. Secundum exemplum eſt, quomodo ſit in paupertate uiuendum. Fuerũt enim quidam Philoſophi, qui magis paupertatem, quàm diuitias adamarent, vt Crates Thebanus, Democritus Abderites, Anaxagoras Clazomenius, quin Arceſilas dixit, paupertatem aſperam quidem eſſe quemadmodum Itacham, ſed bonam iuuenum nutricem, vt quæ aſſuefaciat frugalitati & abſtinentiæ, & omnino quædam ſit omnis virtutis exercitatio. Aelianus ſcribit omnium optimos græcorum fuiſſe pauperrimos, Ariſtidem, Phocionem, Epaminondam, Pelopidam, Lamachum, Socratem. tales etiam apud Romanos fuerunt, Curius, Fabricius, Camillus, & multi alij, qui cum facilè diuitias multas accumulare poſſent, tamen neglexerunt. In Xenophontis conuiuio Charmides interrogatus à Socrate, qua in re potiſſimum gloriaretur, reſpondit, Ego in paupertate valdè glorior, cui Socrates, in re ſanè perquàm gratioſa. Diogenes Cynicus, cum ei quidam paupertatem exprobraſſet, nullum, ait, vnquàm ob paupertatem torqueri vidi, propter malitiam vero pluries: idem dicere ſolebat, paupertatem eſſe virtutem, quæ ſine doctore percipitur. Sic autem eſt in paupertate viuendum, vt noſtro nos pede metiamur, quod præcipit Horatius, & ne lucri cauſa quicquam iniuſtè faciamus, ſed Ciceronis præceptum illud ſeruemus, qui ita inquit; Nec vero amplificatio rei familiaris nemini nocens vituperanda eſt, ſed fugienda eſt ſemper iniuria, nam illa ſumma cupiditas, & habendi ſitis, ſemper fugienda eſt; neque enim vnquam expletur, nec ſatiatur cupiditatis ſitis, vnde veriſſimè Iuuenalis dixit.

*Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit.*

ſed qui paucis contentus eſt, etiam ſi pauper habeatur, tamen longè felicius viuit, quàm qui ditiſſimi ſunt, & plura ſemper appetunt.

Rurſus autem ex cognitionis conſultatione, ubi ſit, nec ne ſit, aut fuerit, futurum ne ſit, quæritur; Vnum genus eſt quæſtionis, poſſit ne aliquid effici: vt cum quæritur, ecquiſnam perfectè ſapiens eſſe poſſit? Alterum quemadmodum quicq. fiat, vt quonam pacto uirtus pariatur, naturà ne, an ratione, an uſu? Cuius generis ſunt omnes in quibus

vt in obſcuris, naturalibusque quæſtionibus, cauſæ rationesque rerum explicantur.

Prima cognitionis quæſtio eſt, in qua, ſit nec ne, res quæritur, quæ conſtitutio coniecturalis vocatur, in hac tria cõſiderari tempora poſſunt, præſens, præteritum, & futurum: Atque hæc quæſtio in duo genera diuiditur, primum posſit ne fieri, ſecundum quomodo, aut unde fiat. Quoties enim aliquid aggredi conſtituimus, primò cogitandum eſt, an id fieri poſſit: quod ſi nullo modo fieri poteſt: *conſilium eius abijciendum* eſt, ſin autem poſſe fieri conſtet, modum & rationem *quærere* opus eſt, qua fiat.

Primi generis eſt hoc exemplum, ecquiſnam perfectè ſapiens eſſe posſit? quam quæſtionem tertio de Officijs Cicero ſoluit, & concludit, nullum hominem perfectè ſapientem eſſe poſſe, & ſecundo de Diuin. ait. ſæpius mulam peperiſſe arbitror, quam ſapientem fuiſſe. Socrates in Apologia, Deus (inquit) ſolus eſt ſapiens, humana vero ſapientia parui cuiuſdam, vel potius nullius precij eſt. In Hippia minore *Plato* ait, hominum omnium ſapientisſimum, ſi cum Deo conferatur, tanquam ſimiam quandam eſſe. In extrema Phædri parte, Magnum quiddam (inquit) mihi certè videtur o Phædre, ſapientem appellari, nomenque hoc Deo ſoli conuenire. Patet igitur nullum hominem perfectè ſapientem eſſe poſſe.

Secundum exemplum eſt, quemadmodum uirtus pariatur? quoniã huius rei variæ ſunt Philoſophorum ſententiæ. nam aliqui putant a natura uirtutem prouenire, aliqui a doctrina & ratione, aliqui ab vſu & exercitatione. Stoici putabant hominem ita a natura formatum, vt ad omnem virtutem aptus ſit. Cicero ait, nihil tam conſentaneum eſſe naturæ, quam virtutem, & in Officijs docet, virtutem à natura ipſa originem habere, ſed ratione & vſu confirmari. Ariſtoteles probat nullam moralem virtutem eſſe naturalem, quia quæ naturalia ſunt, mutari nullo modo poſſunt, ſed uirtus modo acquiritur, modo amittitur. (Li. 2. Eth.) Plato in Protagora, virtutem neque natura, neque ſponte ſua mortalibus innaſci tradit, ſed doctrina atque exercitatione percipi. Itaque concludi poteſt, nos quidem à natura ſemina quædam & principia uirtutum habere, ſed à doctrina, atque exercitatione, incrementa & amplificationes. Ad hanc quæſtionem, quo modo quicque fiat, referuntur (ait Cicero) ea omnia, quæ de obſcuris rerum cauſis naturales Philoſophi ſolent indagare. vt quomodo Lunæ eclipſis fiat? vnde fulmina & tonitrua gignantur? vnde tremor terris? qua ui maria alta tumeſcant? & plurima eius generis.



Digitized by Google

**Illius autem generis, in quo quid ſit id, de quo agitur, quæritur, duo ſunt genera, quorum in altero diſputandum eſt. aliud an idem ſit, vt pertinacia, & perſeuerantia; in altero autem deſcriptio generis alicuius, & quaſi imago exprimenda eſt, ut qualis ſit auarus, aut quid ſit ſuperbia.**

In ſecunda cognitionis quæſtione, in qua, quid ſit id, de quo agitur, quæritur, duo conſiderari ſolent; primum aliud an idem ſit, ſecundum quæ ſit eius rei, de qua agitur, vis, atque natura. Hoc vel accidentium enumeratione fit, & deſcriptio dicitur, vel genere & proprietate, & dicitur definitio. Ac primò quidem cum diſputatur, aliud an idem ſit, vtrumque definiendum eſt; Nam apud Philoſophos hæc eſt vna maxima propoſitio, ut ea, quæ eandem habent definitionem, ipſa quoque ſint eadem; quæ diuerſam habent definitionem, ſint diuerſa, ut uirtus eadem eſt, quæ honeſtas, quoniam vtraque eſt habitus animi rationi conſentaneus, prudentia nō eſt eadem quæ iuſtitia, quoniam prudentia eſt rerum bonarum & malarum, & utrarumq; ſcientia, iuſtitia vero virtus eſt, quæ ius ſuum vnicuique tribuit. Exemplū Ciceronis eſt, an idem ſit pertinacia, & perſeuerātia, ſi quis utramque definiat, non eandem eſſe intelliget. Nam pertinacia vitium eſt, perſeuerantia uirtus, cum ergo ſint ſub contrario genere, non poſſunt idem eſſe. Perſeuerantia ita definitur à Cicerone; Perſeuerantia eſt in ratione benè conſiderata, ſtabilis & perpetua permanſio. Pertinacia vero mutato tantum uno verbo ſic definitur, Pertinacia eſt in ratione malè conſiderata, ſtabilis & perpetua permanſio. Cicero pro M. Cælio, Aliud eſt maledicere, aliud accuſare, accuſatio crimen deſiderat, rem ut definiat, hominem ut notet, argumento probet, teſte confirmet; maledictio autem nihil habet propoſiti præter contumeliam. Secundò quæritur vis atque natura rei, vel per accidentia, & euenta, vel per proprietates, ſi per accidentia vocatur deſcriptio, ut qualis ſit auarus, ſi per proprietates definitio dicitur, ut quid ſit ſuperbia. Qualis ſit auaritia pulcherrimè deſcribitur a Saluſtio hoc modo. Auaritia ſtudium pecuniæ habet, quam nemo ſapiens concupiuit, ea quaſi venenis malis imbuta, corpus animumque effœminat, ſemper infinita & inſatiabilis eſt, neque copia, neque inopia minuitur, Horatius ſic auarum depingit. Lib. 2. de Inu. Satyra 1.

*Tantalus a labris ſitiens fugientia captat*
*Flumina, quid rides? mutato nomine, de te*
*Fabula narratur, congeſtis vndique ſaccis.*



Digitized by Google

*Indormis inhians, & tanquam parcere ſacris*
*Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis.*

Superbia vero ſic definitur; Superbia eſt elatio animi præter rationem; vitium eſt modeſtiæ contrarium, & alio nomine dicitur arrogantia. Cicero primo de Officijs. Superbiam magnopere arrogantiamque fugiamus.

Tertio autem in genere, in quo quale ſit quæritur, aut de honeſtate, aut de vtilitate, aut de æquitate dicendum eſt. De honeſtate ſic, vt honeſtum ne ſit, pro amico periculum, aut inuidiam ſubire. De vtilitate autem ſic, vt ſit ne vtile, in Rep. adminiſtranda verſari. De æquitate vero ſic, vt ſit ne æquum, amicos cognatis anteferre.

Poſtquàm planum fuerit, rem eſſe, & declaratum fuerit quid ſit, reſtat vt quæratur etiam qualis ſit. In hoc autem genere, qualitas duobus modis conſideratur, aut per ſe, aut per collationem ad aliam qualitatem; per ſe, vt ſit ne res honeſta, ſit ne vtilis, ſit ne æqua: per collationem, vt ſit ne altera honeſtior, vtilior, æquior. Quæ quidem collatio poteſt etiam in pluribus fieri, vt quæratur quid honeſtiſsimum, aut vtiliſsimum, aut æquiſsimum ſit. Ac prius de qualitate per ſe, quæ eſt triplex, honeſtas, vtilitas, æquitas. Honeſtas ad animum tantum refertur, vtilitas ad victum humanum, æquitas ad vtrumque. Nam æquitas ea eſt, quæ propter clementiam interdum aliquid & à ſumma honeſtate, & ab vtilitate detrahit, & mitius agit quàm leges & iura poſtulent. Cicero ponit tres quæſtiones qualitatis per ſe;

Prima eſt, honeſtum ne ſit pro amico periculum, aut inuidiam ſubire? de qua tamen veri amici non dubitant, cum æquè ac ſeipſos amicos ament, nam Pythagoras voluit amicitiam eſſe æqualitatem, & amicum alterum ſe, vt ſi pro nobis ipſis periculum & inuidiam ſubimus, idem etiam pro amicis faciamus: imo reperti ſunt aliqui tàm fideles amicis, vt pro illis mortis periculum adire non dubitarent. Talis amicitia fuit inter Damonem & Pythiam, quorum vas factus eſt alter ſiſtendi alterius, vt ſi ille non reuertiſſet, moriendum eſſet ipſi.

Elegans Chryſippi dictum.

Secunda quæſtio eſt, ſit ne vtile in Rep. adminiſtranda verſari? Chryſippus aliquando interrogatus, cur non Remp. adminiſtraret? reſpondit,

Digitized by Google

reſpondit, quia mala adminiſtratio Deos, bona homines offendit. Plato exiſtimat ſapientem ad Remp. adminiſtrãdam, non, niſi coactum, acceſſurum. Siquis tamen rectè Remp. adminiſtret, ei maximam afferet vtilitatem. Et Plato tum demum fore beatas Reſp. dixit, cum aut ſapientes eas adminiſtrarent, aut qui adminiſtrant, ſapientum conſilio vterentur.

Tertia quæſtio eſt, ſit ne æquum, amicos cognatis anteferre? hoc certè per ſe non eſt æquum, quia gradus humanæ ſocietatis ſeruandi ſunt, vt qui nobis propinquiores ſanguine ſunt, eos reliquis anteferamus: ſed interdum poteſt æquum fieri, vt ſi amicus ille ſit excellens & probus vir, cognatus autem vilis & improbus. Sed hæ quæſtiones copioſius in libris de Officijs explicantur.

Atque in hoc eodem genere, in quo quale ſit, quæritur, exoritur aliud quoddam diſputandi genus. Non enim ſimpliciter ſolum quæritur, quid honeſtum ſit, quid utile, quid æquum; ſed etiam ex comparatione quid honeſtius, quid utilius, quid æquius, atque etiam quid honeſtiſſimum, quid utiliſſimum, quid æquisſimum; Cuius generis illa ſunt, quæ præſtantisſima ſit dignitas uitæ, atque ea quidem, quæ dixi, cognitionis ſunt omnia.

Expoſuit quomodo tractentur quæſtiones qualitatis per ſe; nunc aggreditur docere, quomodo per collationem ad aliam qualitatem. Nam primo de Officijs libro, docet ex Panetij Stoici ſententia, triplicem eſſe conſilij capiendi deliberationem, primam, honeſtùmne ſit an turpe id, de quo deliberatur, alteram, vtile an inutile, tertiam, cum vtile videtur cum honeſto pugnare. Quam diuiſionem ideo reprehendit, quoniam ſæpè fit, vt duobus propoſitis honeſtis, dubitemus vtrum ſit honeſtius, vt parentibus ne an patriæ ſit honeſtius opitulari? atque etiam duobus propoſitis vtilibus, vtrum ſit vtilius, vt mercaturæne operam dare ſit vtilius, an artem medicam exercere. eſt igitur hoc aliud diſputandi genus cum rerum qualitates inter ſe comparantur, hoc eſt, cum vel duas res conferimus inter ſe, vt præſtantior ne ſit iuſtitia an fortitudo, vel etiam plures, vt ſi quæratur, melius ne ſit rhetoricæ, an Mathematicis, an iuri ciuili, an medicinæ incumbere? Exemplum Ciceronis eſt, quæ præſtantiſſima ſit dignitas vitæ.

Hic

Hic enim omnia, quæ dignitatem aliquam afferre poſsũt, inter ſe comparantur, vt maior ne dignitas ſit in arte militari, & Imperatoria, an in adminiſtratione Reip. an in vita Philoſophica, an in religione, & ſi qua ſunt huiuſmodi. Quidam præſtantisſimum vitæ genus eſſe dixerunt, procul à ciuilibus negocijs in doctrinæ ſtudijs verſari, quod plurimi Philoſophi ſecuti ſunt, qua de re Cicero Platonem reprehendit. Alij vero contrà putant eſſe præſtantisſimum rectè Remp. adminiſtrare, qua in ſententia fuit Cicero, atque Ariſtoteles, qui ciuilem ſcientiam aliarum reginam appellat. Cicero in oratione pro L. Murena, ſic ait, Duæ ſunt artes, quæ poſſunt locare homines *in ampliſsimo gradu* dignitatis, vna Imperatoris, altera oratoris boni: ab hoc enim *pacis ornamenta* retinentur, ab illo belli pericula repelluntur. In principio *librorum* de Oratore videtur Cicero hanc ſoluere quæſtionem cũ ait, Perbeati fuiſſe Q. Frater illi videri ſolent, qui in optima Rep. cum & honoribus & rerum geſtarum gloria florerent, eum vitæ curſum tenere potuerunt, vt vel in negocio ſine periculo, vel in ocio cum dignitate eſſe poſſent. At vero Pythius Apollo beatisſimum omnium Aglaum Pſophidium, qui nunquam agri ſui fines exceſſiſſet, & ſua *ſorte* contentus vixiſſet, iudicauit. qui (vt ait Plinius) minima cupidine, minimum in vita mali expertus fuiſſet. Hæ ſunt cognitionis quæſtiones, quæ ad ſcientiam tantùm referuntur, & a Philoſophis præcipuè moralibus accuratè tractari ſolent.

Lib. 1. de offi.

Reſtant actionis, cuius alterum eſt præcipiendi genus, quod ad rationem officij pertinet, vt, quemadmodum colendi ſint parentes, alterum autem ad ſedandos animos, & oratione ſanandos, vt in conſolandis mæroribus, vt in iracundia comprimenda, aut in timore tollendo, aut in cupiditate minuenda. Cui quidem generi contrarium eſt diſputandi genus, ad eoſdem illos animi motus, quod in amplificanda oratione ſæpè faciendum eſt, vel gignendos, vel concitandos. atque ferè hæc eſt partitio conſultationum.

Omnes actionis quæſtiones vel ad officium, vel ad motum animorum pertinent. Quæſtio de ratione officij complectitur omnia illa, quæ tribus libris de Officijs explicantur à Cicerone, quibus nihil utilius eſt,

vel

Digitized by Google

vel ad honeſtè viuendum, vel ad dicendi copiam comparandam. Quę volumina cenſet Plinius ediſcenda eſſe, non modo in manibus habenda quotidie. Quæſtio de motu continet omnes animi permotiones, de quibus in Tuſculanis copioſè Cicero diſputat. In perturbationibus animorũ conſiderãtur affectus omnes, tam mitiores illi, quos Græci vocant ἤθη: quam grauiores qui πάθη dicuntur, qui aliquãdo ſedandi ſunt oratione, aliquando concitandi, vt in amplificatione fieri ſolet.

Primi generis, quod ad rationem officij pertinet, Cicero ponit hoc exemplum: Quemadmodum colendi ſint parentes. Latini parentes, non tantum patrem & matrem, ſed etiam auum & auiam, proauumq́; & proauiam appellauerunt, vt auctor eſt Caius iuriſconſultus, magna autem cum reuerentia & modeſtia colendi parentes ſunt. Nam (vt ait Hieronymus) meretur cæcitatis ſubire ſupplicium, qui parentum vultus toruo viſu deſpexerit, & elatis oculis læſerit pietatem. Ariſtoteles ait, Deis, parentibus, & magiſtris, parem gratiam referri non poſſe: tamen ita colendos eſſe parentes cenſent, ne propter eos religionem, aut patriam, aut honeſtatem lædamus; Horatius docet illum, qui recte aliquid ſcribere velit, oportere genera illa actionum optimè tenere, quæ ad rationem officij pertinent, ſic enim ſciet unicuique perſonæ, quæ conueniunt, accommodaré.

Li 9. Eth

In ar. poe.

Illud alterum genus actionis, quod ad motum animi pertinet, vel in ſedandis animis, & oratione ſanandis verſatur, vt cum aliquem conſolamur, in mœrore poſitum, cum iram eſſe comprimendam docemus, cum timorem eſſe abijciendum oſtendimus; vel contra in gignendis & concitandis affectibus, in quo uno regnat oratio, ſicut in oratore ad Brutum Cicero docet, & Quintilianus. Benè autem dixit Cicero ſanari animos oratione. Nam perturbationes ſunt tanquam morbi animorum, qui plures pernicioſioresque ſunt, quàm corporis. Sapiens autem oratio morbis illis medetur, vnde prouerbio dicitur, Animo ęgroto medicus eſt oratio. quod Iſocrates in Oratione de pace vſurpat. Quoties autem amplificare vult orator, tunc hos motus non ſedare, & ſanare, ſed gignere, & concitare in animis audientium contendat. Atque hactenus oſtenſum eſt, quomodo conſultationes diuidantur.

Lib. 6.

C. F. Cognoui, ſed quæ ratio eſt in his inueniendi, & diſponendi, requiro. C. P. Quid tu aliam ne eſſe cenſes, & non eandem, quæ eſt expoſita, ut ex eiſdem locis ad fidem, & ad inueniendum ducantur omnia? collocandi autem, quæ eſt expoſita in alijs ratio, eadem huc transfertur.

Poſtquam

Digitized by Google

Poſtquam filius intellexit, qua ratione genera conſultationum diuidantur, nunc à patre petit, quomodo ad inuentionem & diſpoſitionem accommodentur, hoc eſt, ſi tractandæ fuerint huiuſmodi quæſtiones, quomodo in eis argumenta poterunt inueniri, & qua ratione diſponi debeant, cui pater reſpondet, eandem eſſe rationem in conſultationibus inueniendi & collocandi, quæ in alijs etiam expoſita fuit. Superius enim iam de Inuentione & diſpoſitione multa verba fecit, ideo nos illuc reijcit, nam à locis, quos explicuimus, etiam in conſultationibus argumenta ducũtur, vt, à definitione, ab enumeratione partium, à notatione, à genere, à forma, & à reliquis. *Ita etiam eodem col lationis genere*, quo in alijs, in propoſitis vtimur. Eſt exemplum egregium apud Ciceronem in oratione pro Roſcio Am. ubi contra parricidas inuehitur, & oſtendit, quantum ſcelus ſit, patrem necare, quo in loco multa argumẽta, grauiter & copioſè ponit, & ingenioſè diſponit.

Cognita igitur omni diſtributione propoſitarum con ſultationum, controuerſiarum, cauſarum genera reſtant omnino. Et earum quidem forma duplex eſt, quarum altera delectationem ſectatur aurium, alterius, ut obtineat, probet, & efficiat, quod agit, omnis eſt ſuſcepta contentio.

De quæſtionibus infinitis ſatis dictum eſt, reſtat ut etiam de finitis quæſtionibus, quæ controuerſiæ & cauſæ dicuntur, verba faciat, quæ præcipuè tractantur ab oratore, ſed prius intelligendum eſt etiam ad cauſas referri quæſtiones illas tres, de quibus ſupra dictum eſt, an ſit, quid ſit, & quale ſit, vnde tres conſtitutiones cauſarum naſcuntur.

Nam quæſtio an ſit, coniecturis explicatur, vnde coniecturalis conſtitutio.

Quæſtio, quid ſit, definitione tractatur, vnde conſtitutio definitiua.

Quæſtio, quale ſit, iuſto & iniuſto determinatur, vnde conſtitutio iuridicialis. Quoniam autem omnis bona diuiſio, ſicut aiunt dialectici, debet eſſe bimembris, ideo Cicero cauſarum hoc in loco duplicem formam ſtatuit: Quarum una delectationem potiſsimum aurium ſequitur, & omnem ſuauitatem & iucunditatem orationis aucupatur, floresque dicendi, atque omnes lepores vndique delibat; Altera ſuſcipit omnem contentionem probandi gratia, & impellendi audientium animos, quocunque uoluerit. Itaque labor omnis oratoris duabus tantum in rebus occupatur, nempè ut delectet, & ut probet. Atque omnis cauſa ſemper ad alterum horum finium refertur, hoc eſt, uel ad delectationem, vel ad probationem.

Itaque

Digitized by Google

Itaque illud ſuperius exornatio dicitur, quod cum latum genus eſſe poteſt, ſaneque varium, vnum ex eo delegimus, quod ad laudandos claros uiros ſuſcepimus, & ad improbos uituperandos.

Genus illud cauſarum, quod aurium delectationem ſectatur, exornatio vocatur, vel laudatio, vel demonſtratiuum, in quo aliquid vel laudamus vel uituperamus, quod quidem genus latisſimum eſt, & maxime varium. Nihil eſt enim omnino, quod non vel laudare, vel vituperare posſimus, hoc eſt, de quo non liceat in vtramque partem diſputare. Neque enim hominum tantum & deorum laudes ſunt, ſed etiam aliarum rerum, & animantium, & anima carentium. Nam & urbes laudantur, vt Iſocrates in Panegyrico laudat Athenas, & Plato in Atlantico. & Ariſtides rhetor encomium Romanæ urbis conſcripſit. Ita Cicero pro lege Man. Aſiam laudat, Aſia uero tam opima eſt, & fertilis, vt & vbertate agrorum, & varietate fructuum, & magnitudine paſtionis, & multitudine earum rerum, quæ exportantur, facilè omnibus terris antecellat. Quarta vero Actione contra Verrem pluribus verbis egregiè prouinciam Siciliam laudat. Alciamas inſignis rhetor, orationem de laudibus Mortis ſcripſit, ut primo Tuſculanarum ait Cicero. Glauco iniuſtitiam laudauit; Fauorinus Therſitem & quartanam febrim; Syneſius Caluitium; Lucianus Muſcam, & artem paraſiticam. Denique nihil eſt, vt anteà dixi, quod non vel laudari, vel vituperari poſſit. Sed quia vera laus in virtutis actione conſiſtit, ut ait Cicero, & virtus hominis eſt propria, ideo rhetores frequentius homines, quàm cæteras res, vel laudant, vel vituperant, hinc funebres orationes apud Græcos primum inſtitutæ, ut ij laudarentur, qui pro ſalute patriæ mortem oppetiuerant. Hinc Panegyrici, in quibus non tantum ſinguli homines, ſed etiam totæ ciuitates laudabantur. In hoc genere præclarè verſatus eſt Iſocrates, cuius extant adhuc Euagoræ, Buſiridis, & Helenæ laudationes, & Panegyricus omnium pulcherrimus, in quo Athenienſes exornantur.

Genus enim nullum eſt orationis, quod aut uberius ad dicendum, aut utilius ciuitatibus eſſe poſſit, aut in quo magis orator in cognitione virtutum, uitiorumque uerſetur.

Exornationem ſiue demonſtratiuum genus Cicero vehementer laudat, quod ea omnia in ſe habeat, quæ in oratore præcipua ſunt, vbertatem, vtilitatem, honeſtatem. Ac primo quidem ait nullum eſſe genus vberius ad dicendum, quoniam non ad vnum tantum cauſæ genus pertinet, ſed ad omnia. Primò enim exornatio ſuum per ſe genus habet ab alijs ſeparatum, deinde per alia etiam genera ſpargitur. Nam nemo poteſt accuſare, quin vituperet: nemo defendere quin laudet, ita etiam in ſuaſione, & diſſuaſione ſæpe laudandum, & ſæpe vituperandum eſt. Quod Cicero facit pro L. Man. vt Pompeium magnoperè laudet, & in Philippicis, vt Antonium vituperet. *Hæc eſt cauſa, quare* in oratore ad Brutum Cicero dicat, exornationem eſſe quaſi *nutricem oratoris perfecti*, quoniam ab ea verborum copia alitur, & eorum conſtructio & numerus liberiore quadam fruitur licentia. Continet enim exornatio dulce genus orationis, & ſolutum, & effluens, ſententijs argutum, verbis ſonans, cuius nutrimentis educatur eloquentia. Deinde nullum dicendi genus vtilius ciuitatibus eſſe poteſt, quoniam eo viri probi extolluntur, & laudibus in cælum efferuntur, quo ſit vt ad eorum imitationem multi excitentur. Fuit enim hæc antiqua Romanorum conſuetudo, vt poſt conuiuia, præclarorum virorum laudes ad tibiam canerentur, vt ad eas imitandas iuuenes inflammarentur: quod in Originibus ſuis ſcripſit Cato. Quin etiam eadem facultate vituperatur improbitas, & ſumma ignominia afficitur, vt omnes ab ea refugiant, & recte viuendi rationem ſequantur, quo quid vtilius eſſe poteſt. Tum hoc in vno genere de virtutibus & vitijs verba facienda ſunt, quæ res ad honeſtè viuendum maximè pertinet. Neque poteſt orator hoc genus vllo modo benè tractare, niſi virtutum & vitiorum cognitionem teneat, quibus rebus fit, vt hoc genere dicendi, nullum ſit vberius, nullum vtilius, nullum honeſtius.

Reliquum autem genus cauſarum aut in prouiſione poſteri temporis, aut in præteriti diſceptatione uerſatur, quorum alterum deliberationis eſt, alterum iudicij. Ex qua partitione tria genera cauſarum extiterunt, unum, quod à meliori parte laudationis eſt appellatum, deliberationis alterum, tertium iudiciorum. Quamobrem de primo primùm, ſi placet, diſputemus.

Secunda cauſarum forma, quæ omnem contentionem ſuſcipit, vt obtineat, & probet, & efficiat, quod agit, bipartitò diſtribuitur. Aut enim

Digitized by Google

enim ad futurum tempus pertinet, aut ad præteritum. Si ad futurum, quoniam quid agendum ſit, aut non agendum conſideratur, & deliberatur, idcirco deliberatio vocatur: Si ad præteritum, quoniam de eo quod factum eſſe dicitur, aut non factum, iudicandum eſt, ideo iudicium appellatur. Atque hoc modo tria cauſarum genera fiunt.

Quorum primum laudatio, vel exornatio dicitur, quamuis enim in hoc genere non tantum laudare, ſed etiam vituperare ſoleamus, tamen à meliori parte nomen habet, & non vituperatio, ſed laudatio vocatur. Semper enim ab eo, quod præſtat & excellit, tota res appellatur. Atque hoc genus laudationis etiam reliquis duobus permiſcetur, vt docet Ariſtoteles.

Secundum genus eſt deliberationis, quod etiam deliberatiuum vocatur, & de illis rebus eſt, quæ in noſtra poteſtate ſitæ ſunt, vt eas vel agamus, vel dimittamus, & futurum tempus ſemper reſpicit.

Tertium genus eſt iudiciorum, & iudiciale dicitur, eaque complectitur, quæ in aliorum poteſtate ſita ſunt, & de præterito tempore tantum eſt. Primò igitur incipit de genere demonſtratiuo verba facere, quia primum eſt, & vberrimum, atque vtiliſsimum.

C. F. Mihi vero placet. C. P. Ac laudandi, vituperandique rationes, quæ non ad benè dicendum ſolum, ſed etiam ad honeſtè viuendum ualent, exponam breuiter, atque à principijs exordiar & laudandi, & uituperandi. Omnia enim ſunt profectò laudanda, quæ coniuncta cum uirtute ſunt, & quæ cum uitiis, uituperanda. Quamobrem finis alterius eſt honeſtas, alterius turpitudo.

Plurimæ ſunt vtilitates, quæ à ratione laudandi & vituperandi proficiſcuntur, ſed duæ præcipuæ, atque omnium maximæ. Quoniam ex hoc genere & benè dicere, & honeſtè viuere diſcere poſſumus: quorum alterum eloquentiam auget, alterum efficit, vt nos ipſi iure laudemur. Totum autem laudationis fundamentum eſt virtus, ſicuti vituperationis, vitium, reliqua vero omnia quodammodo media ſunt, quod ſi virtuti coniungantur, laudabiliorem virum efficiunt; ſi uitio, magis vituperandum. Quare genus, educatio, diuitiæ, magiſtratus, robur, pulchritudo, cæteraque huiuſmodi, ſi quis eis benè vtatur, & vir probus ſit, ad laudem augendã plurimùm valent; ſi vero improbus is, cui illa contigerũt, ad maiorẽ vituperationẽ accommodari poſſunt.



Digitized by Google

Porro is,qui hoc in genere verſatur, duos ſibi fines proponit, hoc eſt honeſtatem,ſi laudat, & turpitudinem, ſi vituperat. Quamuis enim demonſtratio non ſemper in quæſtione honeſti & turpis uerſetur, (ut ait Quintilianus) tamen hos ſibi fines proponit, ad quos omnia, quæ dicuntur, facilè referri posſint. Nihil enim omnino per ſe verè eſt laudabile,præter honeſtatem,nihil vituperabile, præter turpitudinem.Quamobrem imperitè faciunt illi, qui vel ignobilitatem,uel paupertatem,vel inualetudinem,vel deformitatem, vel cætera eius generis alicui obijciunt, niſi fortè vel eis malè utatur, vel propter culpam ſuam ea contraxerit, bene enim Vlyſſes apud Ouidium, cum Aiax il-

L.13.Met. li ignobilitatem obieciſſet, ita reſpondit.

*Nam genus & proauos, & quæ non fecimus ipſi,*
*Vix ea noſtra voco.*

Conficitur autem genus hoc dictionis, narrandis, exponendiſque factis, ſiue ullis argumentationibus, ad animi motus leuiter tractandos magis, quàm ad fidem faciendam, aut confirmandam accommodatè.non enim dubia firmantur, ſed ea, quæ certa,aut pro certis poſita ſunt, augentur. quamobrem ex iis, quæ ante dicta ſunt, & narrandi, & augendi præcepta repetentur.

Tota ferè exornandi ratio, conſtat ex narratione & amplificatione. Nam eius,quem laudamus uel uituperamus,facta narrantur, & exponuntur,non ita quidem, vt argumentationibus confirmentur, aut ea refutentur,quæ contra dici poſſunt, hoc enim ad iudicia pertinet: ſed ut tanquam certa & indubitata amplificentur. Quærit igitur potiùs orator in hoc genere leniter animi motus tractare, & exhilarare, quã fidem facere, & confirmare, neque enim dubia probare contendit, ſed quæ dicit, pro certis ponit & auget. Verum iam ſupra de narratione,& amplificatione multa dicta ſunt, itaque narrandi, & augendi præcepta ſunt inde repetenda. Proœmia vero libera ſunt, ut Quintilianus docet, adeo ut etiam remota ſint interdum à cauſa, vt Iſocrates in Helenæ encomio, proœmium a Sophiſtarum vituperatione duxit; in Euagoræ principio laudes eloquentiæ perſequitur, & præcipuè generis demonſtratiui: in Buſiride incipit a reprehenſione Polycratis.Narrationes ſunt ferè perpetuæ, quia ordine ſolet orator

expli-

explicare, quo genere ſit ortus is, quem laudat, quomodo educatus, quibus ſtudijs deditus, quas res geſſerit, quos honres, quas dignitates fuerit adeptus: & ſi mortuus eſt, quo genere mortis fuerit extinctus, quæ omnia ita narranda ſunt, vt ſingula amplificentur, quod egregiè facit Iſocrates in Euagora. Confirmationes in hoc genere non admodum requiruntur, quia pro certis & indubitatis omnia ponuntur: Neque refutationes adhibendæ ſunt, ne apologia fieri videatur. Quare narrationes tantum & amplificationes totam hac orationem conficiunt. Perorationes accomodantur, ad illos mitiores affectus commouendos, vt leniter auditores ad voluptatem afficiantur, non autem vt perturbentur, quamuis in vituperatione nonnunquam orator grauius exardeſcit, vt Philippica ſecunda Cicero, nam in eam orationem omnia ferè congeſsit, quæ in alicuius hominis vituperationem dici poſſunt. Qua de cauſa Iuuenalis eam diuinam appellauit, cum ita inquit.

*ridenda poëmata malo,*
*Quam te conſpicuæ diuina Philippica famæ*
*Volueris à prima, quæ proxima.*

Benè etiam Plinius genus hoc in laudatione tractauit, in eo Panegyrico, quem Traiano dixit.

Et quoniam in his cauſis omnis ratio ferè ad uoluptatem auditoris, & ad delectationem refertur, utendum erit his in oratione ſingulorum uerborum inſignibus, quæ habent plurimum ſuauitatis, id-eſt, ut factis uerbis aut uetuſtis, aut translatis frequenter utamur.

Docet quo genere elocutionis in demonſtratiuo genere vti debeamus. Nam, quia ferè ſolam auditorum delectationem orator in hoc genere quærit, eo genere elocutionis vti debet, quod voluptatem afferre poſsit. At vero in elocutione tria potiſsimum ſpectari ſolent, hoc eſt ſingula verba, conſtructio verborum, & numerus; de his omnibus tractat hoc loco Cicero, quo planum faciat, qua ratione plurimum ſuauitatis habere poſsit oratio. Primò igitur de ſingulis verbis agendum eſt. Singula (inquit) magnopere delectant, ſi fuerint vel facta, vel vetuſta, vel translata. Facta dicuntur, quæ ab ipſo oratore finguntur, quod Græci felicius quam latini faciunt. Neque hoc tempore nobis licet noua verba fingere, niſi forte res aliquæ nouæ extite-

rint,

Digitized by Google

rint, quæ nomine careant, antiqui multa noua protulere, cum in alijs rebus, tum præcipuè in laudando, vt Ennius, de Cor. Cethego, qui primus apud Romanos oratoris nomine dignus habitus fuit.

*Flos delibatus populi, ſuadeque medula.*

4. in uer. act. Et Cicero in laudibus Siciliæ, Sic populo Romano iucunda eſt ſuburbanitas huius prouinciæ. In Catone maiore de laudibus agriculturę, Terra ſemen, tepefactum complexu ſuo diffundit, & elicit herbeſcentem ex eo viriditatem. Vetuſta verba ſunt factis oppoſita, quæ (vt ait Quintilianus) afferunt orationi maieſtatem cum delectatione; modò ne ſint nimis crebra, aut ab ultimis repetita. Vetuſta ſunt illa Virgilij.

*Clara Deum ſoboles, magnum Iouis incrementum,*
& illa Ennij,
*Egregiè Cordatus homo Catus Aelius Sextus,*
*Is dicitur ollis popularibus olim*
*Qui cum viuebant homines atque ęuum agitabant,*
*Flos illibatus populi.*

Lib. 3. de Orat. Talia ſunt, proles, ſoboles, effari, nuncupari, rebar, opinabar, & alia multa, quibus loco poſitis (vt ait Craſſus) grandior atque antiquior oratio ſæpè videri ſolet. Tranſlata verba plurimum orationem illuſtrant, vt iam ſuprà copioſè demonſtratum eſt, ut in oratione pro lege Man. Nunc Imperij noſtri ſplendor illis gentibus lucet, & ad laudem plurimum valent, ut pro Milone, Delegit è florentisſimis ordinibus ipſa lumina. Sic vir excellens, dicitur decus & ornamentum Reip. ita claritas generis, ſplendor familiæ, lumen virtutũ, ardor mentis ad gloriam, fructus ingenij, ſpecimen animi, plurimaq; eius generis trãſlata maiorem in modũ orationem exornant, & iucundisſimam efficiunt.

Et in ipſa constructione verborum vt paria paribus, & ſimilia ſimilibus, ſæpè referantur, vt contraria, vt geminata, vt circumſcripta numeroſè non ad ſimilitudinem verſuum, ſed ad explendum aurium ſenſum, apto quaſi quodam verborum modo.

Nunc ad verborum copulationem & conſtructionem tranſit, in qua duo ſeruanda ſunt; primò ut uerba figurata ſint, deindè ut benè collocata.

Figurata in exornatione maximam habent venuſtatem, ſi ita conſtruantur, vt paria paribus, & ſimilia, & contraria & geminata ſæpè referantur, vt pro lege Man. Multa ſunt exempla. Ac primò paria pari-

bus

bus relata, ut illa, Labor in negocijs, fortitudo *in periculis*, induſtria in agendo, celeritas in conficiendo, conſilium in prouidendo. Similia ſimilibus relata ſunt illa, ut is, qui dignitate principibus excellit, facilitate par infimis eſſe videatur. Sunt qui paria referant ad numerum ſyllabarum, ſimilia vero ad ſimiliter cadentia, vel deſinentia, quæ in exornationem frequenter cadunt, vt paria ſint illa, Plura bella geſſit, quam cæteri legerunt, plures prouincias confecit, quam alij concupiuerunt. Similia vero illa, Quem ſocium defendiſtis? cui præſidio claſſibus veſtris fuiſtis? contraria ſunt illa, Non auaritia ab inſtituto curſu ad prędam aliquam reuocauit, non libido ad voluptatem, non amœnitas ad delectationem, non nobilitas vrbis ad cognitionem, non denique labor ipſe ad quietem. Geminata, vt illa, Fuit hoc quõdam, fuit propriũ populi R. Vidit hoc homo ſapientiſſimus, vidit dignitati ſuæ maximè conuenire. Sed huius generis floſculis totus vbiq. ſcatet Iſocrates.

Benè collocata verba dicuntur, quæ circumſcriptionem numeroſam habent, non quidem ad ſimilitudinem verſuum, quoniam hoc eſſet vitioſum, ſed ad aurium ſenſum explendum, vt nihil aut redundet, aut deſit. Eſt autem oratio ſuapte natura numeroſa, ſicut ait in Oratore Cicero, ſiue caſus habeat in exitu ſimiles, ſiue paribus paria reddantur, ſiue opponantur contraria. in huius concinnitatis conſectatione Gorgiam fuiſſe Principem accepimus. Sed nihil eſt, quod orationem numeroſiorem efficiat, quàm cum contrarijs opponuntur contraria, ut quarta in Verrem actione, Conferte hanc pacem cum illo bello, huius prætoris aduentum cum illius Imperatoris victoria, huius cohortem impuram, cum illius exercitu inuicto, huius libidines cum illius continentia, ab illo qui cepit, conditas, ab hoc qui conſtitutas accepit, captas dicetis Syracuſas. Pro M. Cælio de Catilina, Quis clarioribus uiris quodam tempore iucundior? quis turpioribus coniunctior? quis ciuium meliorum partium aliquãdo? quis tetrior hoſtis huic ciuitati? quis in voluptatibus inquinatior? quis in laboribus patientior? quis in rapacitate auarior? quis in largitione effuſior? Hæc ita poſita benè ſenſum aurium explent, & numeroſa ſunt. Quibus autem numeris & pedibus orator uti debeat, in Oratore ad Brutum copioſè demonſtratum eſt.

Adhibendaque frequentius etiam illa ornamenta rerum ſunt, ſiue quæ mirabilia, nec opinata, ſiue ſignificata monſtris, prodigijs, oraculis, ſiue quæ uidebuntur ei, de quo agimus, accidiſſe diuina, atque fatalia. omnis enim expectatio eius, qui audit, & ad-

miratio

miratio, & improuiſi exitus habent aliquam in au diendo uoluptatem.

Hactenus docuit, quomodo in exornatione verborum ornamenta adhibeantur; nunc ad rerum ornamenta tranſit. Ex quibus ſeptem po tiſsimum eligit, quæ voluptatem habeant in audiendo.

Primò quæcumque mirabilia ſunt voluptatem habent, vt in laude Scipionis Africani ſuperioris, quod decem & ſeptem natus annos, ſeſe Annibali oppoſuerit, quò patrem ſuum ab eo vulneratum libe- raret. quam laudem Virgilius ad Lauſum Mezentij filium tranſtulit, de quo ſic ait.

li. x Aen:

*ſocij magno clamore ſequuntur*
*Dum genitor nati parma protectus abiret.*

Cicero pro lege Man. multa de Pompeio mirabilia narrat, vt laudes eius amplificet, vt quod ineunte adoleſcentia maximi exercitus Imperator fuerit, quod bellum prædonum grauiſsimum paruo tempore confecerit, quod etiam ab hoſtibus victis dilectus fuerit, quod eius ſemper voluntatibus non modo ciues aſſenſerint, ſocij obtemperarint, hoſtes obedierint, ſed etiam venti tempeſtateſque obſecundarint. Huc pertinent exclamationes, quæ ſunt admirationis gratia, vt in eadem oratione, Proh Dij immortales tanta ne vnius hominis incredibilis, ac diuina virtus, tam breui tempore lucem afferre Reip. potuit. & pro Cor. Balbo, O Cn. Pompeij ſic latè longeque diffuſa laus, vt eius gloriæ domicilium communis Imperij finibus terminetur. Pro Q. Ligario, O clementiam admirabilem, atque omni laude, prædicatione, literis, monumentiſque decorandam. Illa etiam, quæ ſingularia ſunt, & ab vno tantum, vel à paucis facta, ſolent eſſe mirabilia, vt factum Horatij Coclitis, quod ſolus in ponte ſublicio conſtiterit, contra vniuerſum Hetruſcorũ exercitũ, & Q. Curtij qui ſua ſponte armatus in equo in terræ hiatum deſiluerit, & huius generis cætera.

Secundò quæ præter expectationem & opinionem ab aliquo egregiè fiunt, quæ nec opinata dicuntur à Cicerone, maximè laudari ſolent, vt Iunius Brutus, qui longo tempore ſtultitiam ſimulauit, deinde mortua Lucretia, contra omnium opinionem ſummam prudentiam oſtendit, & Remp. Romanam à regio dominatu liberauit, ſummam ab omnibus laudem conſecutus eſt. Cicero Cæſarem Octauianum ſummoperè laudat in eo, quod nec opinantibus Romanis firmiſsimum exercitum contra M. Antonium comparuiſſet. Pro lege Man. præter omnium opinionem ait accidiſſe, vt tàm breui tempore Pompeius bellum prædonum conficeret. Hoc (inquit) tantum bellum,

Phil. 5.

tàm

Digitized by Google

tàm turpe, tàm vetus, tàm latè diuiſum, atque diſperſum, quis vnquam arbitraretur, aut ab omnibus Imperatoribus vno anno, aut omnibus annis, ab vno Imperatore confici poſſe?

Tertio quæ ſignificata ſunt monſtris, ſæpè ad laudem referuntur, vt Auguſtum Cæſarem Apollinis fuiſſe filium quidam tradiderunt, quoniam draco quidam, ad Acciam eius matrem in Apollinis templo dormientem acceſſerit, & cum ea rem habere viſus fuerit, vnde ſemper deinde illa corpori ſuo draconis impreſſam maculam habuerit. Sed quæri poteſt quid monſtrum ſit, & quid à prodigio differat. Donatus in Andria monſtrum ait eſſe, quicquid eſt contra naturam, hoc eſt, quod contra naturam aut deficit, aut excedit; deficit, vt ſi natus fuerit infans ſine pedibus aut manibus: excedit, vt ſi natus ſit biceps, aut ſedigitus: quamuis hæc definitio manca ſit. Nam ſępè monſtra naſcuntur, quæ neque deficiunt, neque excedunt, ſed diuerſam penitus naturam habeant, vt in exercitu Xerxis Perſarum regis, equa leporem peperiſſe dicitur. Valerius Max. nullam penitus inter monſtrum & prodigium differentiam ponit: Quicquid enim contra naturam fit, id & monſtrum, & prodigium appellat. Quæ ſanè vocabula multis in locis etiam Cicero confundit, ac pro eodem ponit, vt in Catilinam actione ſecunda; Nulla iam pernicies à monſtro illo, atque prodigio mœnibus ipſis intra mœnia comparabitur. Quinta in Verrem actione, Non mihi iam furtum, ſed monſtrum ac prodigium videbatur. Tamen illa mihi bona diſtinctio videtur, vt monſtrum dicatur in ipſa generatione, quicquid contra naturæ legem & cōſuetudinem naſcitur, vt ſi puer biceps naſcatur, aut quatuor habens brachia, aut capite canino; Prodigium vero, quod accidit præter conſuetudinem, vt formicæ puero Midæ dormienti tritici grana in os congeſſerunt.

Quarto igitur loco, prodigia ſæpè magnam laudandi copiam ſuggerunt, vt in laude Romuli, quod à lupa nutritus fuerit, cum expoſitus ab Amulio fuiſſet. In laude Platonis quod ei in cunis infanti, apes in os mel inſeruerint. In laude Seruij Tullij, quod ei puero circum caput ingens flamma reluxerit. Sed huius generis prodigiorum plenæ ſunt hiſtoriæ & fabulæ.

Quinto oracula, vt de Cæſare Octauiano, quod ciuibus eius Veliternis prædictum fuiſſet, eius oppidi ciuem quandoque rerum potiturum; vt de Iunio Bruto, qui cum ab oraculo audiuiſſet eum Romæ rerum potiturum, qui primus matrem oſculatus fuiſſet, è naui egreſſus terram optimam omnium matrem primus deoſculatus eſt.

Sexto diuina, vt C. Iulius Cæſar poſt mortem inter Deos relatus, & Octauianus Auguſtus dum adhuc viueret, tāquam Deus cultus eſt.

Septimo fatalia, vt P. Nigidius poſtquam horā, qua natus eſt Octauianus, accepit, affirmauit dominum terrarum orbi natum; & Theo-

genes Mathematicus cum eiuſdem Octauiani genituram audiuiſſet, ſtatim exiluit, adorauitque eum: qua de cauſa tantam mox fiduciam fati Auguſtus habuit, vt thema ſuum vulgauerit, nummumque argenteum nota ſyderis capricorni, quo natus eſt, percuſſerit. Hæc diligenter in tota laudatione ſunt inueſtiganda: habent enim admirationem, & expectationem. Omnis autem expectatio & admiratio eius, qui audit, in audiendo ſemper delectationem habet: ſi vero fuerint exitus felices & improuiſi, expletur animus iucundiſſima voluptate.

Sed quoniam in tribus generibus bona *malàue* verſantur, externis, corporis & animi: prima ſunt externa, quæ ducuntur à genere, quo breuiter, modiceque laudato, aut ſi erit infame, prætermiſſo, ſi humile, vel præterito, vel ad augendam eius, quem laudas, gloriam tacto, deinceps ſi res patiatur, de fortunis erit, & facultatibus dicendum, poſteà de corporis bonis, in quibus quidem quæ virtutem maximè ſignificat, facillimè forma laudatur.

Omnia, quæ bona ſunt, laudantur, vituperanturque contraria. Sed bona ſunt in triplici genere; nam alia dicuntur externa, quæ à fortuna donantur, vt nobilitas, & diuitiæ: alia corporis ſunt, vt bona valetudo, & formæ dignitas; alia ſunt ipſius animi, vt virtutes, artes, ſciētiæ, quamuis autem tria pronantur bonorum genera, tamen ea tantum, quæ ad animum referuntur, propriè bona ſunt, reliqua vero ideo in laude ponuntur, quod is, qui laudatur, benè illis uſus fuerit. Cicero primò ponit externa, vel quia creſcere debeat oratio, & ab illis ſit incipiendum, vel quia naturæ ordine prima ſunt, vt genus, patrimonia, ſunt, antequã aliquis laudandus naſcatur. Sed hęc, quę vel externa, vel corporis ſunt, breuiter modiceq; ſunt laudanda, quia vera laus eſt in animi bonis.

Genus triplex eſſe poteſt, illuſtre, infame, humile. Illuſtre, quod maiorum imaginibus ſplendet, vt C. Cæſar, amitam ſuam pro roſtris laudans ita dixit, Amitæ meæ Iuliæ maternum genus ab regibus ortũ, Paternum cum Dijs immortalibus coniunctum eſt. Cicero pro Archia poeta, Nam ibi natus eſt loco nobili, & celebri quondam vrbe & copioſa. Sed diligenter aduertendum, quid præcipiat hoc loco Cicero genus breuiter & modicè laudandum eſſe, ne eorum conſuetudinem ſequamur, qui cum aliquem laudandum ſuſceperint, magnam tempo-

ris

Digitized by Google

ris partem in celebrandis eius maioribus, & recenſendis illorum rebus geſtis conſumunt, cum ſatis ſit ea, quæ ad genus attinet, leuiter attingere, vt qui laudatur, maiorum ſuorum illuſtrium virorum imitator fuiſſe videatur. Quod ſi genus fuerit infame, penitus in laude prætermitti debet, ne inde aliqua macula in eum, qui laudatur, deriuaſſe videatur, verum ad eius res egregiè geſtas ſtatim accedendum eſt, vt in eis auditorum mens defixa, nihil de genere cogitet. Itaque ſi quis fuerit magna virtute præditus, nihil ad laudem oberit illi, quamuis eius maiores fuerint infames. Sed in vituperatione genus infame ſolet obijci, vt Cicero ſecunda Philippica, Quæ porro amentia eſt, eum dicere aliquid de vxorum ignobilitate, cuius pater Numitoriam Fregellanam proditoris filiam habuerit uxorem; ipſe ex Libertini filia ſuſceperit liberos. Denique, ſi genus humile fuerit, vel prætermittitur, vel etiam aliquando commemoratur, vt maior eius, qui laudatur, appareat gloria: Si primus genus ſuum illuſtrauerit, qua de re multis in locis Cicero gloriatur, quod cum eſſet nouus homo, cuius maiores laude populari, atque honoris luce caruerint, omnes tamen dignitates, ſua virtute conſecutus eſſet. In oratione contra Saluſtium ita inquit, Ego meis maioribus virtute mea præluxi, ut ſi prius noti non fuerint, à me accipiant initium memoriæ ſuæ, in tuis, vitæ, quam turpiter egiſti, magnas effudiſti tenebras, vt etiam ſi fuerint egregij ciues, certè venerint in obliuionem. Quare noli mihi antiquos viros obiectare: Satius eſt enim, me meis rebus geſtis florere, quam maiorum opinione niti, & ita uiuere, ut ego ſim poſteris meis nobilitatis initium, & virtutis exemplum. In hunc ſenſum dixit etiam Iuuenalis,

*Malo pater tibi ſit Therſites, dummodo tu ſis*
*Aeacidæ ſimilis, Vulcaniaque arma capeſſas,*
*Quam te Therſitæ ſimilem producat Achilles.*

Atque hoc quidem de genere Cicero tradit; Verum Iſocrates, qui genus hoc epidicticum optime tractauit, non breuiter modiceque genus laudat, ſed copioſè multiſque uerbis in Euagora commendat, & eius maiores Aeacum, Telamonem, Peleum, Achillem, Aiacem, Teucrum magnoperè celebrat. Sed tamen idem Iſocrates in Helenæ Encomio, & in Buſiride breuiter modiceque genus laudat, quare præceptum Ciceronis ſeruandum eſt, niſi res aliter poſtulare videatur. Poſtquam vero genus tractatum fuerit; ad fortunas & facultates, quę fortunæ bona putantur, ueniendum eſt. Nam etiam diuitiæ magnam habent commendationem, ſi quis eas ad liberalitatem magnificentiamque conferat. Virgilius Galeſum à diuitijs ita laudat. L. 7. Aen.

*Auſonijſque olim ditiſsimus armis*

*Quinque greges illi ballantum, quina redibant*
*Armenta, & terram centum vertebat aratris.*

Multa ſunt corporis bona, quæ laudari poſſunt, ut robur, uires, valetudo firma, ſed maximè pulchritudo formaque laudatur, quia virtutem quodammodo ſignificare videtur, vultus enim eſt tacita mentis locutio, vnde benè virgilius dixit.

L. 5. Aen. *Gratior eſt pulchro veniens è corpore uirtus.*

Iſocrates etiam in Euagora primo loco pulchritudinem eius commendat, & in Helenæ Encomio pulchritudinem rerum omnium eſſe præſtantiſsimam, precioſiſsimam, & maximè diuinam pluribus verbis oſtendit. Plinius in Panegyrico à forma Traianum laudat. Quia etiam poetæ ſuos Heroes à dignitate corporis ſummoperè celebrant: vt Homerus tradit Achillem omnium Græcorum fuiſſe pulcherrimum, & Virgilius Aeneam tanta pulchritudine præſtitiſſe canit, ut eius facies diuina videretur, ſic enim ait.

L. 1. Aen. *Reſtitit Aeneas, puraque in luce refulſit*
*Os, humeroſque Deo ſimilis, namque ipſa decoram*
*Cæſariem nato genitrix, lumenque iuuentæ*
*Purpureum, & lætos oculis afflarat honores.*

Ita Polyphemus apud Ouidium à forma ſe laudat.

*Certe ego me noui, liquidaque in imagine uidi.*

Deinde eſt ad facta ueniendum, quorum collocatio triplex eſt, aut enim temporum ſeruandus eſt ordo, aut in primis recentiſſimum quodque dicendum, aut multa & uaria facta in propria uirtutum genera ſunt dirigenda.

Poſtquam in laudando bona externa, & corporis expoſuerimus; deinde veniendum eſt ad ea, quæ ſunt laudis propria, & ab animo benè affecto proficiſcuntur, nempè ad egregia facta, quæ ſunt virtutum opera. Horum autem diſpoſitio ſiue collocatio, tribus modis fieri poteſt; vel enim temporum ordinem ſequi poſſumus, & à primis incipientes ſigillatim omnia recenſendo vſque ad vltima & nouiſsima progredi, vel retro, & quaſi ſurſum verſus commeare, hoc eſt à nouiſsimis & recentiſsimis incipientes ad prima regredi, vel interciſo & permixto ordine temporum, ad aliqua virtutum genera ſingula facta referre.

Prima

Digitized by Google

Prima collocatio naturalis eſt, quoniam temporum ordinem ſeruat, ideo frequentius illam oratores in laudando ſequuntur, ut a quo genere ſit ortus, quomodo educatus, & apud quos, quibus diſciplinis inſtitutus, quid in pueritia geſſerit, quid in adoleſcentia, quid in uirili ætate, quid in ſenectute, & denique ſi mortuus eſt, quo genere mortis ſit extinctus, quem ordinem Iſocrates in Euagora laudando ſequitur, atque etiam in Helenæ Encomio.

Secundus ordo naturali quodammodo eſt contrarius, quia recentiſſima quæque prius exequitur, ideo rarius eo vti ſolemus. Sed tamen accidit aliquãdo, vt ſit neceſſarius, ſicuti Plinius in Panegyrico ſtatim *incipit* à Traiani creatione, quæ recentiſſima fuerat.

Tertius ordo multum commendatur, quia dat nobis certam viam, rationemque laudandi. & eo ſeruando multa etiam affingere poſſumus, quo maior laus appareat, cum ad certa virtutum genera facta referimus, vt pro Lege Man. Cicero ad quatuor capita Pompeij laudes retulit, ad ſcientiam rei militaris, ad virtutem, ad auctoritatem, ad felicitatem. hoc nobis facilè erit, ſi omnes virtutum ſpecies benè cognitas habuerimus, quod ex officijs Ciceronis, & ex Ariſtotelis Ethicis facilè conſequi poterimus, vt ſciamus quæ facta ad prudentiam, quæ ad iuſtitiam, quæ ad fortitudinem, quæ ad temperantiam referri oporteat. Nihil enim maiorem dicendi copiam affert, quam officiorum ac virtutum cognitio, qui locus cum latiſsimè pateat, hoc in loco à Cicerone breuiter explicatur, ſic enim ſubiungit.

Sed hic locus uirtutum atque uitiorum, latiſſimè patens, ex multis & uariis diſputationibus, nunc in quandam anguſtam & breuem concludetur. Eſt igitur uis uirtutis duplex, aut enim ſcientia cernitur uirtus, aut actione: Nam quæ prudentia, quæ calliditas, quæque grauiſſimo nomine ſapientia appellatur, hæc ſcientia pollet una, quæ uero moderandis cupiditatibus, regendiſque animi motibus laudatur, eius eſt munus in agendo, cui temperantiæ nomen eſt.

Multæ ſunt & variæ diſputationes de virtutibus & vitijs, quas philoſophi copioſè perſequuntur; ſed in hac arte ſatis eſt anguſtè & breuiter hæc tractare, ut intelligatur quæ ſit laudandi & vituperandi ratio.

Digitized by Google

trio. Cum enim omnia laudentur, quæ virtuti coniuncta ſunt, primò videndum eſt, quotuplex ſit ius & natura virtutis, quam Cicero duplicem facit; ait enim omnem virtutem, vel ad ſcientiam, vel ad actionem pertinere. Virtus quæ ad ſcientiam pertinet, prudentia dicitur, vel calliditas, vel ſapientia, quæ pertinet ad actionem, & cupiditates moderatur, regitque animi motus, temperantia nominatur; hæc eſt Ciceronis partitio, quæ optimis rationibus firmatur. Nam, vt ait Ariſtoteles, homo natus eſt ad intelligendum & agendum, quamobrem vt finem ſuum conſequatur, opus eſt vt eas virtutes acquirat, quæ ad finem ducunt: ſed prudentia ac ſapientia facit vt *homo rectè intelligat*, temperantia vero vt rectè agat. Itaque duæ hæ virtutes, *hoc eſt* prudentia & temperantia ſunt homini ad finem ſuum conſequendum neceſſariæ. Præterea (ſicut ait de officijs Cicero) duplex eſt vis animorum atque naturę, vna pars in appetitu poſita eſt, quę eſt ὁρμὴ Græcè, quæ hominem huc & illuc rapit, altera in ratione quæ docet & explanat, quid faciendum fugiendumque ſit, ita ſit, vt ratio præſit, appetitus verò obtemperet: & in quarto Tuſculanarum ſic ait, Platonis deſcriptionem ſequar, qui animum in duas partes diuidit, alteram rationis participem facit, alteram expertem, in parte rationis ponit tranquillitatem, ideſt placidam quietamque conſtantiam, in illa altera motus turbidos, tùm iræ, tùm cupiditatis contrarios inimicosque rationi. Cum autem virtutes ſint animi quaſi perfectiones quædam, ea virtus, quæ rationem perficit, prudentia dicitur, quæ vero appetitum, vocatur temperantia. Hanc eandem penè partitionem facit Ariſtoteles, cum ſic ait, Cum duo ſint virtutum genera, alterum earum quas in ratione eſſe dicimus, alterum earum, quas mortales & voluntarias, rationis quidem magna ex parte à doctrina ortum acceſsionemque habent. Itaque & exercitationis indigent & temporis, morales ac voluntariæ moribus, à quibus nomen duxerunt. Cicero igitur hoc loco prudentiam pro omni virtute rationis poſuit, temperantiam pro omni virtute morali & voluntaria. Sed aduertendum eſt, hoc in loco Ciceronem prudentiam, calliditatem, & ſapientiam pro vna, atque eadem virtute ponere, quod etiam alibi multis in locis facit, vt nullam inter prudentiam & ſapientiam penitus differentiam ponat, ſicuti nos olim copioſè contra Cælium Calcagninum Deciſione decimaſeptima probauimus. Eſt enim prudentia tanquam genus, quod omnem cognitionem omnem artem, omnem ſcientiam, omnem denique ſapientiam continet.

Lib. 1. off.

in fin. l. 1. & prin. 2. Ethi.

**Atque illa prudentia in ſuis rebus domeſtica, in publicis ciuilis appellari ſolet.**

Pruden-

Digitized by Google

Prudentiam virtutum omnium quaſi moderatricem quandam eſſe, vult Socrates, quæ in cognitione maximè conſiſtit, ſed ſæpè tamen etiam ad actionem refertur. Nihil enim rectè, nihil laudabiliter ſine prudentia geri poteſt. Quoniam autem facta potiſsimum laudantur, ideo Cicero diuidit eam prudentiam, qua vtimur in agendo, quam ait eſſe duplicem, alteram domeſticam, alteram ciuilem.

Domeſtica eſt, qua ſcitè res priuatæ geruntur, quæ ad vniuſcuiuſque hominis viuendi rationem, & ad rem familiarem pertinet, ea græco nomine vocatur œconomica, de qua Xenophon ſcripſit, & Ariſtoteles, quæ adhuc extant opera. Nam ille magna laudatione dignus eſt, qui prudenter & ſapienter vitam ſuam inſtituit, atque totam familiam ſuam optima ratione moderatur.

Ciuilis prudentia illa eſt, quam græco nomine politicam vocant, quæ Remp. rectè docet adminiſtrare, & ab Ariſtotele ſcientiarum regina nominatur, quoniam omnium eſt vtiliſsima. Tunc enim beatas eſſe Reſp. Plato dixit, cum aut ſapientes eas adminiſtrant, aut qui eis præſunt, ſapientum conſilijs vtuntur. Hinc maxima laudandi copia, ſi quis in adminiſtratione Reip. ſe prudenter geſſerit, vt apud Græcos, Solon, Ariſtides, Phocion, apud Romanos Cato, Fabius, Cicero. Quibus autem rebus conſtet hæc ciuilis prudentia, numerat L. Craſſus apud Ciceronem, primo de Oratore hoc modo, Perdiſcendum ius ciuile, cognoſcendæ leges, percipienda omnis antiquitas, Senatoria conſuetudo, diſciplina Reip. iura ſociorum, fœdera, pactiones, cauſa Imperij cognoſcenda: hæc omnia ſi quis benè perceperit, ciuilis prudentiæ peritus haberi iure poterit.

## Temperantia autem in ſuas itidem res, & in communes diſtributa eſt, duobusque modis in rebus commodis diſcernitur, & ea, quæ abſunt non expetendo, & ab ijs, quæ in poteſtate ſunt, abſtinendo.

Temperantiæ nomine Cicero hoc in loco comprehendit omnes virtutes, quæ morales Latinè, ἠθικαὶ Græcè vocantur. Dicitur autem temperantia, quia motus animi turbidos ita temperat, vt appetitum rationi obedire cogat, ea diuiditur eo modo quo prudentia, nam vel ad priuatas res refertur, vel ad communes & publicas, ac prius agit de illa temperantia, quæ ad ſuas res & priuatas pertinet, quæ animi moderatio dici poteſt, ea duobus modis ſpectatur, vel cũ res commodæ ſunt, vel cum ſunt incommodæ. In rebus commodis etiam duobus modis temperantia diſcernitur, quia res illę commodæ vel abſunt à nobis, vel in noſtra poteſtate ſitæ ſunt. Si abſunt à nobis, non eas admodũ expetere

uere debemus.non enim honeſtum eſt res alienas appetere, atque hæc temperantiæ pars vocatur abſtinentia & innocentia. Si ſunt in noſtra poteſtate res commodæ,virtus eſt,ſeſe ab eis continere, ne blandiſsimæ dominæ voluptates nos decipiant,& hæc cōtinentia dicitur. Hinc laudandi campus,ſi quis aliena nūquam inuaſerit, & in ſuis rebus continens fuerit:laudātur enim maximè, qui ſpretis voluptatibus frugalitatem & continentiam ampleċtuntur, & qui à rebus alienis manus, oculos,mentem continent,vt apud Græcos Socrates, Gorgias Leontinus,Xenocrates,apud Romanos Curius,Fabricius, Camillus, alijq; plurimi.Cicero pro Lege Man. vehementer in hac parte Pompeium laudat, quod innocentiſsimus, & continentiſsimus eſſet, *cum ita inquit*, Hic miramur hunc hominem tantum excellere cæteris, *cuius* legiones ſic in Aſiam peruenerunt, vt non modo manus tanti exercitus, ſed ne veſtigium quidem cuiquam pacato nocuiſſe dicatur, iam vero quemadmodum milites hybernent, quotidie ſermones ac literę perferuntur, non modo vt ſumptum faciat in militem, nemini vis affertur; ſed ne cupienti quidem cuiquam permittitur: & paulo poſt. Hæ res,quæ exteros remorari ſolent,non retardarunt, non *auaritia ab* inſtituto curſu ad prædam aliquam reuocauit, non libido ad voluptatem,& quæ ſequuntur. Quin etiam Quintum fratrem ſuum, ab innocentia & continentia,maiorem in modum ita commēdat, Præclarum eſt enim ſummo cum imperio fuiſſe in Aſia triennium, ſic, vt nullum eſignum, nulla pictura,nullum vas, nulla veſtis, nullum mancipium, nulla forma cuiuſquam, nulla conditio pecuniæ, quibus rebus abundat iſta prouincia, ab ſumma integritate continentiaque deduxerit. Quid autem reperiri tàm eximium,aut tàm expetēdum poteſt, quàm iſtam virtutem moderationem animi, temperantiam non latere in tenebris,neque eſſe abditam,ſed in luce Aſiæ, in oculis clariſsimæ prouinciæ,atque in auribus omnium gentium ac nationum eſſe poſitam, non itineribus tuis perterreri homines,non ſumptu exhauriri, nō aduentu commoueri,eſſe, quocumque veneris, & publicè & priuatim maximam lætitiam, cum vrbs cuſtodem, non tyrannum, domus hoſpitem,non expilatorem recepiſſe uideatur. Igitur hæ duæ temperantiæ partes, quæ in rebus commodis ſpeċtantur, hoc eſt innocentia & continentia, maximam afferre laudem poſſunt.

In rebus autem incommodis eſt itidem duplex,Nam quæ uenientibus malis obſtat, fortitudo, quæ quod iam adeſt, tolerat, & perfert, patientia nominatur.

Re

Res incommodæ vel abſunt à nobis, vel præſentes ſunt, ſi abſunt, magno & excelſo animo illis occurrendum eſt, neque vllo timore perterrefieri oportet, ſed forti & conſtanti animo, non tantùm pericula omnia, ſed etiam, ſi res ita poſtulat, pro honeſtate mors ipſa ſubeunda eſt, & hæc virtus fortitudo vocatur. hinc omnes fere bellicæ laudes, & egregia vis animi in præliando, qua plurimi viri præſtiterunt, & ſempiternam ſibi gloriam acquiſiuerunt, vt apud Græcos Militiades, Leonidas, Themiſtocles, apud Romanos Curius, Scipio, Cæſar, alijq; pe innumerabiles, hac virtute bellica Cicero pro Lege Man. Pompeium iure optimo mirificè commendat. Fuit enim vir ille ſummus Imperator, & Alexandro Magno penè par, aut fortaſsè etiam ſuperior, vt ſentire Plinius videtur. Si præſentes ſunt res incommodæ, tolerare eas & perferre opus eſt, quæ virtus patientia nominatur, quam eſſe maximam virtutem volunt; De hac copioſe Cicero libro Tuſculanarum ſecundo diſputat, vbi dolorem omnino contemnendum eſſe docet, & multis rationibus & exemplis vtitur. Neque tantùm infortunia ferenda ſunt, ſed etiam iniuriæ & contumeliæ, quia, vt docet Plato, melius eſt iniuriam accipere, quam inferre, qua in re celebrantur apud Græcos Zeno, Lycurgus, Dion, apud Romanos Mutius Scęuola, Attilius Regulus, Q. Pompeius. Cicero pro Q. Ligario Cæſarem in eo magnoperè commendat, quod nihil obliuiſci ſoleret, præter iniurias.

Quæ autem hæc uno genere complectitur, magnitudo animi dicitur, cuius eſt liberalitas in uſu pecuniæ, ſimulq́. altitudo animi in capiendis incommodis, & maximè iniurijs, & omne quod eſt eius generis graue, inſedatum, & turbulentum.

In rebus incommodis & aduerſis, magnitudo animi potiſsimum cernitur, quæ duas illas, quas diximus, virtutes complectitur, hoc eſt fortitudinem, & patientiam. Atque hæc virtus vtramque fortunam & ſecundam & aduerſam moderatè quidem ferre docet, ſed in aduerſa fortuna magis elucet, & ad res tantum magnas & egregias animum excitat, & extollit, vt pro honeſtate ſe periculis exponat, & iniurias toleret, atque earum obliuiſcatur; Huic animi magnitudini coniuncta eſt liberalitas, atque beneficentia, quæ in vſu pecuniæ conſpicitur, & qua nihil eſt (vt ait Cicero) naturæ hominis accommodatius, & hac virtute ſibi homines maximam beneuolentiam conciliant. Hinc maxime celebratur Cimon Athenienſis, qui quotidie domi conuiuium Lib. 2. de off.



Digitized by Google

parabat, quò turmatim pauperes conueniebant, agrorum ſuorum ſæpes auferri iuſsit, vt omnes impunè fructibus veſcerentur; quos premi paupertate intelligebat, eos collata furtim pecunia ſuſtentabat: Sed de eo plura Plutarchus in eius vita. Celebratur etiam Hiero. Syracuſanus, Gillias Agrigentinus, & apud Romanos L. Lucullus, C. Cæſar, & alij plurimi. Sunt autem liberalitatis duo maximè probabiles fontes, iudicium & honeſta beneuolentia, cui virtuti adiūcta eſt, humanitas, miſericordia, hoſpitalitas, & in rebus incommodis liberalitas à Cicerone ponitur, quoniam tunc maximè grata eſt, quando laborantibus & egentibus ſubuenit. Altitudo animi patientiæ *coniuncta eſt, & cernitur* in contemnendis laboribus, periculis, incommodis, *iniurijs. hinc* ſummæ laudes eius, qui nullo labore frangatur, nullo periculi timore concutiatur, omnia ſubeat pro honeſtate incommoda, omnes iniurias contemnat, ac deſpiciat, & quicquid eſt graue, inſedatum, & turbulentum facilè perfert, & moderatè tolerat. Summa igitur hæc eſt, vt temperantia in priuatis rebus, quatuor præcipuas virtutes complectatur, duas in rebus commodis, & duas in incōmodis. Cum res ſunt commodæ, qui ſeſe à voluptatibus continet, laudatur, & ea virtus continentia dicitur; & qui nemini nocet, quæ virtus innocentia nominatur; in rebus incommodis qui venientibus reſiſtit, fortis, & conſtans eſt, & ea virtus dicitur fortitudo, cui liberalitas eſt adiuncta; qui res aduerſas tolerat, is eſt patiens, & ea virtus vocatur patientia, cui animi altitudo coniungitur.

In communione autem quæ poſita pars eſt, iuſtitia dicitur, eaq́ue ergà deos religio, ergà parentes pietas, vulgò autem bonitas, creditis in rebus fides, in moderatione animaduertendi, lenitas, amicitia in beneuolentia nominatur. Atque hæ quidem uirtutes cernuntur in agendo.

Temperantia quæ ad res communes pertinet, proprio nomine iuſtitia vocatur. eſt autem duplex iuſtitia.

Altera cuius ſplendor eſt maximus, vt ait Cicero, ex qua boni viri nominantur, omnem moralem virtutem complectitur, vt quodam verſu Theognis teſtatur, quem ita Diuus Hieronymus tranſtulit.

*Iuſtitia in ſeſe virtutes continet omnes.*

Hac virtute ait Ariſtoteles, neque luciferum, eſſe clariorem. Altera iu-

ſtitia

Digitized by Google

ſtitia eſt, de qua hoc in loco Cicero loquitur, quam in ſex partes diſtribuit.

Prima iuſtititiæ ſpecies eſt ea, qua Deum colimus & veneramur, quæ religio nuncupatur, & omne ius ſacrorum continet; hanc Ariſto teles iuſtitiarum principem appellat.

Secunda eſt, qua patriam obſeruamus, & parentes ac maiores noſtros, quæ pietas nominatur; neque enim minus patriȩ debemus quā parentibus, imò vero ſapientes ſtatuunt magis nos patriæ, quàm ipſis parentibus debere, ſicut apud Platonem in Critone Socrates affirmat. Parens autem haud multò ſecus quàm Deus eſt liberis ſuis, vt pro Cn. Plancio teſtatur Cicero.

Tertia iuſtitiæ ſpecies eſt, qua vulgò erga homines vtimur, cum neminem lædimus, & ſtudemus adiuuare quàm plurimos, quæ bonitas appellatur, eſt enim hoc boni viri officium, in multos beneficia conferre.

Quarta eſt cum promiſſa ſeruamus, & quæcumque dicimus nos facturos, ea facimus, & omnem fraudem atque dolum fugimus, quæ fides nominatur ex eo, quòd fiat quod dictum eſt ait Cicero. Hoc eſt enim maximè iuſtum, quod ait etiam Ariſtoteles, ſtare conuentis, & promiſſa præſtare. l.1.de off.

Quinta iuſtitiæ ſpecies eſt, quando non procliues ſumus ad vlciſcendum, neque ab ira nos abduci permittimus, vt quempiam puniamus, ſed moderatione in puniendo & animaduertendo vtimur, quæ lenitas dicitur, cuius proprium eſt, vt ait Ariſtoteles, non protinus ad vlciſcendum feſtinare, neque contentionibus delectari.

Sexta & vltima iuſtitiȩ ſpecies eſt, qua multorum nobis beneuolen tiam conciliare ſtudemus, quæ amicitia vocatur; Hæc autem uirtus quātopere ſit expetenda, docet in Lælio copioſè Cicero, atq; hæc ferè ſunt virtutes, quæ in agendo ſpectantur, & quæ maxime laudabiles viros efficiunt, quibus pro Lege Man. Cicero Pompeium maxime cele brat. Primò enim bellandi virtutem eius extollit, deinde ita ſubiungit, Eſt hæc diuina, atque incredibilis virtus Imperatoris, quid cȩteræ quas paulo ante commemorare cœperam, quantȩ atque quàm multæ ſunt? Non enim ſolum bellandi virtus in ſummo atque perfecto Imperatore quȩrenda eſt, ſed multæ ſunt artes eximiæ, huius adminiſtrȩ, comitesq; uirtutis. Ac primum quanta innocentia debent eſſe Impera tores? quanta deinde omnibus in rebus temperantia? quanta fide? quāta facilitate? quanto ingenio? quanta humanitate? quæ breuiter qualia ſint, in Cn. Pompeio conſideremus, ſumma enim ſunt omnia Quirites, & quæ ſequuntur.



Digitized by Google

Sunt autem aliæ quaſi miniſtræ, comiteſq. ſapientiæ, quarum altera quæ ſint in diſputando uera, atque falſa, quibusq. poſitis quid ſequatur, diſtinguit, & iudicat, quæ virtus omnis in ratione ſcientiaq. diſputandi ſita eſt, altera autem oratoria. Nihil enim aliud eſt eloquentia, niſi copioſè loquens ſapientia, quæ ex eodem hauſta genere, quo illa, *quæ in diſputando* vberior eſt, atque latior, & ad motus animorum, vulgiq. ſenſus accomodatior.

Sapientia principem locum inter virtutes ſortita eſt, vt iam ſupra eſt demonſtratum, hæc duas artes habet quaſi miniſtras, & comites, hoc eſt Dialecticam, & Rhetoricam, quæ ideo comites ſapiētiæ ſiue prudentiæ dicuntur, quoniam rerum cognitio præcedit, ipſę ſequuntur. Neque enim quiſquam, aut benè diſputare, aut benè dicere niſi de re cognita poteſt. Dialectica dicitur inſtrumentum, & quaſi clauis totius ſapientiæ, quoniam (vt ait Ariſtoteles) ad omnium ſcientiarum principia viam aperit, & ſine hac arte, quiuis à vero abduci facilè poteſt, vt tertio de finibus apud Ciceronem Cato teſtatur. Poteſt autem
Lib. 2. quæri vtrum Dialectica & Rhetorica virtutes ſint, nec ne? cui quæſtioni Quintilianus ſatisfacit, & omnino virtutes eſſe concludit, cuius hæc ſunt verba; Itaque cum duo ſint genera orationis, altera perpetua, quæ Rhetorica dicitur, altera conciſa, quæ Dialectica, quas quidam Zeno adeo coniunxit, vt hanc compreſſæ in pugnum manus, illam explicitæ diceret ſimilem, etiam diſputatrix virtus erit, adeo de
Lib. 1. de Orat. hac quæ ſpecioſior, atque apertior eſt, nihil dubitabitur. L. Craſſus apud Ciceronem ait eloquentiam vnam quandam eſſe de ſummis virtutibus. In Bruto Cicero dicit, eloquentiam eſſe ingenij lumen, vt hominis (inquit) decus eſt ingenium, ſic ingenij lumen eſt eloquentia, hoc in loco ſapientiæ ſpeciē vult eloquentiā eſſe, quoniā vera eloquētia tantùm in viro bono, & ſapiente eſſe poteſt. At vero Dialecticam & Rhetoricam ex eodem eſſe genere ait, quoniam nulla alia in re differunt inter ſe, niſi quod hæc ratio dicendi latior ſit, illa loquendi
I. 1. Rhet. contractior, vt in Oratore ad Brutum ait. Ariſtoteles, ait, Rhetoricam ex Dialectica & ciuili ſcientia eſſe conflatam. Itaque latior eſt & vberior quàm Dialectica, & ad motus animorum accommodatior; Nam Dialecticus animos mouere non quærit, atque ideo non vtitur exordijs & perorationibus; orator vero non tantùm probare & fidem facere,

Digitized by Google

cere, ſed etiam animos mouere, & delectare quærit. Qua de cauſa factum eſt, vt plures ſint orationis partes. hinc etiam laudes naſcuntur vt ſiquis valens dialecticus fuerit, quales pleriq; Stoici fuerunt, & qui eorum porticum fulcire dictus eſt Chryſippus, vnde etiam Chryſippeum acumen, pro magno ponitur: ſi quis egregius orator, quam laudem in ornando Pompeio, Cicero pro Lege Man. non prætermiſit, ſic enim ait, Iam quantùm conſilio, quantùm dicendi grauitate, & copia valeat, in quo ipſo ineſt quædam dignitas Imperatoria, vos Quirites hoc ipſo in loco ſæpè cognouiſtis. pro Cor. Balbo de eodem Pompeio, Quæ fuerit heſterno die Cn. Pompeij grauitas in dicendo Iudices, quæ facultas, quæ copia, non opinione tacita veſtrorum animorum, ſed perſpicua admiratione declarari videbatur, in ſecundo de officijs ita inquit Cicero, Eloquentia vero nihil eſt laudabilius, vel præſtantius, vel admiratione audientium, vel ſpe indigentium, vel eorum, qui defenſi ſunt gratia.

## Cuſtos vero uirtutum omnium dedecus fugiens, laudemq́. maximè conſequens, verecundia eſt.

Verecundiam vbique Cicero vehementer commendat, tanquam omnis honeſtatis parentem & nutricem & cuſtodem, quæ fugiat omnem turpitudinem, & laudem gloriamq; conſequatur, vt ait hoc in loco, & primo de Officijs verecundiam ornatum vitæ appellat, & alio loco ait, hominem ſolum, ex omnibus animalibus natum, eſſe pudoris ac verecundiæ participem, reprehenditq; magnopere Stoicos primo de officijs, quod verecundiam contemnerent, & in libro de Amicitia, Maximum ornamentum amicitiæ ait verecundiam eſſe. Val. Maximus ait verecundiam eſſe parentem omnis honeſti conſilij. Seneca cenſet tamdiù eſſe aliquem bonæ ſpei locum, quamdiù verecundia in animo durauerit: tamen Ariſtoteles Ethicorum quarto, cenſet verecundiam non eſſe virtutem, ſed potius quandam animi affectionem, quæ iuuenes quidem deceat, ſenes vero minimè. Quare laudandos eſſe ait iuuenes verecundos, at ſenes ſi verecũdi fuerint, improbandos. Pythias ipſius Ariſtotelis filia, cum aliquando fuiſſet interrogata, quì color eſſet omnium pulcherrimus, reſpondit; Qui per verecundiam ingenuis oboritur. Diogenes cum adoleſcentem vidiſſet præ verecundia rubentem eſſe factum, dixit, Confide fili, talis eſt virtutis color. Laudatur igitur magnoperè, qui verecundus fuerit, & modeſtus, atque vt ait Horatius, Peius leto flagitium timet. Nam verecundia eſt infamiæ timor, quo qui afficitur, nullam rem turpem aggredi audet, ſed omnia, quæ ſunt, cum honeſtate coniuncta ſequitur.

Lib. 4. de fin.

Atque

Atque hi ſint quidem ferè quaſi quidam habitus animi ſic affecti, & conſtituti, vt ſint ſinguli inter ſe proprio uirtutis genere diſtincti, à quibus vt quæq. res geſta eſt, ita ſit honeſta neceſſe eſt, ſummeque laudabilis.

Virtutes omnes tàm cognitionis, quàm actionis, *ſunt animi habitus* cum ratione conſentientes. Nam Ariſtoteles *ſecundo Ethicorum ait*, in animo noſtro tria fieri, hoc eſt perturbationes, potẽtias, & *habitus.*

Perturbationes ſunt quidam quaſi animorum morbi, quibus ſine ratione mouentur animi, vel ad læticiam, vel ad cupiditatem, vel ad ægritudinem, vel ad timorem.

Potentię dicuntur facultates illæ, quibus patibiles ſumus, hoc eſt, quibus vim habemus vel iraſcendi, vel gaudendi, vel dolendi.

Habitus vocantur, quibus benè vel malè perturbationes & potentias illas moderamur: nam mali habitus vitia nominantur, boni *vero* habitus virtutes ſunt. Itaque Cicero ſecundo de Inuentione virtutem ita definit; virtus eſt animi habitus naturæ modo, rationi conſentaneus. At vero vnicuiq; virtuti tria ſolent ineſſe, primò vt ſit animi habitus, ſecundò vt aliquid proprium habeat, tertiò vt ſummè ſit laudabilis. Habitus longo tempore & vſu acquiritur, & ab affectione diſtat, quoniam affectio breuis eſt, & facilè mutatur, vt ira, gaudium, habitus verò diuturnus eſt, neque facilè mutari poteſt, quia propter longam conſuetudinem ferè in naturam abijt. Eſt autem triplex habitus, ideſt, vel bonus, vel malus, vel medius, bonus vt virtutes omnes, malus vt omnia vitia, medius vt artes & ſcientiæ, quibus & benè, & malè vti poſſumus. Proprium virtutis id dicitur, quo vnaquæque virtus, ab alijs diſtinguitur, vt prudentiæ proprium eſt, bonum & malum diſcernere, iuſtitiæ ſuum cuiq; tribuere, fortitudinis nullo timore aut labore frangi animo, atque debilitari, temperantiæ cupiditates omnes refrẹnare, & rationi ſubijcere. Summè laudabilis ideo dicitur omnis virtus, quia licet etiam alia quædam præter virtutem laudentur, vt patria, genus, opes, facultates, robur, pulchritudo, nõ tamen per ſe laudari ſolent, ſed quoniam ad virtutem referuntur, ut quòd eis quiſpiam benè uſus fuerit, ipſa uero per ſe uirtus, detractis etiam rebus alijs omnibus, maximè laudabilis eſt. Itaque laudes omnes ad unam ſolam uirtutem, & ad uirtutis ſpecies reducuntur, reliqua uero quę laudantur, quaſi uirtutis additamenta ſunt, quæ uel magis hominem uirtute præditum exornent, uel ad uirtutem acquirendam adiumenta, & ſubſidia præbeant.

Sunt

Digitized by Google

**Sunt autem alij quidam perfecti animi habitus ad virtutem quaſi præculti & præparati, rectis ſtudijs, & artibus, ut in ſuis rebus ſtudia literarum, vt numerorum, ac ſonorum, ut menſuræ, ut ſiderum, ut equorum, ut uenandi, ut armorum.**

Cum de virtutibus omnibus iam verba fecerit, quæ maximè laudabilem virum efficiunt, nunc addit etiam diſciplinas atque artes liberales, quæ vehementer laudari ſolent. Eas Cicero vocat habitus animi perfecti, quia tunc animus omninò perfectus eſt, cum illum ſcientiarum orbem expleuerit atque abſoluerit, quem ἐγκυκλοπαίδειαν Græci vocant. Nam ignorantia, quædam eſt animi imperfectio, ſcientia vero, animi forma atque perfectio eſt; vnde cum aliquis ſcientiam percipit, dicitur animum ſuum informare: vt pro Archia poeta; Nam vt primum ex pueris exceſsit Archias, atque ab ijs artibus, quibus ætas puerilis ad humanitatem informari ſolet; Atque hi quidem habitus ab optimarum artium ſtudijs profecti, noſtros animos ad virtutem quaſi præcolunt ac præparant, vt tantò laudabiliores ſiamus, quantò diſciplinis inſtructiores fuerimus. Cum autem artes, quas vocant liberales, ſeptem numerentur, & iam de duabus mentionem fecerit, hoc eſt de Dialectica & Rhetorica, nunc adiungit alias quinque. Ac primo loco ponit grammaticam, quam vocat ſtudium literarum, quoniam hæc eſt quaſi parens & procreatrix reliquarum omnium, & ab hoc quaſi capite, & fonte, reliqua ſtudia proficiſcuntur, vnde multi magnam ex hac arte laudem conſecuti ſunt. vt Ariſtarchus, Didymus, Apollonius, & apud Latinos Varro, Palemon, Priſcianus. Huic duæ ſuccedunt illæ, de quibus ſupra dictum eſt, Dialectica, & Rhetorica. Poſtea quatuor adduntur, quas appellant mathematicas, quia ſint certę atque exquiſitæ ſcientiæ. Earum prima numeros tractat, vnde græco nomine vocatur Arithmetica, quam eſſe mathematicarum principem, ac quaſi reginam ſtatuunt, quoniam ſine illa reliquæ nihil poſſunt. Secunda ſonorum harmonias docet, & Muſica nominatur, quæ omnem poeticam artem amplectitur, & modos omnes, qui vel aſſa voce, vel inſtrumentis varijs educuntur. Tertia menſuras continet, atque Geometria vocatur, quam eſſe neceſſariam philoſophantibus Plato cenſuit, vnde foribus Gymnaſij ſui ſolebat inſcribere, Nemo, qui Geometriæ ſit imperitus, huc ingrediatur. Quarta ſiderum curſus, ortus, occaſus, proprietates inueſtigat, & dicitur Aſtrologia, quæ maximè nobilis habetur ſcientia, propter materiam quam tractat, & in qua verſatur, atque in his quidem diſciplinis plurimi præcellen-

cellentes fuerunt, qui ſummè laudantur, vt in Arithmetica Pythagoras, Nicomachus, in Muſica Timotheus, Ariſtoxenus, in Geometria Euclides, Archimedes, in Aſtrologia Sulpitius Gallus, Ptolemæus alijque plurimi. præter has artes ingenuas adiungit Cicero tria nobilitatis ſtudia, quæ plurimum laudari ſolent, ſiquis in eis excellat, quorum primum eſt equorum ſtudium, quo maximè delectari ſolitos heroas illos veteres Achillem, Diomedem, Hectorem, Aeneam & alios ſignificat Homerus.

Apud Romanos etiam equeſter ordo magno in precio & honore habebatur, & noſtro etiam tempore nobiliſsimi quiq; ſtudio equorũ delectantur. Alcibiades in hac re præcipuè celebratur, quòd equos aleret velociſsimos, quibus ab olympicis victoriam reportaret. Virgilius multos ab hoc ſtudio vehementer laudat, vt Meſſapum.

*At Meſſapus equum domitor, Neptunia proles,*

& Lauſum Mezentij filium,

*Lauſus equum domitor, debellatorq; ferarum.*

laudat etiam Latinum regem, tanquam equorum ſtudioſum

*Hæc effatus equos numero pater eligit omni,*
*Stabant tercenti nitidi in præſepibus altis.*

Secundum ſtudium nobilitatis eſt venatio, qua corpus benè exercetur, & pugnæ ſimilitudinem habet. Xenophon ſcribit Cyrum Perſarum regem ferè quotidiè venari ſolitum. Poetę faciunt heroas ſuos freqūetiſsimè venantes, vt Homerus Vlyſſem in uenatione ab Apro fuiſſe uulneratum ſcribit, Virgilius in primo Aeneidos oſtendit Aeneam fuiſſe peritiſsimum venatorem, qui ſeptem ingentes ceruos momento temporis occiderit. Quin etiam mulieres venationi deditas oſtendit, vt de Venere primo libro,

*Namque humeris de more habilem ſuſpenderat arcum*
*Venatrix.* & in vndecimo de Camilla
*ſola contenta Diana*
*Aeternum telorum, & virginitatis amorem*
*Intemerata colit.*

Mithridates rex ille poſt Alexandrum maximũ, tanto venandi ſtudio tenebatur, vt ſeptem annos, neque vrbis, neque villæ tecto vſus ſit.

Tertium ſtudium nobilium uirorum eſt in armis, in quibus qui excellunt, maximam omnium gloriam adipiſcuntur, atque hinc ſunt rhetorum campi de Marathone, Salamine, Platęis, Thermopylis, Leuctris, Stratocle. Hinc (inquit Cicero primo de officijs) noſter Cocles, hinc Decij, hinc Cn. & P. Scipiones, hinc M. Marcellus innumerabileſque alij.

In com-

Digitized by Google

In communibus propenſiora ſtudia, in aliquo genere uirtutis colendo, aut diuinis rebus deſeruiendo, aut parentibus, amicis, hoſpitibus præcipuè atque inſigniter diligendis.

Studia diſciplinarum quæ hactenus commemorauimus, ferè in priuatis rebus verſantur, quia pertinent ad animum cuiuſque perficiendum. ſed in communibus rebus propenſiora dicuntur ſtudia, quæ in aliquo virtutis genere colendo verſantur, quod ad communem vtilitatem ſpectare videatur, hæc autem ſtudia propenſiora tantò laudabiliorem virum efficiunt, quantò communis vtilitas priuatæ antecellit. Sed ex omnibus virtutibus maximè excellit iuſtitia, quæ magis alienis, quàm proprijs commodis ſtudet. cumque multas ſpecies habeat, iuſtitia, tamen ex eis tres præcipuè commendari ſolent, religio, pietas, & bonitas. Quo circa docet hoc in loco Cicero propenſiora debere eſſe ſtudia in his virtutibus excolendis, non autem agit hic de illis tribus virtutibus, quoniam eas iam ſupra nominauit, ſed de ſtudijs ipſarum virtutum, hoc eſt quomodo poßint acquiri, aut quomodo intelligantur. nam (vt ait Horatius in Arte.)

*Qui didicit patriæ quid debeat, & quid amicis,*
*Quo ſit amore parens, quo frater amandus & hoſpes,*
*Quod ſit conſcripti, quod iudicis officium, quod*
*Partes in bellum miſsi ducis, ille profectò*
*Reddere perſonæ ſcit conuenientia cuique.*

Maximè vero commendatur ille, qui diuinis rebus ſumma cum religione deſeruit, vt Numa Pompilius, qui Romanis multa ſacrorum genera conſtituit, vt Scipio Africanus, qui nihil vnquam aggrediebatur, niſi prius Deos ſalutaſſet, & rem ſacram feciſſet, quod etiam ab Alexandro Magno fieri ſolitum legimus. Secundo loco probatur pietas in patriam, parentes, & propinquos, qua laude multi præſtiterunt; Tertio amicitia, hoſpitalitas, beneficia in multos collata, magnoperè laudes amplificare ſolent: quoniam hæ virtutes non ſibi, ſed alijs proſunt, & ideo multitudinis amorem conciliant, & voluntates hominum deuinciunt, quo fit vt ab omnibus laudentur.

Atque hæc quidem uirtutum, uitiorum autem ſunt genera contraria. Cernenda autem ſunt diligenter, ne fallant ea nos uitia, quæ uirtutem uidentur imitari.

Si quis rectè virtutes agnoſcit, quæ ſunt etiam contraria vitia, non difficulter intelliget, ſed quia longè ſunt plura vitia quàm virtutes, ideo fit aliquando, vt nos aliqua vitia virtutis ſpecie fallant, quod ita ſignificat Horatius, Decipimur ſpecie recti. Omnis enim virtus in mediocritate poſita eſt,& vtrinque vitijs diuerſis, maximeque diſiunctis circumuallata, quod idem Horatius ita oſtendit. Virtus eſt medium vitiorum, & vtrinque reductum, ideo Pythagoras dicere ſolebat,Mediocritatem omnium rerum optimam eſſe.Quicquid enim aut nimium eſt,aut parum,ideſt vitioſum; ſunt autem quædam vitia, quæ virtutem imitari uidentur, ea diligenter cernenda ſunt, ne nos decipiant. Nam ſæpè accidit, vt qui temerarius eſt, fortis exiſtimetur, & qui malicioſus eſt, prudentis nomen obtineat, hoc eſt quod ſubiungit Cicero.

## Nam & prudentiam malitia,

Prudentia, quæ virtutum moderatrix eſt ac regina, ſæpè coniunctam habet maliciam, quæ illam imitetur, Sæpè enim fit, vt qui malicioſi ſunt,prudentes eſſe videantur. Cicero tertio de natura Deorum, ait malitiam eſſe verſutam & fallacem nocendi rationem, differt à vitioſitate malicia, quoniam malicia certi cuiuſdam vitij nomen eſt, prudentiæ contrarij, vitioſitas omnium, vt ait Cicero. idem alio loco ſic
li 4 Tuſc. ait, Quo circa aſtutiæ tollendæ ſunt, eaque malicia, quæ vult quidem
l. 3. de of. videri ſe eſſe prudentiam,ſed abeſt ab ea,diſtatque plurimum;prudentia eſt enim locata in delectu bonorum & malorum, malicia, ſi omnia quæ turpia ſunt,mala ſunt, mala bonis anteponit. Qui igitur fraude, fallacijs,calliditate ſuis in negocijs utuntur, etiam ſi utiliter ea gerant, non prudentes,ſed malicioſi ſunt appellandi.

## Et temperantiam immanitas in uoluptatibus aſpernandis.

Temperantes in eo potiſſimum laudantur, quòd inhoneſtas & turpes voluptates refugiunt,& ab ijs rebus ſeſe abſtinent, quæ merito reprehendi ac vituperari poſſunt, quod ſi quis omnes penitus voluptates contemnat,& nullos prorſus iocos,nullos luſus admittat, is in vitium immanitatis incidet. quamuis pauci admodum tales reperiantur, ut ait Ariſtoteles,quoniam uoluptas quodammodo nobis innata eſt, tales tamen fuerunt apud antiquos quidam Cynici, qui reijciebant omnem voluptatem.



Digitized by Google

## Et magnitudinem animi ſuperbia in animis extollendis, & deſpicientia in contemnendis honoribus.

Magnitudo animi in eo perſpicitur, cum quis res tantùm egregias & præclaras expetit, & ea contemnit, quæ pleriq́ue alij ſolent admirari. Huic virtuti duo ſunt finitima vitia, hoc eſt ſuperbia, & deſpicientia. Nam qui elato ſunt animo, quique honores penitus deſpiciunt, ij fortes & magnanimi ſæpè videntur: Verum ſuperbia in extollendis animis, innumerabilia peccata gignit, vt oſtendit Cicero, hominesq́ue leues, inſolentes, effrænatos, ſibiq́ue præfidentes efficit, ut rectè præcipere videantur, qui monent, vt quātò ſuperiores ſumus, tantò nos ſummiſsius geramus. Deſpicientia vero in cōtemnendis honoribus ſemper eſt vitioſa, quamuis enim honores nimium appetendi non ſint, tamen neque penitus ſunt contemnendi. cum præſertim omnes trahamur ſtudio laudis, & optimus quiſque gloria ducatur, vnde Cicero verbis atrocibus Piſonem inſectatur, quòd negarat ſe triumphi cupidum vnquam fuiſſe, nam ut leuitatis eſt, inanem aucupari rumorem, & omnes vmbras etiam falſæ gloriæ conſectari, ſic leuis eſt animi lucem ſplendoremq́ue fugientis iuſtam gloriam, qui eſt fructus veræ virtutis honeſtiſsimus, repudiare. L.1. de of.

## Et liberalitatem effuſio.

Qui nimis appetentes diuitiarum ſunt, auari vocantur, liberalium hominum diſsimillimi. Sed qui facultates ſuas temerè profundunt, & omnem curam rei familiaris abijciunt, ij prodigi nominantur, & illud vitium effuſio, uel prodigitas, uel prodigentia; nam prodigalitas, quo vocabulo quidam vtuntur, nuſquam apud bonos auctores reperitur. Cicero ſecūdo de officijs ita inquit, Omnino duo ſunt genera largorum, quorum alteri prodigi, alteri liberales. Prodigi, qui epulis, & viſcerationibus, & gladiatorum muneribus, ludorum, venationumq́; apparatu pecunias profundunt in eas res, quarum memoriam aut breuem, aut nullam ſint relicturi omninò, liberales autem qui ſuis facultatibus aut captos à prædonibus redimunt, aut æs alienum ſuſcipiunt amicorum cauſa, aut in filiarum collocatione adiuuant, aut opitulantur, vel in re quærenda, vel augenda. Multi verò memorantur magna patrimonia temerè profudiſſe, ut Licinius Craſſus cognomēto diues, Annius Milo, C. Curio filius Aeſopi tragœdi, de quo ita Horatius.

*Filius Aeſopi detractam ex aure Metellæ,*
*Scilicet vt decies ſolidum exorbet, aceto*
*Diluit inſignem Vaccam.*

Hi non tanquam liberales verè laudari poſſunt, ſed ut ueræ liberalitatis & magnificentiæ ignari vituperantur, ut ſecunda Philippica; Nihil erat clauſum, nihil obſignatum, nihil ſcriptum, apothecæ totę nequiſſimis hominibus condonabantur, alia mimi rapiebant, alia mimæ, domus erat aleatoribus referta, plena ebriorum, & quæ ſequuntur.

## Et fortitudinem audacia imitatur.

Fortitudini oppoſita eſt timiditas & audacia, ſed timidi ſunt ab audacibus maximè diſiuncti, audaces uero quodammodo fortes eſſe uidentur. Sed quia cupiditate ſua, non ratione ſe periculis obijciunt, ideo vituperatione digni putantur, Cicero de officijs, Animus paratus ad periculum, ſi ſua cupiditate, non utilitate communi impellitur, audaciæ potius nomen habet, quàm fortitudinis. Fit tamen interdum ut etiam audacia vulgò laudetur, unde Propertius ait.

*Quod ſi deficiant vires, audacia certè.*
*Laus erit, in magnis & voluiße ſat eſt.*

l. 3. Eth. Ariſtoteles audaces eos appellat, qui temeritate quadam prouecti antè cupiunt adire periculum, quàm illud inſtet, ſed cum in ipſo periculo conſtituti ſunt, plerumq. animo deficiunt, ac refugiunt.

## Et patientiam duritia immanis.

Patientia uirtus eſt maxima atque utiliſsima, de qua iam ſupra dictum eſt, Huic finitimum eſt uitium, quæ duritia immanis uocatur à Cicerone. cum quis ſine cauſa vel corpus ſuum affligit, uel ea patitur, quæ facilè atque honeſtè uitare poſſet, ut Diogenes Cynicus media hyeme, cum eſſent maxima frigora, penè nudus incedebat, & ſtatuas marmoreas ſub dio poſitas amplexabatur, quò maiorem patientię laudem aſſequeretur. Ita Gymnoſophiſtæ in India, ſicuti Plinius ſcribit, ab exortu Solis, vſque ad occaſum perſtant, contuentes Solem immobilibus oculis, & toto die feruentibus arenis alternis pedibus inſiſtunt. Hanc immanem duritiam in Catilina fuiſſe docet Salluſtius, cum ita de illo ſcribit, corpus patiens inediæ, uigiliæ, algoris ſuprà quàm cuiquam credibile eſt. Hac etiam Lacedæmonij utebatur, adeò ut etiam pueri apud eos duri & immanes euaderent. Cicero Tuſcul. ſecundo, Spartę uero pueri ad aram ſic verberibus accipiūtur, ut multus è uiſceribus ſanguis exeat, nonnunquam etiam, ut cum ibi eſſem, audiebam, ad necem, quorum non modo nemo exclamauit unquam, ſed ne ingemuit quidem.

Et

Digitized by Google

## Et iuſtitiam acerbitas.

Quidam cum iuſti uideri uelint, nulla æquitate flectuntur, ſed acerbè atque ſummo iure agunt, unde in uitium incidunt. Illud enim uerum eſt, quod prouerbio fertur, Summũ ius ſumma iniuria, ut ſi quis caſu aut per imprudentiam cædem fecerit, non eſt eadem pœna afficiendus, qua ij ſolent affici, qui conſultò & dedita opera cædem faciunt: alioquin hæc non iuſtitia, ſed acerbitas meritò uocaretur, atque ita in alijs.

## Et religionem ſuperſtitio.

Multi ſunt, qui pro religione ſuperſtitionem amplectuntur. Eſt enim ſuperſtitio vitium religioni finitimum, de quo ita Cicero; Cultus autem Deorum eſt optimus, idemque caſtiſsimus, atque ſanctiſsimus, pleniſsimusque pietatis, vt eos ſemper pura, integra, incorrupta & mẽte, & voce veneremur. Non enim Philoſophi ſolum, verùm etiam maiores noſtri ſuperſtitionem à religione ſeparauerunt. Nam qui totos dies precabantur, & immolabant, vt ſui liberi ſibi ſuperſtites eſſent, ſuperſtitioſi ſunt appellati, quod nomen poſtea latius patuit. Qui autem omnia, quæ ad cultum Deorum pertinerent, diligenter pertractarent, & tanquàm relegerent, ſunt dicti religioſi, ex relegendo, vt elegantes, ex eligendo, tanquàm à deligendo diligentes, ex intelligendo intelligentes: his enim in verbis omnibus ineſt vis legendi eadem, quæ in religioſo. Ita factum eſt in ſuperſtitioſo, & religioſo, alterum vitij nomen, alterum laudis. L.2. de nat.

## Et lenitatem mollitia animi.

Lenes & clementes in puniendo laudantur, ſed qui nimis indulgentes ſunt, & ſceleri veniam facilè condonant, vituperandi ſunt, quoniam hoc vitioſum eſt, quaſi quoddam ad peccãdum inuitamentum. Accidit autem hoc à mollicia animi, cũ quis facilè exoratur, vt ignoſcat. Cicero pro P. Sylla, vt leniſsimus videatur, hoc ſe quodammodo vitio accuſat, cum ita inquit; Quibus ego rebus, Iudices, ita flectebar animo atque frangebar, vt etiam ex memoria, quas ipſe mihi fecerat inſidias, deponerem, vt iam immiſſum eſſe ab eo C. Cornelium, qui me in ſedibus meis, in conſpectu vxoris meæ, ac liberorum meorum, trucidaret, obliuiſcerer: quæ ſi de vno me cogitaſſet, quæ mollicita ſunt animi ac lenitate, nunquam mehercule illius lachrymis ac precibus reſtitiſſem.

Et

Digitized by Google

## Et verecundiam timiditas,

Eſt quædam vitioſa verecundia, quam Græci δυσωπίαν vocant, de qua Plutarchus opuſculum conſcripſit, & quam hoc loco Cicero timiditatem vocat, ea eſt, cum quis in rebus etiam honeſtis pudore ac rubore ſuffunditur, quod ruſticis potiſsimum, & ijs, qui cum paucis adhuc hominibus verſati ſunt, accidere ſolet. Vnde Cicero in Epiſtolis pudorem ſubruſticum vocat. In alio loco. Pudore à dicendo & timiditate ingenua quadam refugiſti. Hoc vitium in Iſocrate fuit, qui licet eloquentiſsimus eſſet, tamen propter timiditatem *cauſas publicè* nunquam auſus eſt agere. Theophraſtus cum apud *Athenienſes* verba facturus eſſet, atque in concionem veniſſet, conſpecta frequenti multitudine, quæ ad audiendum eum concurrerat, præ timiditate obmutuit, & ne verbum quidem ſari potuit.

## Et illam diſputandi prudentiam concertatio, captatioque verborum.

Prudentia diſputandi, quæ Dialectica vocatur, habet vicinum vitium artis eius, quæ captationem verborum ſequitur, & fallaces concluſiones, quam Sophiſticam appellat, eo quod Sophiſtæ illa vterentur. Dicebantur autem Sophiſtæ illi, qui oſtentationis aut quæſtus cauſa philoſophabantur, vt in Lucullo ſcribit Cicero, & ſophiſmata fallaces eorum concluſiunculæ. Nam qui non res ipſas, ſed verba conſectantur, in varias concertationes diſputando incurrunt, à quibus ſe nunquam explicant. Ariſtoteles duos libros de Sophiſticis reprenſionibus edidit, in quibus docet quibus rationibus fallaces illæ concluſiones redargui poſsint.

## Et hanc oratoriam vim, inanis quædam profluentia loquendi.

Oratoria facultas finitimum vitium habet loquacitatis, & profluentiæ in dicendo. Neque enim ſatis eſt multa dicere, vt quis eloquens ſit, niſi etiam id ſapienter fiat, vnde ſuperius dictum eſt, eloquentiam eſſe copioſè loquentem ſapientiam. Quid enim tàm furioſum (ait Craſſus) quàm verborum vel optimorum, atque ornatiſsimorum ſonitus inanis, nulla ſubiecta ſententia, nec ſcientia? Hoc vitium Homerus fuiſſe in Therſite oſtendit, quem ſcribit, multa quidem dicere ſolitum, ſed inornata, & importuna. Valerius probus (vt eſt apud Gellium)

ſic à

ſic à Salluſtio notatum Catilinam refert, vt diceret in eo ſatis loquentiæ, ſapientiæ parum, quod loquentia nouatori verborum Salluſtio maximè congrueret, eloquentia cum inſipientia minimè conueniret. Veteres latini huius generis homines in verba prouectos, Locutuleios, & Blaterones, & linguaces dixerunt.

Studijs autem bonis ſimilia videntur ea, quæ ſunt in eodem genere nimia.

Omne, quod eſt nimium, eſt vitioſum, vnde rectè Chilo Lacedæmonius præcipiebat, vt nequid nimis. Nam etiam ſtudia bona, & magna laude digna, ſi nimia fuerint, in vitium incidunt, quod in Epiſtolis Horatius etiam ad virtutem transfert, cum ait,

*Inſani ſapiens nomen ferat, æquus iniqui,*
*Vltra quàm ſatis eſt, virtutem ſi petat ipſam.*

Cicero primo de officijs, vbi de ſtudijs ſcientiæ loquitur, ita inquit; In hoc genere & naturali, & honeſto, duo vitia vitanda ſunt, vnum ne incognita pro cognitis habeamus, hiſque temere aſſentiamus, quod vitium effugere qui volet, omnes autem velle debebunt, adhibebit ad conſiderandas res, & tempus, & diligentiam. Alterum eſt vitium, quod quidam nimis magnum ſtudium, multamque operam in res obſcuras, atque difficiles conferunt, eaſdemque non neceſſarias.

Quamobrem omnis vis laudandi, vituperandique ex his ſumetur uirtutum uitiorumque partibus.

In demonſtratiuo genere, in quo vel laudamus, vel vituperamus, omnes rationes à virtutum & vitiorum partibus ſumuntur. Nam virtutes & vitia, ſunt quaſi materia quædam, in qua laudes & vituperationes propriè verſantur: quoniam nihil aliud præter virtutes verè laudari, neque quicquam præter vitia verè vituperari poteſt. Cætera omnia, ſi quæ laudantur, aut vituperantur, ad virtutes, aut ad vitia referuntur.

Sed in toto quaſi contextu orationis, hæc erunt illuſtranda maximè, quemadmodum quiſque generatus quemadmodum educatus, quemadmodum inſtitutus, moratuſque fuerit.

In lau-

Digitized by Google

In laudando conuenit illuſtre genus orationis, de quo iam ſupra diximus. Docet autem hoc in loco Cicero, quæ ſint in toto contextu orationis illuſtranda, ac primo tria ponit, quæ ſunt maximi momenti, hoc eſt genus, educationem, inſtitutionem.

Plurimum enim refert ad laudem, quod aliquis illuſtri genere natus eſſe dicatur, qua de cauſa poetæ clariſsimorum virorum genus ad Deos referunt, quo poſsint eos vberius laudare, vt Theſeum Neptuni filium eſſe dicunt, Herculem Iouis, Achillem Thetidis, Aeneam Veneris, quos in aliquibus Hiſtorici non dubitarunt imitari. Nam Romulum Martis filium dixerunt, propter egregiam in bello virtutem; Alexandrum Magnum, Iouis Hammonis fuiſſe filium volunt, Africanum ſuperiorem Iouis Capitolini; Octauium Auguſtum Apollinis. Eſt enim hoc in animis hominum inſitum, vt quicquid magnum eſt & admirabile, id à Deo profectum exiſtiment, id quod pro Lege Man. de Pompeio dixit Cicero, Itaque omnes quidem nunc in his locis Cn. Pompeium, ſicut aliquem non ex hac vrbe miſſum, ſed de cælo delapſum intuentur. Ita qui ſe præclarè gerunt in aliqua re, dicuntur a Deo facti, nam verum eſt id, quod ait Cicero, nullum vnquam virum magnum ſine afflatu diuino fuiſſe: ſic etiam à parentibus bonis procreari bonos filios veriſimile eſt. Erit ergo magna laus, ſi quis ex præclara familia genitus ſit, nam (vt ait Plutarchus) Nobilitas eſt eximius libertatis theſaurus; contra vero ignobilem eſſe, aut ſpurium, & non legitimè natum, in magno dedecore ponitur. Lacedæmonij Archidamum regem pecunia mulctarunt, quod paruam vxorem duxiſſet, dicentes, eum conſtituiſſe non reges, ſed regulos gignere.

Secundo loco ponitur educatio, quam Plutarchus tribus potiſsimum rebus egere exiſtimat, hoc eſt natura, doctrina, & exercitatione. Sicut enim in agricultura primò terram eſſe bonam ac fœcundam oportet, deindè ſemina, tùm agricolam diligentem, naturæ enim bonitatem ſæpe ignauia atque ocium corrumpit, contra verò quod naturæ deeſt, interdum doctrina atque exercitatio corrigit & emendat. Quanti vero momēti ſit bona educatio; Lycurgus exemplo duorum canum apertè declarauit, qui cum ab eadem matre nati eſſent, alterum eorum culinæ tradidit educandum, alterum in venationibus exerceri iuſsit; deinde in conſpectum Lacedæmoniorum iuſsit vtrumque canem adduci, propoſita olla carnium, viuo lepore: cum autem ambo canes è vinculis ſoluti dimitterentur, alter ſtatim, qui culinæ deditus fuerat, ad ollam carnium properauit, alter vero leporem ſectatus, confeſtim interfecit, atque hoc exemplo Lycurgus docuit plus educationem, quàm naturam valere. Cicero pro Lege Man. ſic ab educatione Pompeium laudat, Qui è ludo, atque pueritiæ diſciplina

bello

Digitized by Google

bello maximo, atque acerrimis hoſtibus, ad patris exercitum, atque in militiæ diſciplinam profectus eſt, qui extrema pueritia miles fuit ſummi Imperatoris, ineunte adoleſcentia maximi ipſe exercitus Imperator. pro M. Cælio; Nam quoad ætas M. Cælij dare potuit iſti ſuſpicioni locum, fuit primum ipſius pudore, deindè etiam patris diligentia diſciplinaque munita. qui, vt huic virilem togam dedit; nihil dicam hoc loco de me, tantum ſit, quantum vos exiſtimatis, hoc dicam, hunc à patre cõtinuò ad me eſſe deductum: nemo hunc M. Cælium in illo ætatis flore vidit, niſi aut cum patre, aut mecum, aut in M. Craſsi caſtiſsima domo, cum artibus honeſtiſsimis erudiretur.

Tertio loco ponitur inſtitutio. Hoc.n.etiam magnæ laudi datur, pręceptores eximios habuiſſe, atq; eoſdem probatis moribus, quoniã plerumque fit, vt præceptorum mores diſcipuli ſequantur. Hic enim fons eſt, hæc radix probitatis, vt ait Plutarchus, optimis artibus eruditi. Pericli ſanè maximæ laudi fuiſſe legimus apud Platonem in Phędro; quod Anaxagoram Clazomenium præceptorem habuiſſet. Plato tribus de rebus gratias Dijs agere ſolitus dicitur, primò quod natus eſſet homo, non belua, deinde quòd Græcus, non Barbarus, tùm quòd Socratis tempore, quo præceptore vtebatur. Philippus Macedoniæ rex Alexandri Magni pater, nato Alexandro ſcripſit ad Ariſtotelem, non tàm gaudere ſe, quod ſibi filius natus eſſet, quàm quod ipſius Ariſtotelis tempore, à quo poſſet erudiri.

## Et ſi quid cui magnum, aut incredibile acciderit, maximeque ſi id diuinitus accidiſſe, potuerit videri.

Quæ magna & quaſi incredibilia acciderunt ei, quem laudamus, magnoperè ſunt amplificãda, vt potius diuina quàm humana eſſe videantur. Maxima enim laus eſt habere Deos propitios, & in rebus gerendis eorum auxilio ſubleuari. Atque hac de cauſa Homerus ſuis heroibus cuſtodes Deos asſignat, & adiutores. Facit enim (ut ait Horatius) ope Palladis Tididem ſuperis parem. Sic apud Virgilium Latinus, Troianos hoſtes admiratus, gentem Deorum vocat, Bellum importunum ciues cum gente Deorum, Inuictiſque viris gerimus. Cicero pro Lege Man. multa magna atque incredibilia Pompeio accidiſſe commemorat, vt eius laudes maiores appareant, ut, quod adoleſcentulus priuatus exercitum difficili Reip. tempore confecerit, & rem optimè ductu ſuo geſſerit, quod eidem peradoleſcenti imperium atque exercitus datus fuerit, & Sicilia atque Africa permiſſa, quod eques Romanus triumpharit, quod in Hiſpaniam pro conſule miſſus fuerit, quod ex S.C. legibus ſolutus conſul antè factus ſit, quàm ullum alium ma-



Digitized by Google

giſtratum per leges capere licuiſſet. quin ea, quæ geſſerit Pompeius, vult à Deis Cicero delata ad eum fuiſſe, cum ita inquit, Hoc breuiſſime dicam, neminem vnquam tàm impudentem fuiſſe, qui à Dijs immortalibus tot & tantas res tacitus auderet optare, quot & quantas Dij immortales ad Cn. Pompeium detulerunt. & alibi, Amiſiſſetis Aſiam, Quirites, niſi ipſum id temporis diuinitus Cn. Pompeium ad eas regiones fortuna populi Romani attuliſſet.

## Tum quod quiſque ſenſerit, dixerit, geſſerit, ad ea, quæ propoſita ſunt, virtutum genera accommodabuntur.

Non ſolum facta laudari ſolent, ſed etiam dicta & cogitationes. Itaque diligenter in laudando quærendum eſt, quid quiſque ſenſerit, dixerit, geſſerit, vt hæc omnia poſsint ad aliquod virtutis genus accommodari: vt pro Milone laudat in eo Milonem, quòd ſemper pro bonis contra improbos ſenſerit, quòd propoſita inuidia, morte, pœna, nihil ſegnius Remp. defenderit, Exponit etiam multa quæ Milo dixerit, ibi, addit hæc, quæ certè vera ſunt, fortes & ſapientes viros non tàm præmia ſequi ſolere rectè factorum, quàm ipſa rectè facta, ſe nihil in vita niſi præclariſsimè feciſſe, ſi quidem nihil ſit præſtabilius viro, quàm periculis patriam liberare; Facta vero ipſa ſunt ad virtutum genera accomodanda, vt quæ quis in bello præclarè geſſerit, ad fortitudinem & prudentiam, quæ in adminiſtratione Reip. ad iuſtitiam & ciuilem ſcientiam, quæ caſtè atque integrè ad temperantiam, quæ ſcienter & eruditè ad ſapientiam, atque ita de reliquis. Sæpe etiam inter ſe facta comparantur, vt quæ maiora ſint appareant, vt pro Marcello Cicero probare contendit Cæſarem quamuis in bello plurimas res præclariſsimas geſſerit, tamen maiorem laudem ex clementia & manſuetudine, quam ex virtute bellica reportaſſe. Itaque (inquit) C. Cæſar bellicæ tuæ laudes celebrantur, illæ quidem non ſolum noſtris, ſed penè omnium gentium literis, atque linguis, neque vlla vnquam ætas de tuis laudibus cõticeſcet, ſed tamen eiuſmodi res neſcio quomodo, etiam dum audiuntur, aut dum leguntur, obſtrepi clamore militum videntur, & tubarum ſono. At vero cum aliquid clementer, manſuetè, iuſtè, moderatè, ſapienter factum, in iracundia præſertim, quæ eſt inimica conſilio, & in uictoria, quæ natura inſolens, & ſuperba eſt, aut audimus, aut legimus, quo ſtudio incendimur non modò in geſtis rebus, ſed etiam fictis? vt eos ſæpè, quos nunquam vidimus, diligamus, te vero, quem præſentem intuemur, cuius mentem, ſenſuſque, & os cernimus, vt quicquid belli fortuna reliquum Reip. fecerit,

Iracundia conſilio inimica. Victoria natura inſolens.

fecerit, id eſſe ſaluum velis, quibus laudibus efferemus? quibus ſtudijs proſequemur? qua beneuolentia complectemur?

## Ex illiſque ijſdem inueniendi locis, cauſæ rerum, & euentus, & conſequentia requirentur.

In laudando vituperandoque plurimum refert, caſus, euentus, & conſequentia requirere, vt in L. Bruti laudibus, quærentur cauſæ, cur ſtultitiam ſimularit, cum eſſet prudentiſsimus? cur Tarquinium regem cognatum ſuum expulerit? cur proprios filios necari iuſſerit, cum eſſet clementiſsimus? quæ ſi rectè fuerint explicatæ, multò admirabiliorem eum uirum efficient. Deinde euentus, ut quid euenerit ex illa ſimulata ſtultitia? quid ex oraculo delphico, quid ex ſtupro & morte Lucretiæ, tum conſequentia, vt extinctio regij dominatus, recuperatio libertatis, æquabilitas legum, & optimus Reip. ſtatus. Quærentur ergò ſic in laudando cauſæ, vt cur Cicero coniurationem patefacere laborauit, quia de ſalute Reip. ſicut optimum conſulem decet, maximè ſolicitus erat. cur Superior Africanus, ſine decreto Senatus exercitum in Africam traduxit? quia pro ſua ſingulari prudentia uidebat Annibalem in Africa facilius, quàm in Italia vinci poſſe. Eodem modo etiam euentus laudantur, ut Mutius Sceuola quamuis Porſenam, ſicuti decreuerat, non interfecit, tamen nihilominus eſt laudandus, quoniam ex eo facto deinde euenit, ut Porſena Romam obſidione liberaret, & cum Romanis pacem faceret. Denique conſequentia ſæpè multum laudes amplificant, vt Cicero fuit quidem in exilium expulſus, ſed poſteà conſecutum eſt, vt longè maiorem honorem ex glorioſo reditu ſibi acquireret, quàm ſi Romæ ſemper fuiſſet. Cato cenſorius quater & quadragies accuſatus, & ſemper abſolutus, magnam innocentiæ gloriam adeptus eſt. Hæc autem tria, hoc eſt cauſæ, euentus & conſequentia, magnam afferent dicendi copiam, ſi in ſingulis diu conſiſtemus, vt quo ſtudio, qua diligentia, qua cura, qua ſolicitudine ſit uſus Cicero, vt Catilinæ conatus nefarios frangeret, quæ ſunt cauſæ, quibus rationibus patefacta coniuratio ſit, & labefactata, atque uindicata, qui eſt euentus totius negocij, quam gloriam adeptus ſit ipſe Cicero, qui eſt pater patriæ primus omnium appellatus, & quæ odia improborum in ſe concitarit, quæ ſunt conſequentia.

## Neque uero mors eorum, quorum uita laudabitur, ſilentio præteriri debebit, ſi modo quid erit ani-



Digitized by Google

maduertendum aut in ipſo genere mortis, aut in ijs rebus, quæ poſt mortem erunt conſecutæ.

Si laudabimus eum, qui iam exceſſerit è uita, non debemus eius mortem ſilentio præterire, ſed exponere quo genere mortis ſit extinctus, & tunc præcipuè cum aliquid in morte eius fuerit animaduerſione dignum; præterea ſunt illa etiam exponenda, quæ poſt mortem ei contigerunt; Si quis enim pro patria mortuus fuerit, is copiosè laudari hac in parte poterit, ut tres Decij, Q. Curtius, Scipiones, *alijque plurimi*: Sic enim primo Tuſculanarum Cicero, Claræ vero *mortes pro* patria oppetitæ, non ſolum glorioſæ rhetoribus, ſed etiam beatę uideri ſolent. ipſe Cicero Philippica nona, mortem Ser. Sulpitij multum commendat, quam in legatione ad M. Antonium obierat. Nunc autem quis dubitat, quin ei vitam abſtulerit ipſa legatio? ſecum enim ille mortem extulit, quam, ſi nobiſcum remanſiſſet, ſua cura, optimi filij fideliſsimæ coniugis diligentia uitare potuiſſet, at ille, cum videret, ſi veſtræ auctoritati non paruiſſet, diſsimilem ſe futurum ſui, ſed munus ſibi illud pro Rep. ſuſceptum vitæ finem allaturum, maluit in maximo populi Romani diſcrimine mori, quàm minus, quàm potuiſſet videri Reip. profuiſſe. & quæ ſequuntur. Laudantur etiam mulieres quæ pro pudicitia mortẽ obierunt, vt apud Romanos Lucretia, apud Græcos Hippone, quæ cum hoſtium claſſe fuiſſet excepta, ſe in mare, vt pudicitiam tueretur, abiecit. Tum is etiam copiosè laudatur, qui morbum conſtantiſsimè tulerit, & nunquam præ dolore in deſperationem uenerit, & ſi de vita æterna nihil dubitarit, verum ad meliorem vitam ſe profecturum ſperarit, quemadmodum apud Xenophontem Cyrus Maior moriens dicit: & apud Ciceronem libro de Senectute Cato, O præclarum (inquit) illum diem, cum in illud animorum concilium, cætumque proficiſcar. Poſt mortem etiam accidunt aliqua, quæ laudabiliorem uirum efficiunt, ut L. Brutum matronæ totum annum luxerunt, ut C. Cæſar inter Deos relatus, ut multi uiri ſanctiſsimi poſt mortem miracula ediderunt. Hæc ſunt quæ ad laudandi rationem attinent, & ad mores honeſtiſsimè conformandos.

C. F. Accepi iſta, didiciq. breuiter, non ſolum quemadmodum laudarem alterum, ſed etiam quemadmodum eniterer, ut poſsem iure laudari: Videamus deinceps in ſententia dicenda, quam uiam, & quæ præcepta teneamus.

Iam

Digitized by Google

Iam ea, quæ ad demonſtratiuum genus pertinent, explicata ſunt, ex quibus duplicem ſe vtilitatem percepiſſe Cicero filius teſtatur, primò quomodo poſsit alterum laudare, deindè quemadmodum enitatur, ut poſsit iure laudari: nemo enim rectè poteſt alterum laudare, niſi qui virtutum omnium, & laudandarum rerum cognitionem habuerit; qui vero didicit, quæ ſint in altero laudanda, is etiam ſi uoluerit, eadem efficere conari poterit. His igitur explicatis, ad deliberatiuum genus accedit, quo in genere ſententia dicitur, de re ad conſultandum propoſita. quare ſe deinde explicaturum proponit, quæ via, & quæ præcepta tenenda ſint in ſententia dicenda. Vocatur autem hæc tranſitio, *quando* breuiter oſtenditur, quid adhuc dictum ſit, & quid deinceps eſt dicendum.

C. P. Eſt igitur in deliberando finis vtilitas, ad quem omnia referuntur in conſilio dando, ſententiaque dicenda.

Primo finem deliberatiui generis ponit, ad quem omnia referantur: Sicut enim in demonſtratiuo finis eſt honeſtas, ita in deliberatiuo utilitas, ita tamen ut nomine utilitatis etiam honeſtas comprehendatur. Nunquam enim diſcrepat utile à decoro. Socrates illum execrari ſolebat, qui primus utilitatem ab honeſtate ſeparaſſet: De qua re multa tertio de officijs Cicero diſputat. Sed quoniam in deliberando non per ſe honeſtas conſideratur, ſed ut refertur ad aliquem fructum uel fortunarum, uel dignitatis, uel gloriæ. ideo finis eſt utilitas, non autem honeſtas. Nam quod turpe apparet, id ne utile quidem exiſtimant, vt Athenienſes Cyrſilum quendam ſuadentem ut in urbe manerent, Xerxemque reciperent, lapidibus obruerunt, quamuis ille utilitatem ſequi videretur. Themiſtocles Athenis in concione dixit ſe habere conſilium Reip. ſalutare, quod non eſſet palàm dicendum, datus eſt illi Ariſtides, qui cum communicaret, huic ille claſſem Lacedæmoniorum, quæ ſubducta eſſet, ad Gythium clàm incendi poſſe dixit, quo facto frangi Lacedæmoniorũ opes neceſsè eſſet, quod Ariſtides cum audiuiſſet in concionem venit, dixitque perutile conſilium eſſe Themiſtoclis, ſed minimè honeſtum, quod Athenienſes ſtatim repudiarunt. Non igitur utilitas unquam à bonis viris ab honeſtate ſeparata quæritur. Sed cum in deliberando finem dicimus utilitatem eſſe, id ea de cauſa facimus, vt à Demonſtratiuo genere ſeparemus, in quo ſæpè honeſtas ſola, etiam omni detracta utilitate, commendatur, quod in deliberatiuo non fieri ſolet, in quo præcipuè ſpectatur utilitas: Deinde cauetur, vt ea utilitas ab honeſtate non ſit aliena.

Vt illa

Digitized by Google

Vt illa prima ſint ſuaſori, aut diſſuaſori videnda, quid aut poſſit fieri, aut non poſſit, & quid aut neceſſe ſit, aut non neceſſe. nam & ſiquid effici non poteſt, deliberatio tollitur, quamuis vtile ſit, & ſi quid neceſſe eſt.

Duo prima capita ſunt in omni deliberatione, quæ ſuaſor & diſſuaſor diligenter videre debet: Primum poſsit ne fieri, an *non poſsit*: Secundum quid aut neceſſe ſit, aut non neceſſe. Nam *aut certum eſt id* poſſe fieri de quo deliberamus, aut incertum, ſi *incertum*, *hæc erit* prima quæſtio, quæ ad coniecturam refertur, vt poterit ne Scipio Annibalem in Africam retrahere? poterit ne Cæſar Iſthmum perfodere? poterit ne Cicero conſulatum adipiſci, cum ſit nouus homo? & nobiliſsimos habeat competitores? ſi certum eſt fieri poſſe, videndum eſt, an ſit neceſſarium, ne ſuperuacanea aggrediamur. Neceſſarium autem non ſimpliciter intelligendum eſt, ſe id, quod *pertinet*, aut ad ſalutem, aut ad libertatem. Cum autem aliquid nullo modo fieri poſſe conſtat, ſtatim deliberatio tollitur, quoniam nemo eſt, qui impoſsibilia ( vt ita dicam ) aggredi velit, quamuis vtilia eſſe videantur. ita ſi quid eſt perdifficile, ſæpenumerò pro impoſsibili habetur, vt ponte Heleſpontum ſternere, & Atho montem perfodere, quæ tamen Xerxes effeciſſe dicitur.

Neceſse autem id eſt, ſine quo ſalui, liberiue eſse non poſsumus, id eſt reliquis & honeſtatibus in ciuili ratione, & commodis anteponendum.

Quoniam is, qui ſententiam dicit, ſæpè conatur oſtendere illa, quæ ſuadet eſſe neceſſaria, ideo dicendum eſt, quid ſit illud, quod neceſſe vocatur.

Eſt enim neceſsitas quædam abſoluta, de qua nihil deliberandum eſt, quoniam nullum humanum conſilium eam immutare poteſt, vt omnibus mori neceſſe eſt, nemo igitur deliberat quomodo nunquam moriatur.

Eſt altera neceſsitas non abſoluta, ſed adiuncta conditioni, vt neceſſe eſt cibo & potione vti, ſi volumus viuere: ſed hoc in poteſtate noſtra poſitum eſt, vtamur cibo nec ne, poſſumus enim abſtinere, & inedia mori, quod multi leguntur feciſſe, & de hac ſecunda neceſsitate loquitur hoc in loco Cicero. Nam ( vt docet etiam Ariſtoteles ) de ijs

Digitized by Google

de ijs tantum deliberamus, quæ ſunt in noſtra poteſtate, vt ea faciamus, aut non faciamus. Ergo cum neceſſe eſt dicimus, tunc aut ſalutem proponimus, aut libertatem; quoniam hæc duo præter cætera quæruntur. Salutem, vt cum Poſthumius apud furcas Caudinas à Samnitibus obſideretur, neceſſe fuit illi turpe fædus cum hoſtibus ferire, niſi cum toto exercitu fame enecari voluiſſet. Libertatem, vt poſt Cànenſe prælium Romanis neceſsè fuit, etiam ſeruos armare, vt Annibali reſiſtentes libertatem ſuam conſeruarent. Hæc autem, quæ vel ad ſalutem vel ad libertatem pertinent, reliquis omnibus rebus, vel honeſtis vel vtilibus anteponuntur, nam (vt etiam vulgo dicitur) Neceſsitas legem non habet, & T. Liuius, Pareatur neceſsitati, quam ne Dij quidem ſuperant. Hæc duo in omnibus ferè Philippicis contra Antonium Cicero proponit, docetque eſſe neceſſarium, ipſum Antonium bello perſequi, & profligare, ſi Romani ſalutem & libertatem tueri & conſeruare velint. Neceſſitati parendum.

Cum autem quæritur, quid fieri poſſit, uidendum etiam eſt, quàm facilè poſsit: Nam quæ perdifficilia ſunt, perinde habenda ſæpè ſunt, ac ſi effici non poſsint. Difficilia p impoſſibilib. haberi.

In deliberando ſæpè etiam rei facilitas, aut difficultas proponitur, ſuaſor enim probare contendit, rem eſſe factu facilem, contra diſſuaſor eſſe arduam, & perdifficilem, atque ideo dimittendam: quoniam quæ difficilima ſunt, talia ſæpè habentur, vt nullo modo fieri poſsint: Verum ſi res difficilis atque ardua ſit, ſæpè fructu & dignitate compenſatur, vt ſtudia bonarum artium difficilia quidem ſunt, ſed tantam ſecum annexam vtilitatem atque honeſtatem habent, vt omnem difficultatem ſpernere debeamus. Cicero pro P. Seſtio, Eſt labor, non nego, pericula magna fateor, multæ inſidiæ ſunt bonis, veriſsimè dictum eſt, ſed te id, quod multi inuideant, multique expectant, inſcitia ſit (inquit) poſtulare, ſi tu laborem ſumma cum cura efferas nullum. Quod ſi quis adeo pauper ſit, vt ſtudijs operam dare non poſsit; ſtultum erit eum vel ad Philoſophiam, vel ad ius ciuile adhortari: hoc enim pauperi perdifficile eſt. Quod ſi docuerimus nihil eſſe quod ſtudio & induſtria effici non poſsit, facilior erit perſuadendi ratio.

Et cum de neceſsitate attendemus, & ſi aliquid non neceſsarium uidebitur uidendum tamen erit, quam

ſit magnum

Digitized by Google

ſit magnum. Quod enim permagni intereſt, pro neceſsario ſæpè habetur.

Sunt aliquæ res, de quibus deliberatur, adeò magnæ, vt quamuis non ſint neceſſariæ, tamen quoniam permagni interſunt, pro neceſſarijs habentur. Itaque ſuaſor amplificare debet eam rem, quam ſuadet,& oſtendere permagnam eſſe, quod Cicero pro Lege Man. diligenter facit, cum oſtendit bellum Mithridaticum permagnum eſſe & periculoſum, atque ideo ita neceſſarium, vt ſit gerendum. *Ariſtoteles* primo Rhetoricum, res maximas, de quibus homines *deliberant, ait* eſſe quinque: hoc eſt de vectigalibus, de bello & pace, de *cuſtodia* regionis, de ijs quæ importantur & exportantur, de ferendis legibus. Quoties igitur vel de vno, vel de pluribus horum dicturus eſt orator, vel de rebus ad hæc pertinentibus, iure ſuo poterit à neceſsitate, quantum voluerit amplificare: quoniam hæc omnia, quamuis non ſint omnino neceſſaria, tamen quia permagni interſunt, pro neceſſarijs habentur, vt tertia Philippica de bello contra Antonium, Mea autem feſtinatio non victoriæ ſolum auida eſt, ſed etiam celeritatis, quouſque enim tantum bellum, tàm crudele, tàm nefarium priuatis conſilijs propulſabitur? cur non quamprimum publica accedit auctoritas? de lege Agraria contra Rullum multa de vectigalibus populi Romani diſputat.

Itaque cum conſtet hoc genus cauſarum ex ſuaſione, & diſsuaſione, ſuaſori proponitur ſimplex ratio, ſi & utile eſt, & fieri poteſt, fiat, diſsuaſori duplex; Vna ſi non utile eſt ne fiat, altera, ſi fieri non poteſt, nec ſuſcipiatur; ſic ſuaſori utrumque docendum eſt, diſſuaſori alterum infirmare ſat eſt.

Longè difficilius (ait Ariſtoteles) eſt conſtruere quàm deſtruere, quoniam vna eſt conſtruendi ratio & via, multæ deſtruendi: ſic etiam ſuadere difficilius eſt, quam diſſuadere. Suaſor enim vnam tantum viam habet, vt oſtendat id, quo ſuadet, & vtile eſſe, & fieri poſſe; diſſuaſor autem duas habet vias impediendi, prima ſi poteſt oſtendere, non eſſe vtile, ſecunda ſi doceat, non fieri poſſe. Quare ſuaſor debet vtrumque docere, hoc eſt, id, quod ſuadet, & vtilitatem in ſe plurimam habere, & ad exitum perduci poſſe; Diſſuaſori vero ſatis eſt alterum tantùm infirmare, vt ſi doceat inutile conſilium eſſe, aut ſi doceat,

ceat, nullo modo, aut non commodè fieri poſſe. Sunt qui ſuaſori ſex capita proponant, ad quæ ſemper in dicendo reſpicere debeat, hoc eſt, honeſtum, vtile, iucundum, neceſſarium, poſsibile, facile, quæ vel omnia ſimul probet, vel quotquot potuerit. Diſſuaſori vero totidem ex altera parte contraria, turpe, damnoſum, moleſtum, ſuperuacaneum, impoſsibile, difficile. Ariſtoteles Ethicorum ſecundo, tria dicit eſſe, quæ ſequamur, honeſtum, vtile, iucundum, & tria quæ fugiamus, turpe, inutile, moleſtum. Quare ſuaſori ſemper ad ea reſpiciendum eſt, quæ ſequi ſolemus, vt quod ſuadet, tale eſſe doceat, diſſuaſori ad ea, quæ declinamus & fugimus, vt eis affine eſſe oſtendat, quod diſſuadet. Deliberet Cleanthes ſenex, tardus & pauper, an Philoſophiæ det operam.

Suaſor primò docebit, nihil eſſe difficile volenti, & licet pauper ſit, non obſtare tamen Philoſophiæ paupertatem, licet ſit ſenex, omnem ætatem aptam eſſe ad diſcendum, licet ſit tardus, nihil eſſe quod ſtudio & amore effici non poſsit: deinde copioſè enumerabit, honores, vtilitates, iucunditates, quæ à Philoſophia proueniunt.

Diſſuaſor primo dicet ſtultum eſſe id conari, quod effici non poſſit, non poſſe quod ſumma inopia prematur, ſtudijs operam dare, quæ vehementem animi applicationem velit, prius oportere ditari, deinde Philoſophari, grandiorem natu, non poſſe in eo ſtudio proficere, in quo plurimi ab adoleſcentia occupati, totam ætatem contriuerunt, neque multum tamen profecerunt: cum præſertim accedat, vt tardo ſit ingenio, cum Philoſophia celeres animi motus deſideret, & promptum atque velox ingenium. Denique tantum hac vtetur via, qua oſtendat, fieri non poſſe, quod Cleanthes deliberat, neque enim negari poteſt, Philoſophiam, & honeſtam, & vtilem & iucundam eſſe. Deliberet Pompeius an Theatrum magnificentiſsimum cōſtruat. Suaſor dicet id opus ad gloriam Pompeio fore vtiliſsimum, & ab eo præſtari facilè poſſe, quòd multis diuitijs atque opibus abundet; diſſuaſor ſatis magnam à Pompeio gloriam iam eſſe acquiſitam dicet, eumque ſumptum tàm ingentem prorſus inutilem futurum: quare tantum hac vtetur via, non eſſe vtile, quoniam fieri poſſe conſtat.

Quare quoniam in his verſatur omne conſilium duobus, de utilitate ante dicamus, quæ in diſcernendis bonis, malisque uerſatur. Bonorum autem partim neceſſaria ſunt, vt uita, pudicitia, libertas, ut liberi, coniuges, germani, parentes; partim non neceſſaria, quorum alia ſunt per ſe expetenda, ut ea, quæ

ſita ſunt in officijs, atque virtutibus, alia quòd aliquid commodi efficiunt, vt opes, & copiæ.

Quicquid in deliberationem cadit, ad duo illa capita referri debet, ſit vtile nec ne, & an fieri poſsit. Itaque copioſius hæc duo capita tractare vult Cicero, ac primò quidem agit de vtilitate, quoniam hic eſt deliberationis finis, deinde tractabit etiam de eo, quod fieri poteſt. Vtilitas igitur in diſcernendis bonis & malis verſatur, nihil enim aliud vtile eſt, quàm ea ſequi, quæ bona ſunt, & quæ ſunt mala, *deuitare*. Quare nemo recte conſilium dare poterit, niſi qui bona & *mala benè* diſcernere didicerit, bona vero ita diſtinguit Cicero, vt partim neceſſaria ſint, partim non neceſſaria: neceſſaria vocat ea, ſine quibus ſalui liberiuè eſſe non poſſumus, quæ vel ad perſonam noſtram pertinent, vt vita, pudicitia, libertas, vel ad eos, qui nobis chariſsimi eſſe debent, vt liberi, coniuges, germani, parentes, amici, qui idcirco etiam neceſſarij vocantur, quoniam ſine his humana vita ſalua eſſe non poteſt, atque ideo hæc bona neceſſaria reliquis omnibus bonis & commodis ſunt anteponenda. Illa vero bona, quæ non neceſſaria vocantur, vel ad animum pertinent, & per ſe ſunt exponenda, vt virtutes, & vitia, vel ad aliquod commodum referuntur, vt opes, & copię.

Prima igitur bonorum diuiſio hæc eſt, quod aliqua ſunt neceſſaria, aliqua non neceſſaria. Neceſſaria ſunt, vt vita, cuius prima debet eſſe cura, vt cum honeſtate viuatur, vt pudicitia, quam non minus quàm vitam tueri debemus, vt libertas, quam iuriconſulti dicunt eſſe bonum, quod nullo precio poteſt æſtimari; hæc autem tria perſonam noſtram reſpiciunt, quatuor ſequentia, liberi, coniuges, germani, parentes, perſonas noſtrorũ, quas non minus quàm nos ipſos diligere debemus; reliqua bona dicũtur non neceſſaria, non quia non ſint valde expetẽda, ſed quia ſalutem & libertatẽ ſine illis tueri poſſumus.

Secunda bonorum diuiſio hæc eſt, Quæ bona ſunt neceſſaria, alia per ſe ſunt expetenda, alia commodi alicuius gratia; Per ſe ſunt expetenda, quæ in officijs & virtutibus ſita ſunt, Commodi gratia expetuntur opes & copiæ, tùm ad vſus vitæ neceſſarios, tùm ad cultum & dignitatem.

Eorum igitur quæ propter ſe expetuntur, partim honeſtate ipſa, partim commoditate aliqua expetuntur, honeſtate ea, quæ proficiſcuntur ab ijs virtutibus, de quibus paulo antę eſt dictum. quæ ſunt lau

dabilia

dabilia ipſa per ſe, commoditate autem aliqua, quæ ſunt in corporis, aut fortunæ bonis expetenda, quorum alia ſunt quaſi quodammodo cum honeſtate coniuncta vt honos, vt gloria, alia diuerſa, vt vires, forma, valetudo, nobilitas, diuitiæ, clientelæ.

Hic locus non mediocrem habet difficultatem, quia videtur Cicero diuiſionum membra confundere, neque ſatis ſibi conſtare; Cum *enim* antea dixiſſet; bona non neceſſaria partìm per ſe expetenda, partìm quòd aliquid commodi efficiant, nunc iterum addit, quæ propter ſe expetuntur, partìm honeſtate ipſa, partim commoditate aliqua expeti, atque ita tria genera bonorum hoc eſt animi, corporis, & externa, propter ſe dicit eſſe expetenda, cum tamen ſupra iam dixiſſet ſola ea, quæ ſita ſunt in officijs atque virtutibus per ſe expetenda eſſe. Huc accedit, quod eadem diuiſione bis vti videtur, quod in diuidendo maximè vitioſum eſt. Quid enim intereſt, vtrum eo modo diuidas; Bonorum alia ſunt per ſe expetenda, vt ea, quæ ſita ſunt in officijs atque virtutibus, alia quod aliquid commodi efficiant, an illo modo; Quæ propter ſe expetuntur, partim honeſtate ipſa, partim commmoditate aliqua expetuntur? Hanc difficultatem vidit quidem Strobæus, & ſoluere conatus eſt, ſed nullo modo ſatisfecit, imò magis auxiſſe, quàm ſoluiſſe videri poteſt. Nos igitur aduertimus duabus ex rebus hanc ortam eſſe difficultatem, primò quia mendum eſt in vulgatis libris, vt in antiquo & manuſcripto deprehendimus, vbi enim in vulgatis legitur EORVM AVTEM QVÆ PROPTER SE, in illo antiquo ſcriptum eſt, EORVM IGITVR. quæ lectio multo melior & facilior eſt, vt iàm oſtendemus. Deindè quia apud Cicerorem aliud eſt, per ſe expetendum, & aliud propter ſe expetendum. Nam per ſe expetendum id dicitur, quod detracta omni commoditate atque vtilitate, tamen natura ſua, maximè eſt laudabile, quales ſunt ipſæ virtutes. Propter ſe expetendum dicitur, quicquid boni naturam obtinet, ſiue ſit in animo, ſiue in corpore, ſiue in rebus externis, atque hac diſtinctione ſoluitur ea difficultas. Quare Cicero cum prius dixiſſet, tantùm ea, quæ in officijs & virtutibus ſita ſunt, eſſe per ſe expetenda, poſteà dicat etiam corporis & fortunæ bona propter ſe eſſe expetenda; Rurſus id aduertendum eſt, ea bona omnia, quæ dicuntur non neceſſaria, vocari propter ſe expetenda, vt ſit hæc prima diuiſio, Bonorum, partim propter neceſsitatem expetuntur, partim propter ſe, hoc eſt propter naturam ſuam. Secunda vero diuiſio ſit hæc, Bonorum, quæ propter ſe expe-

tuntur, partim honeſtate ipſa, partim commoditate aliqua expetuntur. Itaque cum Cicero nominaſſet ea bona, quæ neceſſaria ſunt, & quæ non ſunt neceſſaria, ſubdiuiſiſſet hoc modo. Non neceſſaria, quorum alia ſunt per ſe expetenda, vt ea, quæ ſita ſunt in officijs atque virtutibus, alia quod aliquid commodi efficiunt, vt opes & copiæ; Hanc ſecundam diuiſionem, quoniam pluribus verbis egebat, iterum aſſumpſit hoc modo: Eorum igitur quæ propter ſe expetuntur, partim honeſtate ipſa, partim commoditate aliqua expetuntur, vt ſint eadem bona, quæ dicuntur non neceſſaria, & quæ propter ſe expetuntur. Quæ igitur propter ſe expetuntur, partim *ſunt laudabilia* ipſa per ſe, vt quæ proficiſcuntur à virtutibus, & *honeſtate, quæ ſplendore ſuo cæterorum bonorum luminibus officiunt, & ideo hæc ſola dicuntur per ſe expetenda*: commoditas vero, aut in corpore, aut in externis bonis ſpectatur, ea duplex eſt, aut cum ipſa honeſtate coniuncta, vt honos, gloria, aut ab ea diſiuncta, quæ vel corporis eſt, vt vires, forma, valetudo, vel fortunæ, vt nobilitas, diuitiæ, clientelæ. Age videamus, quomodo hæc tria neceſſarium, honeſtum, vtile, ſint in deliberatione tractanda: Deliberat Senatus populusque Romanus, an bellum contra Mithridatem ſuſcipiat, primò videndum an neceſſarium ſit, hoc eſt, vtrum agatur de ſalute aut de libertate populi Romani, quod cum non poſſet oſtēdere Cicero, quod proximum erat, arripuit, dicens; Agitur ſalus ſociorum atque amicorum, pro qua multa maiores veſtri magna & grauia bella geſſerunt. Si non neceſſarium eſt, videre oportet an ſit honeſtum, an vtile, honeſtum eſſe oſtendit à iuſtitiæ parte, quæ vindicatio dicitur, vt puniatur Mithridates, qui ciues Romanos necandos trucidandoſque denotauit, rurſus quia in eo bello agitur populi Romani gloria, vtile vero docet eſſe, quoniam aguntur in eo certiſsima populi Romani vectigalia & maxima. Nonnunquam hæc tria ſimul conglobata ponuntur, vt magis audientium animos moueant, quod Cicero fecit in tertia contra Catilinam, Quare P. C. conſulite vobis, proſpicite patriæ, conſeruate vos, coniuges, liberos, fortunaſque veſtras, populi Romani nomen ſalutemque defendite.

Eſt etiam quaſi quædam materies ſubiecta honeſtati, quæ maximè ſpectatur in amicitijs, amicitiæ autem charitate, & amore cernuntur. Nam cùm Deorum, tùm parentum, patriæq́. cultus, eorumq́. hominum, qui aut ſapientia, aut opibus excellunt, ad charitatem referri ſolet. coniuges autem, & libe-



Digitized by Google

ri, & fratres, & alii, quos uſus familiaritasq́. coniun xit, quamquam etiam charitate ipſa, tamen amore maximè continentur. In his igitur rebus cum bona ſint, facilè eſt intellectu, quæ ſint contraria.

Amicitia cum honeſtate, commoditate coniuncta eſt, itaque non per ſe tantum, vt honeſtas, ſed etiam propter vtilitatem expetitur. Sed quæri poteſt, cur dicat Cicero, amicitiam eſſe quaſi quandam materiem honeſtati ſubiectam? quod facile intelligitur ex ipſius amicitiæ definitione; nihil enim aliud eſt amicitia niſi omnium diuinarum humanarumque rerum, cum beneuolētia & charitate ſumma conſenſio, ſicut in Lælio definitur. Itaque ex amicitia, religio, iuſtitia, & liberalitas pendet, quæ virtutes reliquarum omnium principes ſunt, neque ſine amicitia, in qua ineſt charitas & amor, honeſtum quicquam poteſt exiſtere, ſicut etiam Theologi noſtri concludunt; Hoc enim in loco de vera amicitia, non de vulgari quærimus, nam (ut ait Ouidius) vulgus amicitias vtilitate probat, ſic etiam pueri & adoleſcentes propter iucunditatem & voluptatem, non autem propter honeſtatem amicitias metiuntur, & expetunt. Duabus autem in rebus vera amicitia cernitur, hoc eſt in charitate, & amore, charitas grauius nomen eſt, quam amor, licet interdum etiam amorem complectatur, vt primo de Natura Deorum, Carum ipſum verbum eſt amoris, ex quo amicitiæ nomen eſt ductum. Primo de officijs, Cari ſunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares, ſed omnes omnium charitates, patria una complexa eſt, hoc in loco uult Cicero charitatem ad quinque tantùm genera pertinere, hoc eſt ad Deos, & Deorum cultum, quæ proprio nomine religio dicitur, ad parentes, ad patriam, quæ dicitur pietas, ad ſapientes, ad illuſtres & principes viros, quæ reuerentia nominatur. Amorem autem ad reliquas omnes perſonas, quibus cum aliqua neceſsitudo nobis intercedit, ut ad coniuges, liberos, fratres, amicos, familiares, propinquos, affines, & cæteros eius generis, ad quos licet etiam charitas extendatur, tamen amore maximè continentur. Hæc ferè tangit Cicero quarta in Catilinam, cum ita inquit. Nam primum debeo ſperare omnes Deos, qui huic urbi præſident, pro eo mihi ac mereor, relaturos gratiam eſſe, deindè ſi quid obtigerit, æquo animo paratoque moriar, neque enim turpis mors, forti viro poteſt accidere, neque immatura conſulari, nec miſera ſapienti, nec tamen ego ſum ille ferreus, qui fratris chariſsimi atque amantiſsimi præſentis mærore non mouear, horumque omnium lachrymis, à quibus me circumſeſſum videtis, neque meam mentem non domum ſæpè reuocat exa-

cat exa-

Digitized by Google

ſeat examinata vxor, abiecta metu filia, & paruulus filius, qui mihi videtur amplecti Remp. tanquam obſidem conſulatus mei, neque ille, qui expectans huius exitum diei, aſtat in conſpectu meo gener, moueor his rebus omnibus, ſed in eam partem, vt ſalui ſint nobiſcum omnes.

Quod ſi ſemper optima tenere poſſemus, haud ſanè quoniam quidem ea perſpicua ſunt, conſilio multum egeremus. Sed quia temporibus, quæ *uim* habent maximam, perſæpè euenit, ut utilitas cum honeſtate certet, earumque rerum contentio plerunque deliberationes efficit, ne aut opportuna propter dignitatem, aut honeſta propter utilitatem, relinquantur, ad hanc difficultatem explicandam præcepta referamus.

Hactenus propoſita eſt omnis deliberandi materia, ſequitur vt videamus, quæ ſint illa, de quibus deliberamus, & qui ſint ij, qui deliberant.

Sunt autem tria rerum genera, quæ nobis ad agendum proponi ſolent, ideſt, honeſta, turpia, & media. Quod ſi honeſta ſemper tenere poſſemus, non opus eſſet deliberatione, aut conſilio; neque enim quiſquam de eo deliberat, quod optimum eſt, ac maximè perſpicuum; ſed illud ſtatim amplectendum exiſtimat, honeſtas enim lucet ipſa per ſeſe, & animos hominum ad ſe naturaliter trahit, vt de illa non opus ſit longa deliberatione. Neque ſanè de turpibus rebus in ciuili concione deliberare ſolemus, vtrum eas aggrediamur necne, quoniam eas humana natura quodammodo refugere ſolet. Omnis igitur deliberatio eſt in medijs officijs, in quibus & honeſtas, & commoditas ſpectatur, quo in genere pleręque ſunt hominum actio-
l.3. de off. nes, vt docet Cicero. Incidunt autem tempora, cum ea, quæ optima ſunt, tenere non poſſumus, etiam ſi illa videamus. Id adeo fit, cum honeſtas certat cum utilitate, aut cupiditate, tunc enim oritur deliberatio, vtrum quæ opportuna ſunt potius, an dignitatem ſequamur, vtrū honeſta an vtilia complectamur; vt ſi vir nobilis, ac diues ad Reipub. adminiſtrationem vocetur, & deliberet, vtrum capeſſat Remp. an uiuat ſuis opibus contentus; ſuaſor illi dignitatem, gloriam, honorem proponet; diſſuaſor vero quietem, curam rerum domeſticarum, opportu-

portunitatem vitæ commemorabit. Pyrrhus inuitat Fabricium, vt à Romanis ad ſe deficiat, & dimidiam illi regni ſui partem offert, deliberat Fabricius, an conditionem accipiat; honeſtas ſuadet ne Romanos deſerat, vtilitas eum ad Pyrrhum allectat. Senatus populuſque Romanus conſultat, vtrum Corinthum totius græciæ lumen euertat, an incolumen ſeruet; dignitas vrbis ad ignoſcendum, & clementer agendum animos inclinat, ſed opportunitas loci, vbi facilè bellum reparari poteſt contra Romanos, ad eam urbem euertendam impellit. Quoniam igitur ſæpè honeſtatis & utilitatis contentio deliberationes efficit, uult hoc loco docere Cicero, quibus modis, ſit hæc difficultas explicanda, ne fortaſsè vel propter honeſtatem, quæ ſunt vtilia, deſeramus, vel propter vtilitatem honeſta negligamus.

Et quoniam non ad ueritatem ſolum, ſed etiam ad opiniones eorum, qui audiunt accommodanda eſt oratio, hoc primum intelligamus hominum duo eſſe genera, alterum indoctum, & agreſte, quod anteferat ſemper utilitatem honeſtati, alterum humanum expolitumque, quod rebus omnibus dignitatem anteponat. Itaq. huic generi laus, honor, gloria, fides, iuſtitia, omniſq. uirtus, illi autem alteri quæſtus, emolumentum fructuſq. proponitur.

Orator non ſibi ſemper veritatem proponit, ſed omnem orationem ad opiniones eorum, quid audiunt, accommodat. Quoniam (vt ait alibi Cicero) auditorum aures moderantur oratori ſapienti & prouido, idcircò diligenter aduertere debet, qui ſint illi, qui deliberant, vt ad eorum opiniones orationem accommodet. Eſt enim vitioſum in oratione à conſuetudine communis ſenſus abhorrere. Quare ſciendum eſt duo eſſe genera hominum, alterum indoctum, & agreſte, alterum humanum & expolitum. Indocti homines & agreſtes, rebus omnibus voluptatem anteferre ſolent, quoniam beluarum quodammodo naturam imitantur, & ad id tantùm quod adeſt, quodque præſens eſt ſe accommodant. Prudentes autem & expoliti homines non voluptate, ſed dignitate atque honeſtate vitam beatam metiuntur, atque ideo rebus omnibus dignitatem anteferunt. Itaque ſi apud nobiles & expolitos homines, erunt nobis verba facienda, tantum laudem, honorem, gloriam, fidem, iuſtitiam, omnemque virtutem pro-

pone-

ponemus, quibus rebus animus ingenuus ac benè educatus maximè commouetur, & ad res gerendas excitatur. Si vero apud imperitam multitudinē habebimus orationem; ſtatìm de vtilitate, quæſtu, emolumento, mentionem faciamus, quibus maximè ducitur multitudo. Cicero de lege Agraria contra Rullum, ſtatìm populo Romano proponit pacem, libertatem, ocium, quibus maximè commouentur popularium animi, nihil enim magis amant plebei homines, quam in pace & tranquillitate viuere, & libertate, atque ocio frui. Quid enim, ait, eſt tàm populare quàm pax? qua non modo ij, quibus *natura ſenſum dedit*, ſed etiam tecta, atque agri mihi lætari *videntur, quid tàm* populare, quàm libertas, quam nō ſolum ab hominibus, *verum etiam* à beſtijs expeti, atque omnibus rebus anteponi videtis. Quid tàm populare quam ocium, quod ita iucundum eſt, vt & vos, & maiores ueſtri, & fortiſsimus quiſque uir, maximos labores ſuſcipiendos putet, ut aliquando in ocio poſsit eſſe. At pro Lege Man. Statìm gloriam proponit, cùm ita inquit; Genus eſt enim eiuſmodi; quod maximè ueſtros animos excitare, atque inflammare debet, in quo agitur populi Romani gloria, quæ uobis a maioribus cum magna in rebus omnibus, tùm ſumma in re militari tradita eſt. Neque enim fieri poteſt, quin animus nobilis, audito glorię nomine, ſtatim commoueatur, cum nulla tanta ſit humilitas, quæ dulcedine gloriæ non capiatur, ut ait Valerius Max. Interdum hæc omnia commiſcentur in adhortatione, ut apud Saluſtium Catilina, Quapropter uos moneo uti forti, atque parato animo ſitis, & cum prælium inibitis, memineritis uos diuitias, decus, gloriam, præterea libertatem atque patriam in dextris ueſtris portare, ſi uincimus, omnia nobis tuta erunt, commeatus abundè, municipia atque coloniæ patebunt, & quæ ſequuntur.

Atque etiam voluptas quæ maximè eſt inimica virtuti, boniq. naturam fallaciter imitando adulterat, quam immaniſſimus quiſq. acerrimè ſequitur, neque ſolum honeſtis rebus, ſed etiam neceſſarijs anteponit, in ſuadendo cum ei generi hominum conſilium des ſæpè ſanè laudanda eſt.

Apud imperitos homines interdum voluptas laudanda eſt, non quia ſit honeſta, ſed quia indoctiſsimus quiſque eam maximè ſequitur, & ad ea faciliùs impellitur, quæ iucunda eſſe credit, ac uoluptaria. Propoſita igitur uoluptate, faciliùs plebeiorum animos, quocumque uoluerimus, impellemus. Sic ille ruſticus paſtor apud Virgilium, Alexi ſuo voluptatem & iucunditatem proponens, ad ſe inuitat.



Digitized by Google

*Huc ades ô formoſe puer, tibi lilia plenis*
*Ecce ferunt Nymphæ calathis, tibi candida Nais*
*Pallentes violas, & ſumma papauera carpens*
*Narciſſum & florem iungit benè olentis anethi.*

Cæterùm quantoperè fugienda ſit voluptas, ex hoc loco poteſt intelligi, cum eam maximè inimicam eſſe virtuti dicat Cicero, & boni naturam adulterare. Plato voluptatem dixit eſcam eſſe malorum, quod de ſenectute Cicero ſic interpretatus eſt, Malorum eſca voluptas, qua homines capiuntur, vt hamo piſces. Quod autem ait hoc loco, voluptatem boni naturam fallaciter imitari, ita alio loco explicuit; Imitatrix boni voluptas, malorum mater omnium. Alibi item, l.1. de le. l.2. de of.
blandiſsimas dominas appellat voluptates, & in Catone maiore ſic ait, In voluptatis regno, virtus non poteſt conſiſtere. Ariſtoteles ait l.10. Eth.
voluptatem eſſe generi noſtro coniunctiſsimam; nam & quæ iucunda ſunt, omnes ſequuntur; & quæ moleſta, declinant. Eudoxus voluptatem ſummum eſſe bonum dicebat, quod ad eam toto impetu omnia ferantur; cuius ſententiam ideo dicit eſſe probandam Ariſtoteles, quia præſtanti ac ſingulari eſt habitus temperantia, vt non tanquàm voluptatis patronus hoc dixerit, ſed quia verum ſit. Id verò notandum eſt, quod ait Ariſtoteles, voluptates eſſe ſpecie differentes, nam aliæ ad corpus, aliæ ad animum referuntur; Quæ ad corpus attinent, omnino beluinæ ſunt, & ab omni ſapiente reprobantur; Quæ ad animum maximè laudabiles ſunt, & naturam attingunt humanam, atque in eis eſt animi tranquillitas, & beata vita, quod multis in locis Plato oſtendit. Poterimus igitur voluptatem etiam verè laudare, ſi de animi voluptate loquamur.

Et illud videndum, quantò magis homines mala fugiant, quàm ſequantur bona. Nam neque honeſta tàm expetunt, quàm deuitant turpia; quis enim honorem? quis gloriam? quis laudem? quis vllum decus tàm vnquàm expetat, quàm vt ignominiam, infamiam, contumeliam, dedecus fugiat? quarum rerum dolor grauis eſt.

Duæ ſunt animi commotiones, quæ poſſunt hominem quocumque velint, impellere, hoc eſt ſpes, & metus. Hæ in omni conſilio dando præcipuè dominantur; ſpes, cum bona proponuntur; metus autem, cum mala. Sed longè magis animum perturbat metus, quàm ſpes,



Digitized by Google

hoc eſt quod ait Cicero, neminem eſſe, qui tanto ſtudio honeſtatem expetat, quàm euitet turpitudinem. Hac de cauſa cum dare conſilium volumus, & aliquid diſſuadere, ſtatim oſtendere debemus, quàm illud ſit turpe, quàm fugiendum. Naturaliter enim animus humanus omnia turpia refugit, etiam ſi languidius honeſta complectatur. Itaque ad omne genus hominum commouendum, ignominiæ, infamiæ, contumeliæ, dedecoris commemoratio plurimum valet, grauis enim ex his rebus dolor enaſcitur. Cicero pro Lege Man. ſtatim Quirites admonet, vt ignominiam deleant, quam acceperunt à *Mithridate*, Delenda (inquit) eſt vobis illa macula Mithridatico *bello ſuperiore* ſuſcepta, quæ penitùs iam inſedit & inueterauit in *populi* Romani *no*mine. Et paulo poſt, turpidinem eis vitandam proponit, Videte ne vt illis pulcherrimum fuit, tantam vobis imperij gloriam relinquere, ſic vobis turpiſsimum ſit, illud quod accepiſtis, tueri & conſeruare non poſſe. Quarta Philippica ſic ait; Agitur enim non qua conditione victuri, ſed victuri ne ſimus, an cum ſupplicio ignominiaque perituri: quamquam mortem quidem omnibus natura propoſuit, *cru*delitatem mortis, & dedecus, virtus propulſare ſolet. Adhortationes in hoc genere ſunt frequentiſsimæ, in quibus vel laudamus, honoris atque vtilitatis propoſita ſpe, vel vituperamus incommodi & infamiæ

l. 10. Aen. metu: Vtriusque generis præclara ſunt apud Virgilium exempla: nam Turnus ſocios ſuos ad bellum excitans, vtilitatem eis atque honeſtatem proponit, hoc modo.

*Quod votis optaſtis adeſt, perfringere dextra*
*In manibus mars ipſe viri, nunc coniugis eſto*
*Quisque ſuæ, tectique memor, nunc magna referto*
*Facta patrum laudesque.*

l. 11. Aen. At contra Tarcon cum ſocios ſuos fugientes videret, vituperans ignominiam proponit, vt pulſos in prælia reducat. Palas autem Euandri filius in adhortandis ſocijs ſuis, mediam quandam viam ſequitur, neque enim omnino vituperat, neque laudat, ſed tamen ignominiam & decus proponit.

*Quo fugitis ſocij, per nos & fortia facta*
*Per ducis Euandri nomen, deuictaque bella,*
*Spemque meam, patriæ quæ nunc ſubit ęmula laudis*
*Fidite, ne pedibus, ferro rumpenda per hoſtes.*
*Eſt uia.*

l. 12. Aen. Quod autem ait hoc loco Cicero dolorem ignominiæ ac dedecoris eſſe grauem, expreſsit in Turno Virgilius, quem cum Drances, tanquàm

quàm ignauum notaſſet, quod cum Aenea ſingulari certamine congredi non auderet, maximè indignatum oſtendit.

*Talibus exarſit dictis violentia Turni.*
*Dat gemitum, rumpitque has imo pectore voces.*

Nemo enim ferè inuenitur, niſi penitùs tanquàm truncus & caudex ſit, qui dedecore & ignominia non moueatur.

Et genus hominum ad honeſtatem natum, malo cultu, prauisq́. opinionibus corruptum. Quare in cohortando atque ſuadendo propoſitum quidem nobis erit illud, vt doceamus qua ui, bona conſequi, malaq́. vitare poſſimus. Sed apud homines benè inſtitutos plurimum de laude, & de honeſtate dicemus, maximeq́. ea virtutum genera tractabimus, quæ in communi hominum vtilitate tuenda, augendaq́. verſantur.

Naturæ hominis nihil tàm conſentaneum eſt, quàm virtus, & rerum honeſtarum appetitio, hoc eſt quod ait Cicero, Genus hominum ad honeſtatem eſſe natum, nullum enim animal præter hominem intelligit quid deceat, & quid non; quamobrem Ariſtoteles ait hominis propriam eſſe virtutem. Cur igitur eam tam pauci homines amplectuntur? quia pleriquе (inquit Cicero) malo cultu, prauisque opinionibus corrupti ſunt, & totam viuendi rationem non honeſtate, ſed vtilitate aut voluptate metiuntur. Quocirca quoties adhortari, aut ſuadere aliquid voluerimus, illud vnum nobis debet eſſe propoſitum, vt à bonis mala diſtinguamus, doceamusque qua ratione quæ bona ſunt acquiri poſsint, & quæ mala deuitari. Sed plurimum refert apud quos verba faciamus, ſi enim auditores benè inſtituti fuerint, eos ad laudem, ad honeſtatem excitabimus, virtutes eas proponemus, quæ maximè nobis hominum volũtates conciliare ſolent, vt clementiam, æquitatem, liberalitatem, quod in Oratione pro M. Marcello copioſè Cicero facit, & pro Q. Ligario, Noli obſecro dubitare C. Cæſar, ſimilem illi gloriæ laudem quam ſæpiſsimè quærere, nihil eſt enim tàm populare, quàm bonitas, nulla de virtutibus tuis plurimis nec gratior, nec admirabilior miſericordia eſt, homines enim ad Deos nulla re propiùs accedunt, quàm ſalutem hominibus dando. Nihil habet nec

1. Ethic.

fortuna tua maius, quàm ut poſſis, nec natura melius, quàm ut uelis conſeruare quamplurimos.

Sin apud indoctos imperitosq. dicemus, fructus, emolumenta, voluptates, vitationesq. dolorum proferantur, addantur etiam contumeliæ, atque ignominiæ, nemo enim eſt tàm agreſtis, quem non ſi ipſa minus honeſtas, contumelia tamen, & *dedecus* magnoperè moueat: quare quod ad utilitatem ſpectat, ex ijs, quæ dicta ſunt, reperietur.

Indocti imperitique homines ea tantum eſſe bona exiſtimant, quæ vtilitatem aliquam aut voluptatem afferunt, contrà verò illa putant ſola eſſe mala, quæque vel dolorem, vel ignominiam coniunctam habent; Quamuis igitur huiuſmodi homines non multùm honeſtate moueantur, contumelia tamen & dedecore magnoperè mouentur; Hac ratione Imperatores etiam ignauos milites ad bellum excitare ſolent, cum oſtendunt eis, quàm turpè ſit ordinem deſerere, & hoſtibus terga uertere, quàm contumelioſum in hoſtium manus peruenire, & ſub iugum mitti, aut in ſeruitutem dari, quo ſuadendi genere plenæ ſunt T. Liuij conciones. Quinetiam inimicis ipſis ignominiam proponendo, ſæpè aliquid ſuademus, cùm eos decipere volumus, cuius generis eſt exemplum apud Virgilium; Cum enim Annus quidam Ligur, Camillæ perſuadere vellet, vt equum dimitteret, quo deindè faciliùs ipſe manus eius effugere poſſet, ita inquit;

*quid tam egregium, ſi fœmina forti*
*Fidis equo? dimitte fugam, & cominus æquo*
*Mecum crede ſolo, pugnæque accinge pedeſtri*
*Iam noſces ventoſa ferat cui gloria laudem,*
*Dixit: at illa furens, acrique incenſa dolore*
*Tradit equum comiti.*

Hoc adeo naturale præceptum eſt, vt etiam indocti prorſus homines & pueri, ac mulieres eo frequentiſsimè vtantur; Cùm enim aliquid ſuadere uolunt, confeſtim dedecus & turpitudinem obijciunt, quod conſecuturum eſt, niſi res illa fiat, in qua conſilium dant, quia nemo eſt tàm agreſtis, & tàm perditis moribus, qui non contumelia & dedecore magnoperè moueatur. Hoc igitur modo tractantur ea, quæ ad utilitatem referuntur.

Quod

Digitized by Google

Quod autem poſſit effici, nec ne poſſit, in quo etiam quam facilè poſſit, quamq. expediat, quæri ſolet, maximè ex cauſis ijs, quæ quamq. rem efficiant, eſt videndum.

Tranſit ad agendi facultatem, quoniam in deliberando non ſatis eſt oſtendiſſe, vtile id eſſe, de quo deliberatur, niſi etiam fieri poſſe demonſtretur, omnis igitur agendi facultas à conficientibus cauſis pendet. Quare ſciendum eſt, aliquas eſſe cauſas, quæ ad vtilitatem referuntur, aliquas quæ ad facultatem: ad vtilitatem referuntur illæ, quæ primò animum mouent, ad aliquid appetendum aut fugiendum, qui fines ſunt rerum boni vel mali, vt deliberat adoleſcens, an arti militari det operam, mouet eum gloriæ ſpes & dignitatis, mouet etiam fortaſſe pecuniæ lucrique cupiditas; Hæ ſunt cauſæ principales, quibus in deliberando ſtatim opponuntur aliæ contrariæ, vt belli offenſiones, ærumnæ ſpoliationes, vulnera, mortes, vincula, carceres; Sed hæ pertinent ad vtilitatis rationem, de qua iam ſupra dictum eſt, aliæ vero pertinent ad agendi facultatem, quæ conficientes vocantur, vt ſi ſit in eo iuuene, qui miles fieri deliberat, præſens animus, robur corporis, laborum tolerantia, facilè poterit in arte militari excellere. Ita qui ſtudijs literarum operam daturus eſt, vidēdum an in eo ſit promptum ingenium, ſolertia, memoria; ſic enim poterit doctus euadere. Ex his igitur cauſis, quæ quamque rem efficiant, videndum eſt, quid effici poſsit, nec ne poſsit.

Cauſarum autem genera ſunt plura. Nam ſunt aliæ, quæ ipſæ conficiunt, aliæ quæ vim aliquam ad conficiendum afferunt, itaque illæ ſuperiores conficientes vocentur, hæ reliquæ ponantur in eo genere, vt ſine his confici non poſſit.

Genera cauſarum ſunt plura, ſed ea tantum Cicero ponit, quæ ad propoſitum faciunt. Ariſtoteles quatuor facit cauſarum genera. Primum ex quo aliquid fit, vt ex ferro fit enſis, ex argento pecunia, ex farina panis, & hæc appellatur materia. Secundum per quod res appellatur, quæ forma dicitur, nam vnaquæque res propter ſuam formam eſt, & nomen habet, amiſſa forma res interit, neque amplius nomen retinet. Tertium à quo res originem & principium habet, vt domus ab architecto ſeu fabro, veſtis à ſutore, calceus à cerdone, &

hæc

hæc conficiens cauſa nominatur. Quartum cuius gratia res aliqua fit, vt domus habitandi gratia, exercitatio ſanitatis, ſtudium doctrinæ gratia, & hic dicitur finis, ad quem omnia diriguntur, atque ideo dicunt hanc omnium eſſe præſtantiſsimam cauſam, quoniam ad hunc reliquæ omnes diriguntur; vt cur Imperator delectum militum habet, arma & tormenta bellica præparat, acies inſtruit, ſigna confert & dimicat? certè vt victoriam conſequatur. Hic igitur eſt finis propter quem alia omnia fiunt, & quodammodo conficiens cauſa propter exitum vocatur, quia licet reipſa finis ſit vltimus, tamen virtute & poteſtate primus eſt, quia propter vtilitatem & commodum primò animos deliberantium mouet, & ad ſe rapit. *Cicero hoc in loco* ponit duo genera cauſarum; Primum quod ipſum conficit, vt *ignis* efficit calorem, Sol diem, & hæ conficientes cauſæ vocantur; Alterum quod vim affert ad conficiendum, ſine quo res confici non poteſt, vt inſtrumenta, locus, tempus. Itaque architectus eſt quidem ædificij conficiens cauſa, ſed niſi habeat lapides, ligna, fabros, inſtrumenta, nullo modo poterit ædificium conficere, materia igitur & inſtrumenta conficientem cauſam adiuuerint.

Conficiens autem cauſa, alia eſt abſoluta, & perfecta per ſe, alia aliquid adiuuans, & afficiendi ſocia quædam, cuius generis vis varia eſt, & ſæpè aut maior, aut minor, vt & illa, quæ maximam vim habet, ſola ſæpè cauſa dicatur.

Diuidit cauſas efficientes in duo genera, quoniam aliæ ſunt abſolutæ & perfectæ, quæ ſua vi nulloque alterius auxilio conficiunt aliquid, vt ignis natura ſua caloris eſt cauſa, & Sol diei; aliæ ſunt imperfectæ, quæ vim quidem magnam habét, ſed ope tamen egent aliena, vt terra ſtirpium quidem cauſa eſt, quoniam eas producit, ſed tamen calore Solis atque imbribus adiuta, huiuſmodi cauſæ vel maiores ſunt vel minores; vt Quintilianus quærit vtrum plus conferat eloquentiæ ars, an natura, quarum vtraque cauſa eſt conficiens, & concludit naturam eſſe maiorem in mediocribus oratoribus, minorem in ſummis. Quamuis autem multæ ſint eiuſdem rei cauſæ conficientes, tamen illa quæ maximam vim habet, ſola ſæpè cauſa dicitur, vt cur tàm excellens euaſit Plato? quia ſummum habuit ingenium, licet enim alia fuerint efficientes cauſæ, vt aſsiduum ſtudium, indefeſſus labor, eruditiſsimi præceptores, exercicatio quotidiana, tamen quoniam his omnibus ingenium antecellit, ſolum eruditionis cauſa nominatur.

Sunt

Sunt autem aliæ cauſæ, quæ aut propter principium, aut propter exitum conficientes vocantur. Cum autem quæritur, quid ſit optimum factu, aut vtilitas, aut ſpes efficiendi ad aſſentiendum impellit animos; Et quoniam de vtilitate iam diximus, de efficiendi ratione dicamus.

*A*duertendum ex hoc loco, cauſas omnes principales à Cicerone conficientes vocari, hoc eſt tàm illas, quæ primò quidem mouent animum, ſed tamen fines ſunt rerum, vt diuitiæ mouent animum mercatoris ad nauigandum & maximos labores ſubeundos, quàm eas quæ rerum principia ſunt, vt diæta ſanitatis. In omnibus enim actionibus noſtris finis primo ſpectandus eſt, deinde illa quæ nos ad finem perducere poſſunt, vt diſcendi cupidus, primò ſibi ſcientiam illam proponit, in qua cupit excellere, vt Philoſophiam, aut iuris prudentiam, deinde præceptorem quærit, libros comparat, & alia quæ ſunt ad finem conſequendum neceſſaria; Sed quæſtio illa quæ eſt de fine, cum quæritur quid ſit optimum factu, refertur ad ea, quæ de vtilitate dicta ſunt, nam vtilitas quæ in ipſo fine eſt, vel à fine prouenerit, maximè impellit animos ad aſſentiendum, quod ſi etiam efficiendi ſpes adiungatur, tùm nulla amplius relinquitur dubitatio, cognoſcitur autem à circumſtantijs, quæ vocantur, vtrum aliquid effici poſsit, necne, & hoc eſt quod ſubiungit Cicero.

Quo toto genere quibuſcum, & contra quos, quo tempore, aut quo loco, aut quibus facultatibus, armorum pecuniæ, ſociorum, earùmve rerum quæ ad quamque rem efficiendam pertinent, poſſimus vti, requirendum eſt.

Quas Græci περιστάσεις vocant, quidam ex latinis circumſtantias appellarunt, vt Quintilianus, ſic enim ait; Hoc genus argumentorum ſanè dicamus ex circumſtantia, quia περίστασιν dicere aliter non poſſumus. Sunt autem ſex numero circumſtantiæ, perſona, res, cauſa, locus, tempus modus; quarum tantùm quatuor ponit hoc in loco Cicero, perſonam, tempus, locum, modum; quoniam cum deliberamus, nota eſt res de qua deliberatur, atque etiam deliberationis cauſa. Ac primo de perſonis videndum eſt, quibus cum rem aggreſſuri ſimus,

ſimus, hoc eſt, quos ſocios ſimus habituri. Hoc enim plurimùm refert in actionibus noſtris, qui nobis ſint auxilio; nam plurima per amicos & ſocios gerimus, quibus ſi careremus, eorum nihil gerere

li. xi. Aen. poſſemus, vt apud Virgilium Turnus.

*Non erit auxilio nobis Aetolus & Arpi:*
*At Meſſapus erit, felixque Tolumnius, & quos*
*Tot populi miſere duces.*

Cicero contra Catilinam adhortans populum Romanum, oſtendit bellum non eſſe timendum, & aperit quos ſocios Catilina, quæque præſidia populus teneat, ſic enim ait per ironiam, O bellum magnopere pertimeſcendum, cum hanc ſit habiturus Catilina ſcortatorum cohortem prætoriam, inſtruite nunc Quirites contra has tam præclaras Catilinæ copias, veſtra præſidia, veſtroſque exercitus, & primum gladiatori illi confecto & ſaucio, Conſules Imperatoreſque veſtros opponite. Deinde contra illam naufragorum eiectam ac debilitatem manum, florem totius Italiæ ac robur educite, & quæ ſequuntur; Ita multum proderit in adhortandis ad ſtudia bonarum artium iuuenibus, ſi æqualium ſocietas proponatur, & auxilium præceptoris. Deinde videndum eſt contra quos, ideſt, quos ſimus aduerſarios aut hoſtes habituri, nam eorum uires infirmare proderit, vt Turnus ita Troianos quodammodo irridet, quando Dranci reſpondet.

*atque extollere uires*
*Gentis bis victæ, & contra premere arma Latini.*
*Nunc & Myrmidonum proceres Phrygia arma tremiſcunt,*
*Nunc & Titides, & Lariſſæus Achilles:*
*Amnis & Adriacas retro fugit Anfidus vndas.*

P. Scipio apud T. Liuium cum eſſet congreſſurus primò cum Annibale, ſic militum eius vires infirmat, Effigies, imo vmbræ hominum, fame, frigore, illuuie, ſqualore enecti, contuſi ac debilitati, inter ſaxa rupeſque ad hæc peruſti artus, niue rigentes nerui, membra torrida gelu, quaſſata fractaque arma, claudi, ac debiles equi, cum hoc equite, cum hoc pedite pugnaturi eſtis, reliquias extremas hoſtium, non hoſtes habebitis. Tempus etiam & occaſio multum valet in rebus agendis, vt

li. 1. Aen. *Inuadunt vrbem vino ſomnoque ſepultam.*

Et latinus, ſuadens pacem cum Troianis, ſtatim à tempore ducit exordium hoc modo.

*Ante equidem ſumma de re ſtatuiſſe latini*

Et vel-

Digitized by Google

*Et vellem, & fuerat melius; non tempore tali*
*Cogere concilium, cum muros obſidet hoſtis.*

Quin à loco licet adhortari vel æquo, vel iniquo, vnde quis elabi poſsit, aut non. Palas Euandri filius ita ſocios à loco incendit ad fortiter dimicandum.

*Ecce maris magno claudit nos obice pontus.*
*Deeſt iam terra fugæ, pelago Troiamne petemus?*

Sic Annibal à loco milites ſuos hortatur, cum oſtendit eos nullo modo fugere poſſe, Circa Padus amnis maior ac violentior Rhodano, à tergo Alpes vrgent, vix integris vobis ac vigentibus tranſitæ, hic vobis vincendum aut moriendum milites eſt, vbi primum hoſti occurriſtis. Poſtremo facultates conſiderantur, quæ ad modum pertinent, vt arma, pecuniæ, ſocij, & cæterea, quæ neceſſaria ſunt, ad rem efficiendam. vt Turnus vndecimo Æneidos,

*Sin & opes nobis, & adhuc intacta iuuentus,*
*Auxilioque vrbes Italæ, populique ſuperſunt.*

Neque ſolum ea ſunt, quæ nobis ſuppetunt, ſed etiam illa, quæ aduerſantur, uidenda, & ſi ex contentione procliuiora erunt noſtra, non ſolum effici poſſe, quæ ſuademus, erit perſuadendum, ſed curandum etiam, ut illa facilia, procliuia, iucunda uideantur.

In ſuadendo non tantum ea videnda ſunt, quæ nos adiuuant, ſed etiam illa, quæ nobis aduerſantur, & ex comparatione demonſtrandum eſt, quæ ſuademus, non tantum effici poſſe, ſed etiam eſſe facilia, procliuia, iucunda, cuius rei pulcherrimum eſt exemplum apud Ciceronem contra Catilinam, vbi ita inquit. Sed ſi omiſsis his rebus omnibus, quibus nos ſuppeditamus, eget ille, Senatu, equitibus R. populo, vrbe, ætario, vectigalibus, cuncta Italia, prouincijs omnibus, exteris nationibus, ſi inquam his rebus omiſsis ipſas cauſas, quæ inter ſe confligunt, contendere velimus, ex eo ipſo, quam valdè illi iaceant, intelligere poſſumus, ex hac enim parte pudor pugnat, illinc petulantia, hinc pudicitia, illinc ſtuprum, hinc fides, illinc fraudatio, hinc pietas, illinc ſcelus, hinc conſtantia, illinc furor, hinc honeſtas, illinc turpitudo, hinc continentia, illinc libido, denique æquitas, temperantia, fortitudo, prudentia virtutes omnes certant cum iniquita-



Digitized by Google

te, cum luxuria, cum ignauia, cum temeritate, cum vitijs omnibus; poſtremo copiæ cum egeſtate, bona ratio cum perdita, mens ſana cum amentia, bona denique ſpes cum omnium rerum deſperatione confligit. Sic apud Salluſtium Catilina, ex contentione ſuos milites adhortatur, cum ait, Præterea milites, non eadem nobis & illis neceſsitudo impendet, nos pro patria, pro libertate, pro vita certamus, illi ſuperuacaneum eſt pugnare pro potentia paucorum, deinde oſtendit ſua eſſe facilia, procliuia, iucunda, cum ait; Cum vos conſidero milites, & cum facta veſtra æſtimo, magna me ſpes victoriæ tenet, animus, ætas, virtus veſtra me hortantur. Præterea *neceſsitudo, quæ* etiam timidos fortes facit; plurimum autem valet *ad perſuadendum,* ſi docere poterimus id eſſe facile, procliue, & iucundum quod *ſua*-
li. 1. Aen. demus. vt Iuno apud Virgilium, cum Aeolum ad hortatur aduentos emittendos.

Diſſuadentibus autem aut utilitas labefactanda eſt, aut efficiendi difficultates offerendæ, neque *alijs* ex præceptis, ſed ijſdem ex ſuaſionis locis.

Diſſuaſori ſatis eſt aut vtilitatem labefactare, aut oſtendere magnam eſſe difficultatem; quod enim probatur inutile eſſe, reijcitur, neque quiſquam id aggreditur, quod ſe non ſperat efficere poſſe. Attilius Regulus apud Horatium Romanis diſſuadet captiuos à Carthaginenſibus redimere, quod futuri ſint inutiles. Hanc diſſuadendi rationem
lib. 2. ter. Dec. aliquando T. Liuius eleganter imitatus eſt, vbi T. Manilius Torquatus Romanis diſſuadet, ne eos qui ſe Cannenſi prælio Annibali dediderant, redimerent; Plurimum autem valet in diſſuadendo efferre & amplificare difficultates, & oſtendere ad exitum rē deduci non poſſe.

Vterq́ue uero ad augendum habeat exemplorum aut recentium quò notiora ſunt, aut ueterum quò plus auctoritatis habeant, copiam, maximeq́ue ſit in hoc genere meditatus, ut poſſit uel utilia ac neceſſarie ſæpè honeſtis, uel hæc illis anteferre.

Exempla tam ad ſuadendum, quam ad diſſuadendum plurimum valent, idcirco vterq́ue hoc eſt ſuaſor & diſſuaſor, debet exemplorum habere copiā. Nam (vt Quintilianus ait) nulli materiæ magis quàm deliberationi conueniunt, quoniam ex præteritis quæ futura ſunt,

coniectura

Digitized by Google

coniectura aſſequimur. Ariſtoteles Ethicorum decimo ait, exempla magis mouere, quàm verba & argumenta. Macrobius ſeptimo libro Saturnalium, Plebeia (inquit) ingenia magis exemplis quàm oratione capiuntur, exemplis etiam fabulæ adduntur, vt fabula Menenij Agrippæ apud T. Liuium. Horatius

*Paruula nam exemplo eſt magni formica laboris*
*Ore trahit quodcumque poteſt, atque addit aceruo.*

Sunt autem exemplorum duo genera, recentia & vetera. Recentia maiora ſunt, atque ideo magis videntur animos mouere. Vetera vero quandam præ ſe maieſtatem atque auctoritatem maiorem ferunt, in vtroque genere copioſiſsimus eſt Cicero, parcior Demoſthenes. Ariſtoteles duo vult eſſe ex quibus vniuerſa vis oratoria conſletur, exemplum & enthymema. Non enim ſatis habet orator rationes afferre, quibus aliquid faciendum, aut non faciendum ſuadeat, ſed eas etiam exemplis confirmare debet. Cicero ſuaſurus bellum contra Mithriditatem multa ſtatim maiorum exempla commemorat, deinde eum locum ita enumerando concludit, Quare ſi propter ſocios nulla ipſi iniuria laceſsiti maiores veſtri cum Antiocho, cum Aetolis, cum Pœnis bella geſſerunt, quanto vos ſtudio conuenit iniurijs prouocatos ſociorum ſalutem, vna cum imperij veſtri dignitate defendere? In hoc autem genere multum proderit (inquit Cicero) ita nos exercere, vt quoties opus fuerit, poſsimus & pro honeſtate contra vtilitatem, & pro vtilitate contra honeſtatem verba facere, vel ex contentione, & comparatione rerum, quæ quibus anteferri dicemus oportere. Quæ quidem exercitatio in contrarias partes diſputandi Academicorum & Peripateticorum olim propria fuit.

L. 1. Rhet.

Or. pro L. Man.

## Ac commouendos autem animos maximè proficient, ſi incitandi erunt, huiuſmodi ſententiæ, quæ ad explendas cupiditates, aut ad odium ſatiandum, aut ad ulciſcendas iniurias perturbant,

Nihil poterit orator ſuadere, niſi moueat audientium animos, itaque ſententias eas quærere debet, quæ motum animis afferant, illæ vero ſunt, quæ nobis optatos fines proponunt, vt ſi explendæ ſint cupiditates, ſi ſatiandum odium, ſi vlciſcendæ iniuriæ, hæc enim ferè tria ſunt, quæ homines vehementer expetunt; Hac arte Virgilius Annam inducit Didoni ſorori ſuadentem, vt cupiditatem ſuam expleat, ſic enim ait.

Li. 4. Aen.

*o luce magis dilecta ſorori,*
*Sola ne perpetua mœrens carpere iuuenta*
*Nec dulces natos, Veneris nec præmia noſces?* & paulo poſt,
*Placito ne etiam pugnabis amori?*

Lib. 1. apud T. Liuium Tanaquil. Seruium generum ſuum ad inuadendum regnum excitat, Tuum eſt Serui, ſi vir es, regnum, non eorum, qui alienis manibus peſsimum facinus fecere, erige te, Deosque duces ſequere. Proficiunt etiam ſententiæ quæ ad ſatiandum odium pertinent, vt apud Virgilium, ipſe ſecum Aeneas ita deliberat, de Helena interficienda, Li. 2. Aen.

*Non ita, namque etſi nullum memorabile nomen*
*Fœminea in pœna eſt, nec habet victoria laudem,*
*Extinxiſſe nefas tamen, & ſumpſiſſe merentum*
*Laudabor pœnas, animumque expleſſe iuuabit*
*Vltricis famæ, & cineres ſatiaſſe meorum.*

Ita Lucretia apud T. Liuium virum & patrem in Sex. Tarquinium adulterum inflammat. Sextus eſt Tarquinius qui hoſtis pro hoſpite priore nocte vi armatus mihi ſibique ſi vos viri eſtis, peſtiferum hinc abſtulit gaudium. Tertiò ſententiæ illæ, quæ ad vlciſcendas iniurias pertinent, magnopere animos commouent, vt Cicero Quirites contra Mithridatem inflammat hoc modo; Maiores veſtri ſæpè mercatoribus ac nauiculatoribus iniurioſius tractatis bella geſſerunt, vos tot ciuium Romanorum millibus vno nuncio, atque vno tempore necatis, quo tandem animo eſſe debetis? Or. pro L. Man.

Sin autem reprimendi, de incerto ſtatu fortunæ, dubiiſq. euentis rerum futurarum, & retinendis ſuis fortunis, ſi erunt ſecundæ, ſin autem aduerſæ, de periculo commouendi. atque hi quidem ſunt perorationis loci.

Non ſemper animi ſunt incitandi, ſed interdum etiam reprimendi. Quoties igitur hoc accidit, debet orator oſtendere quàm incertus ſit fortunæ ſtatus, quàm dubia ſint euenta rerum futurarum; debet admonere ut ſuas fortunas retineant, & pericula deuitent, incertus enim fortunæ ſtatus multum animos mouet, & plurimum valet ad ſuadendum, vt apud T. Liuium pater Horatij, qui ſororem interfecerat, cum incitatum populum reprimere vellet, ita inquit, Hunccine quem modo decoratum, ouantemque victoria incedẽtem vidiſtis Quirites, eũ ſub furca vinctum, inter verbera & cruciatus videre poteſtis? Sunt autem

in perora-

Digitized by Google

in peroratione amplificanda omnia, quæ honeſta, quæ vtilia, quæ neceſſaria, quæ iucunda, quæ procliuia eſſe dixerimus; & ſi ij, qui deliberant, fortunam habent ſecundam, eos admonebimus, vt illam diligenter conſeruare ſtudeant, vt Diomedes apud Virgilium Latinos admonet, vt cum Troianis pacem habeant, ſi felicitatem ſuam incolumem ſeruare velint, quoniam quicumque bellum cum Troianis fecerant, infelices exitus ſortiti fuerant, ſic enim ait, l. 11. Aen.

*O fortunatæ gentes, Saturnia regna*
*Antiqui Auſonij, quæ uos fortuna quietos*
*Sollicitat? ſuadetque ignota laceſſere bella?* & quæ ſequuntur.

Si vero fortuna fuerit aduerſa, periculum oſtentare oportebit, vt Latinus Rex

*Conſulite in medium & rebus ſuccurrite feſſis,*

Atque hoc modo in deliberatione peroratio tractatur.

Principia autem in ſententiis dicendis breuia eſſe debebunt, Non enim ſupplex ut ad iudicem uenit orator, ſed hortator atque auctor, quare proponere, qua mente dicat, quid velit, quibus de rebus dicturus ſit, debet, hortarique ad ſe breuiter dicentem audiendum.

In deliberatiuo genere plerumque breuia ſunt exordia, quoniam qui deliberant, ſpontè ſua parati ſunt ad audiendum, neque ſupplicare opus eſt, vt in iudicijs fieri ſolet. Satis igitur eſt rem proponere de qua dicturi ſumus, & auditores hortari, vt attentè velint audire, niſi tempus cauſaque poſtulet, vt longiori exordio vtamur, vt pro Lege Man. Cicero, antequam de re dicere incipiat, cauſam exponit, quare antea nunquam in concione orationem habuerit, deinde ita proponit; Dicendum eſt enim de Cn. Pompeij ſingulari eximiaque virtute. in Philippicis autem omnibus vel breuiſsimo vel nullo vtitur exordio, ſicut etiam Demoſthenes. Sed in diſſuadẽdo nonnunquam longo exordio opus eſt, præſertim ſi illa diſſuadeamus, quæ auditoribus vtilia eſſe videantur, cuius rei pulcherrimum eſt exemplum apud Ciceronem de Lege Agraria contra Rullum, vbi longa inſinuatione vtitur.

Tota autem oratio ſimplex & grauis, & ſententiis debet ornatior eſſe, quam verbis.

C Corpus

Corpus ipſum orationis in deliberatiuo genere nihil fucatum aut nimis expolitum habere debet, ſed eſſe ſimplex & graue, ne qua fraudis aut doli ſuſpicio ſubſit, crebræque ſunt adhibendæ ſententiæ, quæ multum mouere ſolent, verborum autem ornamenta non ita crebra, ne videatur nimium exultare oratio, ſed grauitatem habere, tales omnino ſunt Demoſthenis Philippicæ.

C.F. Cognoui iam laudationis, & ſuaſionis locos, nunc quæ iudicijs accommodata ſunt, expecto, idq́. nobis genus reſtare unum puto. C. P. Rectè intelligis, atq́ue eius quidem generis finis eſt æquitas, quæ non ſimpliciter ſpectatur, ſed ex comparatione nonnunquam, ut cum de ueriſſimo accuſatore diſputatur, aut cum hæreditatis ſine lege, aut ſine teſtamento petitur poſſeſſio, in quibus cauſis quid æquius. æquiſsimùmue ſit quæritur, quas ad cauſas facultas petitur argumentationum ex iis, de quibus mox dicetur, æquitatis locis.

Iam ſatis multa de laudando & ſuadendo diſputata ſunt, nunc tertium cauſarum genus aggreditur, quod græcè δικάνικον, latinè iudiciale vocatur, quod duas quidem habet principales partes, hoc eſt accuſationem & defenſionem, quoties in iudicijs verſatur, ſed tamen eo frequenter etiam in Epiſtolis, & in familiari collocutione vtimur. Cum enim reprehendimus, excuſamus, conquerimur, obiurgamus, deprecamur, inuehimur, in iudiciali genere verſamur, quo fit vt exprobratio, excuſatio, inuectiua, expoſtulatio, purgatio, querela, obiurgatio, deprecatio, & ſi qua ſunt huius generis iudiciali generi tanquam ſpecies quædam ſubijciantur. Quoniam autem in omni genere primo finis eſt quærendus, nam omnia propter finem aguntur, ideo primo loco Cicero iudicialis generis finem explicat, ſicut enim demonſtratiui generis finis eſt honeſtas, deliberatiui vtilitas, ita iudicialis generis finis eſt æquitas.

Aequitas à iuſticia differt.

Eſt autem æquitas optima iuris, ratio quã nobis dictat ipſa natura, vndè bonæ leges profluunt, quæ deindè etiam ab ipſa reguntur; differt à iuſtitia, quoniam iuſtitia leges ad vnguem ſeruari poſtulat, & ſummum ius ſequitur, nihilq́ue de pœna vult remittere, nec magis diuitem quam pauperem reſpicit, nec magis principi quam priuato

parcit;

Digitized by Google

parcit; æquitas vero quædam eſt iuſtitiæ remiſsio, atque (vt ita dicam) emendatio, & æquum & bonum nihil aliud eſt, quam ipſum iuſtum cum clementia coniunctum, de quo Ariſtoteles primo Rhetoricorum libro multa diſputat. Hæc eſt, quam nona Philippica Cicero in Ser. Sulpicio laudat, cum ait eum, quæ proficiſcuntur à legibus, & à iure ciuili ſemper ad facilitatem, æquitatemque referre ſolitum. in iudicijs æquitas aliquando ſimpliciter ſpectatur, vt cum quęritur, quid æquum, quid bonum ſit, aliquando ex comparatione, vt quid æquius, quid melius; ponit autem duo exempla Cicero eius æquitatis, quæ ex comparatione ſpectatur; primum eſt, cum de veriſsimo accuſatore diſputatur, hoc eſt cum duo aut plures volunt aliquē accuſare de repetundis, aut de aliquo maleficio publico, & quæritur quis melior, aut quis optimus ſit accuſator futurus, quod genus quæſtionis diuinatio vocatur, quoniam de animo & facultate accuſatoris quodammodo diuinare opus eſt, qualis eſt prima actio Ciceronis contra Verrem. Quintus enim Cæcilius, qui Verris quæſtor fuerat, petebat ſibi delationem dari, & cum ipſo Cicerone de accuſando Verre contendebat, quæritur ergo cui ſit æquius accuſationem concedere, de qua re ſic proponit Cicero, Ego ſic intelligo Iudices, cum de pecunijs repetundis nomen cuiuſpiam deferatur, ſi certamen inter aliquos ſit, cui potiſsimum delatio detur, hæc duo in primis ſpectari oportere, quem maximè velint actorem eſſe ij, quibus factæ eſſe dicantur iniuriæ, & quem minimè velit is, qui eas iniurias feciſſe arguatur. Cornificius ad Herennium primo libro de hac re ita ſcribit, In publicis quæſtionibus cauetur legibus, vt antè, ſi reo commodum ſit, iudicium de accuſatore fiat, vtrum illi liceat accuſare, nec ne. Cicero tertio libro Epiſtolarum ad Quintum fratrem ita ſcribit, Apud Catonem erat diuinatio in Gabinium futura, inter Memmium, & T. Neronem, & C. L. Antonios M. F. putabamus fore vt Memmio daretur, etſi erat Neronis mira contentio. Cælius octauo Epiſtolarum apud Ciceronem, nam de diuinatione Appius, cum calumniam iuraſſet, contendere auſus non eſt, Pilioque ceſsit; Hæc igitur quæſtio cum de veriſsimo accuſatore diſputatur, Diuinatio vocatur. Secundum exemplum eſt, cum hæreditatis ſine lege, aut ſine teſtamento petitur poſſeſsio, vt ſiquis ab inteſtato mortuus agnatos non habeat, Lex enim duodecim tabularum poſt ſuos hæredes agnatos admittebat, ponamus igitur nullos eſſe agnatos, certe qui petunt hæreditatem, petunt ſine lege, vt ſi petat fratris filius emancipatus, nam emancipatio rumpebat agnationem, aut ſororis filius petat, cum nulla ſit certa lex, videndum quid æquius ſit, aut quid æquiſsimum. ita lex ab inteſtato proximiores agnatos vocat ad hæreditatem, multi ſunt fortaſſe agnati qui petant, videndum quinam æquius petant. Sed hæc omnia

Aequum & bonum quid ſit.

omnia noſtro tempore partim iure communi, partim legibus municipalibus ſunt conſtituta, quod ſi qua controuerſia naſcatur, ea tractabitur ex locis æquitatis, de quibus paulo poſt agetur.

Atque etiam ante iudicium, de conſtituendo *ipſo iudicio* ſolet eſſe contentio, cum aut ſit ne actio *illi*, qui agit, aut iam ne ſit, aut num iam eſſe deſierit, aut illa ne lege, his ne verbis ſit actio, *quæritur*.

**Tranſlatiua conſtitutio.** Hoc loco de tranſlatiua conſtitutione verba facit, de qua primo de Inuentione ſic ait; At cum cauſa ex eo pendet, quod non aut is agere videtur, quem oportet, aut non cum eo, quicum oportet, aut non apud quos, quo tempore, qua lege, quo crimine, qua pœna oportet, tranſlatiua dicitur conſtitutio, quia actio tranſlationis & commutationis indigere videtur. Quintilianus non vult hanc eſſe conſtitutionem, quia non conſtituit iudicium, ſed potius deſtruit. Cicero autem & antè iudicium tractari poſſe docet, & in ipſo iudicio. Ac primò quidem ante iudicium multis modis tranſlatiua conſtitutio tractatur, cum de conſtituendo ipſo iudicio eſt contentio, vt cum quærimus, ſit ne actio illi, qui agit? hoc eſt, habeat ne ius agendi, aut petendi aliquid in iudicio? exempli gratia ſi pecunias ego Marco debeo, & eas à me Cornelius petat, neque enim Cornelius actionem habebit contra me, niſi vel procurator Marci, vel cognitor, vel aduocatus, vel hæres, vel denique ius aliquod petendi conſecutus fuerit, ita quæri poteſt, an filio ſit actio contra patrem, an ſeruo contra dominum, an vxori contra maritum, & contra. Contenditur etiam de tempore, vt ſiquis petat pecuniam, antequam cæpta ſit deberi, hoc eſt (vt vulgo dicunt) ante terminum; quæritur iam ne ſit illi ne actio? vel ſi quis agat contra præſcriptionem longi temporis, vt ſi quis mihi litem moueat de prædio, quod iam decennium bona fide poſſederim, nam illi ſtatim vſucapionem, & temporis præſcriptionem obijciam, & dicam iam illi actionem eſſe deſijſſe, neque amplius contra me agere poſſe, quia prædium illud longo tempore ſit vſucaptum. Interdum etiam de lege contenditur, vt ſi quis eum, qui ſe telo defenderit, & inimicum ſuum interfecerit, reum agat Lege Cornelia de Sicarijs, aut qui cum meretrice fuerit, adulterij reus agatur, ex Lege Iulia de Adulteris, nam obijciendum eſt, non eſſe lege illa agendum, quæ res etiam pro A. Cæcina, in controuerſiam venit, nam Cæcinnæ aduerſarij dicebant, non interdicto, vnde vi, agendum eſſe cum Sex. Ebucio, ſed potius iniuriarum, qua de cauſa Cicero primo probat ſe habere

bere

Digitized by Google

bere actionem ex interdicto, quo vis omnis prohibetur, & docet Cæcinnæ vim factam fuiſſe. Nonnunquam de verbis, quibus in agendo vti opus eſt, contentio naſcitur, nam olim ex præſcripta formula verborum agebant, quam prætor ipſe, à quo iudicia petebantur, agentibus definiebat, quam qui ſecutus non fuiſſet, cauſa cadebat, eam conſuetudinem facetiſsimè ridet Cicero pro L. Murena, Notas (inquit) quaſdam compoſuerunt, vt omnibus in rebus ipſi intereſſent, cum hoc fieri belliſsimè poſſet, fundus Sabinus meus eſt, immo meus, deinde iudicium noluerunt, fundus (inquit) qui eſt in agro, qui Sabinus vocatur, ſatis verboſè, cedo, quid poſtea? ego eum ex iure meum eſſe aio. quid tum? inde ego te ex iure manu conſertum voco, quid huic tam loquaciter litigioſo reſponderet ille, vnde petebatur, non habebat, tranſit idem iuriſconſultus tibicinis latini modo. Vnde tu me (inquit) ex iure manu conſertum vocaſti, inde ibi ego te reuoco; prætor interea ne pulchrum ſe ac beatum putaret, atque aliquid ipſe ſua ſponte loqueretur, ei quoque carmen compoſitum eſt, cum cæteris rebus abſurdum, cum vero nullo vſu, vtriſque ſuperſtitibus præſentibus, iſtam viam dico, inite viam, & reliqua.

Quæ etiam ſi antequam res in iudicium venit, aut concertata, aut dijudicata, aut confecta non ſunt, tamen in ipſis iudicijs permagnum ſæpè habent pondus, cum ita dicitur, Plus petiſti, ſero petiſti, non fuit tua petitio, non à me, non hac lege, non his verbis, non hoc iudicio.

In ipſo iudicio (inquit) tranſlatiua conſtitutio ſæpè magnum pondus habet. licet enim hæc ferè ante iudicium tractari ſoleant, tamen ſi acciderit, vt his non obiectis iudicium fuerit iam conſtitutum, multum valent in ipſo iudicio; quoniam iniquitas iudicij oſtenditur, cum ita poſſumus dicere, Plus petiſti, Sero petiſti, & quæ ſequuntur. Quid autem ſit plus petere, declarat Iuſtinianus libro Inſtitutionum quarto, Titulo de Actionibus, Plus (inquit) quatuor modis petitur, re, tempore, loco, & cauſa. Plus petere.

Re, vt ſiquis pro decem aureis qui ei debebantur, viginti petat, vel ſi quis totam rem petat, cum ei pars tantum debeatur.

Tempore, vt ſi pecuniam ante diem, vel ante conditionem petat.

Loco, ſiquis Romæ dare pollicitus fuerit, ego Mediolani petam.



Digitized by Google

Cauſa, vt ſi quis vel equum, vel decem aureos pollicitus ſit, ego tantum equum petam, aureos vero nolim accipere pro equo, eſt enim promiſſoris electio, vtrum equum an pecuniam ſoluere malit, nō eius cui promiſſum fuerit; ita poſſumus obijcere. Sero petiſti, cum iam longo tempore in mancipium meum res venerit, & vſucapta ſit. Non fuit tua petitio, quia neque procurator, neque cognitor, neque aduocatus, neque hæres fueras. Non à me petere debes, ſed ab eo cum quo contraxiſti; non hac lege de Sicarijs, aut Adulteris, ſed alia mitiori, non his verbis, quibus vſus fuiſti, ſed ijs, quæ prætor ipſe *præſcripſit*, vel quæ ſunt in formulis Actionum, non hoc iudicio *capitali*, *ſed ciuili*. Cicero pro A. Cæcinna hoc modo tranſlatiuę conſtitutioni *occurrit*. At ſi quis mihi hoc iudex, recuperatorve dicat, potuiſti enim leuiore actione confligere, potuiſti ad tuum ius faciliore & commodiore iudicio peruenire, quare aut muta actionem, aut noli mihi inſtare ut iudicem, tamen is aut timidior videatur, quàm fortem, aut cupidior, quàm ſapientem iudicem eſſe æquū eſt, ſi aut mihi præſcribat, quemadmodum meum ius perſequar, aut ipſe id, quod ad ſe delatum *ſit*, non audeat iudicare.

Quarum cauſarum genus eſt poſitum in iure ciuili, quod eſt in priuatarum, ac publicarum rerum lege, aut more poſitum, cuius ſcientia neglecta ab oratoribus plериſque, nobis ad dicendum neceſſaria videtur. Quare de conſtituendis actionibus, accipiendis, ſubeundiſque iudiciis, de excipienda iniquitate actionis, de comparanda æquitate, quod ea ferè generis eius ſunt, vt quamquam in ipſum iu*di*cium ſæpè dilabantur, tamen ante iudicium tractanda videantur, paululum ea ſeparo à iudicijs, tempore magis agendi, quam diſſimilitudine generis.

Hæ cauſæ tranſlatiuæ (inquit) pendent à iure ciuili, quod quadruplex eſt, vel publicum, vel priuatum, vel in lege, vel in more, Publicū quod ad ſtatum ciuitatis pertinet, & ad communem vtilitatem. priuatum quod ad ſingulos homines; in lege ius eſſe dicitur quod ſcriptū eſt, & publicè confirmatum; in more, quod non eſt ſcriptum, ſed eſt in conſuetudine, & omnes eo utuntur, quamuis autem plerique oratores



Digitized by Google

tores iuris ciuilis cognitionem negligant, tamen eam cenſet ipſe Cicero ad dicendum eſſe neceſſariam, quod primo de oratore Craſſus multis rationibus & exemplis confirmat, neque ſanè poterit orator hæc omnia, quæ ad conſtituendas actiones pertinent, quæ ad accipienda ſubeundaque iudicia, quæ ad excipiendam iniquitatem iudicij, quę ad comparandam æquitatem ſpectat, bene intelligere, niſi iuris ciuilis cognitionem habuerit. Hæc autem ita diſtinguuntur, vt cōſtituere actionem dicatur prætor, vel is, qui iudicium exercet, cum actorem admittit, qui actionem intendat. Accipere ſubireque iudicium dicatur reus, atque is, vnde petitur, cum tranſlatiua conſtitutione non vtitur, ſed iudicio contendere paratus eſt. Excipere iniquitatem actionis dicitur etiam reus, cum utitur exceptione vel doli mali, vel metus, vel actionis, ne ſi iudicium ſubeat, ei fiat iniuria. Aequitatem comparare eſt, cum duabus, aut pluribus rebus propoſitis, conſideratur vtra ſit æquior, aut quæ ſit æquiſsima. Hæc autem quatuor Cicero ſeparat à iudicijs, non quia diſsimilis generis ſint, nam omnino ſunt iudicialia, ſed quoniam interdum ipſa iudicia tempore præcedunt, hoc eſt ante tractantur, quam iudicia conſtituantur.

Cōſtituere actionem. Accipere iudicium. Excipere iniquitatē. Comparare æquitatem.

Nam omnia quæ de iure ciuili, aut de æquo & bono diſceptantur, cadunt in eam formam, in qua quale ſit ambigitur, de qua dicturi ſumus, quæ in æquitate, & iure maximè conſiſtit.

Duo ſunt, quibus humanæ actiones rectè gubernantur, ius & æquitas, ius enim ciuile iudicijs dominatur, æquum & bonum ita iuſticiam temperat, vt à clementia non diſcedatur. Sed hæc duo ad qualitatem referuntur, hoc eſt quod ait Cicero, omnia quæ de iure ciuili, & de æquo ac bono diſceptantur, ad eam formam pertinere, in qua quale ſit ambigitur. Sed aduertendum eſt, qualitatem interdum ſummum eſſe genus, & omnes cauſarum ſpecies, atque earum fines continere, vt honeſtatem, utilitatem, æquitatem; interdum eſſe conſtitutionis ſpeciem, in qua non de facto, neque de facti nomine quæritur, ſed de iure, vt iuſtum an iniuſtum, æquum an iniquum, de qua ſentit Cicero; quoties igitur de qualitate controuerſia eſt, tunc diligenter videndum quid ius ciuile, & quid æquitas poſtulet.

Ius & æquitas humanarum actionum gubernatrices.

In omnibus igitur cauſis tres ſunt gradus, ex quibus vnus aliquis capiendus eſt, ſi plures non queas ad re

 ſiſtendum.

Digitized by Google

ſiſtendum. Nam aut ita conſiſtendum eſt, vt quod obijcitur, factum neges, aut illud, quod factum fateare, neges eam vim habere, atque id eſſe, quod aduerſarius criminatur, aut ſi neque de facto, neq. de facti appellatione ambigi poteſt, id, quod arguere, neges tale eſſe, quale ille dicat, & rectum eſſe, quod feceris, concedendumue defendas. Ita *primus ille* ſtatus, & quaſi conflictio cum aduerſario, *coniectu*ra quadam, ſecundus autem definitione, atq. deſcriptione, aut informatione verbi, tertius æqui, & veri, & recti, & humani ad ignoſcendum diſputatione tractandus eſt.

Quamuis ſuperius omnium conſtitutionum locos tractauerit, tamen hoc in loco nunc iterum eandem diſtributionem breuiter repetit, vt oſtendat quomodo iudicijs accommodari debeat. In omni (inquit) iudiciali controuerſia, poſſunt tres gradus inueniri, ex quibus defenſor vnum capere debet ad reſidendum, ſi plures capere non poteſt; atque illa primo defenſio firmiſsima eſt, vt Quintilianus ait, ſi quis crimen neget, & factum non eſſe dicat, vt, Non commiſit parricidium Roſcius. Non populum Rom. largitione Plancius corrupit. Non fecit inſidias Milo. Proxima defenſio eſt, ſi non id feciſſe dicamus, quod aduerſarij obijciunt, quamuis factum concedamus, vt, Rabirius etiamſi contra Saturnium arma ſumpſit, non tamen ideo populi Rom. maieſtatem imminuit. Ebucius quamuis Cęcinnam in fundum venire prohibuerit, non tamen vim fecit. Tertia defenſio eſt, ſi neque factum, neque facti nomen negare potes, vt rectè factum oſtendas, vt, Cædem quidem fecit Milo, ſed iure, quoniam inſidiatorem & latronem interfecit.

Ex his tribus gradibus primus ille, in quo factum negatur, coniectura dicitur, à coniectu mentis, quoniam quæ obſcura ſunt, & dubia, rationibus & argumentis aperire & quodammodo interpretari opus eſt, vnde etiam coniectores dicuntur ſomniorum interpretes.

Secundus gradus in quo non de facto, ſed de facti nomine controuerſia eſt, vel definitione, vel deſcriptione, vel informatione verbi tractandus eſt, quomodo vero hæc tria nomina inter ſe diſtinguantur, ſatis copioſè ſupra docuimus. Nam definitio fit ex genere & proprietatibus;

Digitized by Google

tatibus; Deſcriptio ex euentis, & communibus accidentibus, atque attributis rebus & perſonis. Informatio verbi, ex notatione ſiue Etymologia.

Tertius gradus in quo neque de facto, neque de nomine ſed de qualitate facti tractatur, æquum, & verum, & rectum, & humanum continet, quæ verba quatuor licet idem ferè ſignificent, tamen ita facilè diſtingui poſſunt, vt æquum id appelletur, quod æqualiter omnibus & ſummis & infimis tribuendum eſt, & bonitatem potiùs quàm ſeueritatem ſpectat, quæ virtus æquitas nominatur. Verum ad honeſtatem & decorum referatur, vt Horatius,

*Metiri ſe quemque ſuo modulo ac pede verum eſt,*

ideſt honeſtum ac decorum. Cicero pro L. Murena,

*Negat verum eſſe allici beneuolentiam cibo.*

Rectum ad iuſtitiam & perfectum officium ſpectet, quòd omnes virtutum numeros habeat. Humanum denique quod ad clementiam & miſericordiam pertineat. Nonnunquam accidit vt in vna cauſa plures ſint conſtitutiones, vt pro Milone, principalis quidem conſtitutio qualitatis eſt, quoniam neque de facto, neque de nomine facti controuerſia eſt, ſed de iure, verùm additur etiam alia conſtitutio, vnde tota penè defenſio pendet, cum quæritur vter vtri inſidias fecerit; nam in ea parte coniecturis eſt agendum, itaque conſtitutio coniecturalis efficitur. Sic pro L. Murena coniecturalis eſt ſtatus, quia negat ambitum à Murena commiſſum; ſed cum probat, vnicuique licere, in populum eſſe liberalem, qualitatis ſtatum aſſumit.

Et quoniam ſemper is, qui defendit, non ſolum reſiſtat oportet aliquo ſtatu, aut inficiando, aut definiendo, aut æquitate opponenda, ſed etiam rationem ſubiiciat recuſationis ſuæ, primus ille ſtatus rationem habet iniqui criminis, ipſam negationem inficiationemque facti. Secundus quòd non ſit in re, quod ab aduerſario ponitur in verbo. Tertius quòd id rectè factum eſſe defendet, quod ſine vlla nominis controuerſia factum fatetur.

Non

Digitized by Google

Non ſatis eſt cauſæ conſtitutionem intelligere, ſed oportet etiam rationem aliquam habere defenſionis. Igitur in omni defenſione quæritur aliqua ratio præter ſtatum. Status enim controuerſiam ponit, & cauſam conſtituit, ratio vero probat, & confirmat defenſionem. Quare primus ille ſtatus, qui coniecturalis dicitur, nullam aliam habet rationem præter ipſam negationem inficiationemque facti, neque enim facti ratio vlla poteſt afferri, cum ipſum factum negetur. Dicet ergo defenſor, iniquum eſſe crimen & fictum, falſos teſtes, accuſatorem calumniari, reum nihil vnquam tale non modò feciſſe, ſed ne cogitaſſe quidem, ab eius vita crimen illud quam longiſsimè abhorrere, quæ cum in alijs orationibus multis, tùm præcipuè pro *Roſcio Am.* Cicero diuinitus tractat. In ſecundo ſtatu, in quo definitione vtendum eſt, dicet is, qui defendit, non eo nomine factum eſſe appellandum, quo aduerſarius nominauit, rem ipſam à nomine, vel nomen à re longè diſcrepare, neque omnino in re eſſe, quod in verbo poſuit aduerſarius, vt pro C. Rabirio Cicero, quamuis fateatur à Rabirio contra Saturninum arma ſumpta fuiſſe, non tamen imminutam ab eo maieſtatem defendit, & pro M. Cælio, quamquam nō neget *Cælium* rem habuiſſe cum Clodia, tamen non eſſe eum adulterum defendit, cum illa more meretricio viueret. Ita qui inſciens exulem in domum ſuam receperit, non debet receptator appellari, & qui pecunias priuatas in templo ſurripuerit, non erit ſacrilegus. In ſtatu qualitatis, oportet omninò facti rationem afferre; cum enim & de facto, & de facti nomine conſtet, nulla res damnationem remorari poteſt, niſi facti ratio appareat, quæ vel à iure *ciuili*, vel ab æquitate *ducitur*; à iure ciuili, vt ſi quis adulterum domi ſuæ deprehenſum interficiat, aut pater filiam, quæ commiſit adulterium, occidat, hoc enim iure ciuili conceſſum eſt, ſicut etiam legibus duodecim tabularum, nocturnum furem licebat interficere, & diurnum ſi ſe telo defendiſſet. Ab æquitate, vt ſi quis imprudens cum feram petere vellet, hominem interficiat, æquitas poſtulat, vt illi ignoſcatur, qui non ſponte maleficium commiſit, atque hoc modo rationes defenſionibus accommodantur.

Deinde vnicuique rationi opponendum eſt ab accuſatore, id, quod ſi non eſset in accuſatione, cauſa omnino eſse non poſſet. itaque ea, quæ ſic referuntur, continentia cauſarum vocentur, quamquam non ea magis, quæ contra rationem defenſionis afferuntur, quàm ipſæ defenſionis rationes conti-

nent cauſas. ſed diſtinguendi gratia rationem appellamus eam, quæ affertur à reo ad recuſandum depellendi criminis gratia, quæ niſi eſſet, quid defenderet, non haberet, firmamentum autem, quod contra ad labefactandam rationem refertur, ſine quo accuſatio ſtare non poteſt.

Dixerat oportere defenſionis extare rationem; alioqui ſtatim reus condemnaretur, nunc oſtendit etiam ab accuſatore contra rationem defenſionis aliquid eſſe afferendum, alioquin accuſatio nulla ſtatim eſſet, ea vero quæ contra rationem defenſionis afferuntur ab accuſatore, continentia cauſarum vocantur. Græcum autem verbum expreſsit, nam à græcis συνέχοντα vocantur, quæ Cicero continentia vertit, ſciendum tamen eſt, non tantum quæ dicuntur ab accuſatore contra rationes defenſionis, appellari continẽtia cauſarum, ſed etiam ipſas rationes hoc nomen habere poſſe, quoniam non minus ipſæ rationes cauſas continent, quàm illa, quæ contra rationes ab accuſatore proferuntur: Verum docendi gratia hæc ita diſtinguutur, vt ratio dicatur ea, quam reus ad ſui defenſionem affert; firmamentum vero quod accuſator opponit rationi, vt accuſetur Horatius, quòd ſororem ſuam interfecerit, niſi rationem ad refellendum ac recuſandum depellendi criminis gratia proferat, non habebit, quid defendat, ergo rationem illam affert, iure eſt à me interfecta ſoror, quoniam in publica omnium lætitia, ipſa ſola communem patriæ hoſtem ſponſum ſuum lugebat, accuſator autem ad labefactandam hanc rationem illud firmamentum afferet; At quamuis illa ſponſum ſuum extinctum lugeret, non tamen à fratre ſoror indemnata iure potuit interfici. Ita Milo rationem Clodianæ cædis illam affert, quod Clodius eſſet inſidiator, accuſatores autem vtuntur eo firmamento, quòd Clodius nullas inſidias Miloni fecerit, ſed propter odium & inimicitias ab eo fuerit interfectus.

Ex rationis autem, & ex firmamenti conflictione, & quaſi concurſu quæſtio exoritur quædam, quam diſceptationem voco, in qua quid deueniat in iudicium, & de quo diſceptetur, quæri ſolet.

In omnibus iudicijs ſex vocabula ſunt conſideranda, quæ tractantur à rhetoribus, primũ eſt accuſatoris intentio, cum reo crimen intendit

hoc

hoc modo, parricidium commiſiſti, vel maieſtatem imminuiſti, vel iniuſtè geſsiſti. Secunda eſt depulſio defenſoris, cum ita crimen depellit, non commiſi parricidium, non hoc facto meo maieſtatem minui, non iniuſtè geſsi. Tertia eſt cauſæ conſtitutio, quæ ex intentione accuſatoris, & depulſione defenſionis oritur hoc modo, *in coniectura*, An parricidium cõmiſerit; in definitione, An maieſtatem minuerit; in qualitate, an iniuſtè geſſerit. Quarta eſt ratio defenſoris. Quintum eſt firmamentum accuſatoris. Sexta & vltima eſt ipſa diſceptatio, ſiue iudicatio, de qua hic loquitur Cicero. *Hæc naſcitur* ex conflictione & quaſi concurſu rationis & firm*amenti, vnde tota* vis iudicij pendet. Græce κρινόμενον, dicitur, vt cum Horatius *fateatur* à ſe interfectam ſororem, & eam rationem afferat, quòd illa ſponſum ſuum hoſtem patriæ mortuum lugeret, accuſatores autem vtantur eo firmamento, quod non liceat fratri ſororem indemnatam interficere, quæritur an iure potuerit Horatius eam cædem facere, & hæc eſt diſceptatio ſiue iudicatio, quæ in cauſis omnibus eſt vltima, & ad quam argumenta omnia referri debent.

Nam prima aduerſariorum contentio diffuſam habet quæſtionem, vt in coniectura, ceperitnè pecunias Decius? in definitione minueritnè maieſtatem Norbanus? in æquitate iurenè occiderit Opimius Gracchum? hæc quæ primam contentionem habent, ex arguendo, & reſiſtendo, lata (vt dixi) & confuſa ſunt.

Duplex eſt quæſtio ciuilis in iudicijs, prima quæ naſcitur ex inten*tione* & depulſione, diffuſa eſt, atque lata, & quodammodo confuſa, quia nullam habet rationem, quam ſequatur; altera vero quæ naſcitur ex ratione & firmamento, anguſtior & certior eſt, quoniam ea diſceptationem ac iudicationem continet. *Diffuſæ* illius prioris latæque controuerſiæ, tria ponit exempla Cicero, primum coniecturæ, vt, an P. Decius repetundarum reus, pecunias contra leges ceperit, is enim inficiatur; quod exemplum etiam in ſecundo de Oratore M. Antonius ponit. Alterum exemplum eſt definitionis, vt An populi Rom. maieſtatem minuerit C. Norbanus Tribunus plebis, qui ſeditionem in populo concitauit contra Q. Cæpionem, qui proconſul à Cimbris victus fuerat, propter quam ſeditionem Cæpio damnatus fuit, & eius bona publicata. Poſtea vero C. Sulpitius Norbanum maieſtatis accu-

ſauit,

ſauit, ſed eum M. Antonius defendit. Tertium exemplum eſt qualitatis, vt An Opimius iure C. Gracchum occiderit? qui cum eſſet Tribunus pl. & L. Agrarias ferre vellet, à Senatuque prohiberetur, armata multitudine Auentinum montem occcupauit, vnde ab Opimio Conſule deiectus, cum nullam ſpem ſalutis amplius haberet, ſibi ipſe mortem conſciuit, vel, vt aliqui ſcribunt, Seruo ſuo ſe iugulandum tradidit, poſtea L. Opimium Q. Decius accuſauit.

Rationum & firmamentorum contentio adducit in anguſtam diſceptationem, ea in coniectura nulla eſt. nemo enim eius, quod negat factum, rationem aut poteſt, aut debet, aut ſolet reddere, itaque in his cauſis eadem & prima quæſtio, & diſceptatio eſt extrema.

Cum rationes & firmamenta diffuſæ illi controuerſiæ adiunguntur, tunc in anguſtam diſceptationem res contrahitur, de qua ferenda eſt ſententia; ſed videndũ eſt quibus in ſtatibus rationes & firmamenta facti reperiantur; Nam in coniectura, nulla poteſt eſſe facti ratio, cum ipſum factum negetur, quo fit, vt coniectura ſemper quodammodo confuſa ſit & incerta, quia nulla eſt in ea ratio, neque firmamentum, quod rationi opponatur. Quocirca in hoc genere nihil extrema diſceptatio ſiue iudicatio differt à prima quæſtione, vt cum accuſatur Cn. Plancius de Ambitu, & ipſe negat à ſe commiſſum ambitum, prima quæſtio eſt, an populum largitione corruperit, & eadem etiam eſt extrema iudicatio. nam ſi probatum fuerit id, quod à reo negatur, ſtatim ſequitur condemnatio. Multæ tamen rationes & argumenta ad coniecturam infirmandam & euertendam afferuntur à defenſore, quæ magnam vim habet, vt non eſt verum, quod Roſcius patrem interfecerit, quia primò nulla fuit cauſa, deindè quia vir probus, innocens, rei ruſticæ deditus, alienus ab omni ſceleris ſuſpicione, qualis ſemper fuit Roſcius, tãtum maleficium non admittere ſolet; contra vero ad confirmandam coniecturam ſunt accuſatoris argumenta, Patrem interfecit Roſcius, quia rus eum ablegarat, & eum oderat, atque exhæredare conſtituerat, quæ ſignis & veriſimilibus confirmari ſolent, ſed tamen omnia, ſicut ait Cicero, ad primam quæſtionem referuntur.



Digitized by Google

In illis autem vbi ita dicitur, non minuit maieſtatem, quod egit de Cæpione turpulentius, populi enim Romani dolor iuſtus vim illam concitauit, non tribuni actio. Maieſtas autem quoniam eſt magnitudo quædam populi Romani, in eius poteſtate ac iure retinendo, aucta eſt potius, quàm diminuta, & vbi ita refertur. Maieſtas eſt enim in *Imperij, atq.* nominis populi Romani dignitate, quam *minuit* is, qui per vim multitudinis rem ad ſeditionem vocauit, exiſtit illa diſceptatio, minuerit ne maieſtatem qui voluntate populi Romani rem gratam & æquam per vim egerit.

Docet quomodo rationes & firmamenta ſint in definitione requirenda, nam qui defendit, factum confitetur, ſed nomen facti quod ab ab accuſatore profertur, negat, vt in Norbani accuſatione Sulpicius ait, Norbanus in populo ſeditionem concitauit, ergo populi Rom. maieſtatem minuit. M. Antonius defenſor ita reſpondit, fateor à Norbano ſeditionem in populo concitatam, ſed non tamen ideo maieſtatem imminutam eſſe. Verum illa defenſoris confeſsio ſemper aliquid rationis annexum habere debet, vt hoc in loco: Populi enim Romani dolor iuſtus vim illam concitauit, non Tribuni actio, cum enim iuſtum dolorem appellat, vtitur defenſione, deinde ad vocabuli definitionem defenſor accedat oportet, quam ita tractabit, vt cauſæ ſuæ maximè conuenire intelliget. Dicet igitur maieſtatem eſſe magnitudinem populi Romani, atque ideo in poteſtate ac iure populi retinendo maximè conſiſtere, quam is, qui populum Romanum ad ius ſuum obtinendum concitat, etiam ſi id turbulentius faciat, non modò non minuit, ſed potius auget atque amplificat, docebitque non omnem populi ſeditionem ad imminuendam maieſtatem pertinere. Accuſator contra definitionem aliam affert, qua oſtendat vim omnem multitudinis ſeditiosè concitatam, ad crimen maieſtatis referri hoc modo, Maieſtatem minuit, quicumque per vim multitudinis rem ad ſeditionem vocauit, ex vtraque definitione diſceptatio naſcitur, An ab eo, qui fateatur ſe voluntate populi Romani rem gratam & æquam per vim egiſſe, maieſtas ſit imminuta, atque hac ratione etiam in alijs definitiuis conſtitutionibus iudicatio poterit inueniri. Sed vt hoc Ciceronis

ceronis exemplum melius intelligatur, ſciendum eſt Maieſtatis crimen eſſe grauiſsimum, & vt ait Vlpianus, proximum ſacrilegio. Maieſtatis autem crimen eſt illud, quod aduerſum populum Rom. vel aduerſum ſecuritatem eius committitur, hoc crimine tenetur is, qui homines ita ad ſeditionem concitat, vt cum telis, lapidibusve in vrbe ſint, qui aduerſus Remp. conuentus agit, qui contra magiſtratus aliquid molitur, qui hoſtes adiuuat, aut eis conſilia patefacit; qui in exercitu milites ſolicitat, ſciens in tabulis publicis falſum conſcripſit; denique qui doloſè contra Remp. aut Principem, aut Magiſtratum aliquid geſſerit. In hoc tam atroci crimine, etiam infames homines, & ſerui, & mulieres delationem habent, & audiuntur, vt Modeſtinus ait, ad Legem Iuliam Maieſtatis.

In his autem cauſis, vbi aliquid rectè factum, aut concedendum eſſe factum defenditur, cum eſt facti ſubiecta ratio, ſicut ab Opimio: iure feci, ſalutis omnium & conſeruandæ Reip. cauſa, relatumque eſt ab Decio, ne ſceleratiſsimum quidem ciuem ſine iudicio, iure vllo necare potuiſti, oritur illa diſceptatio, potuerit ne rectè ſalutis Reipub. cauſa ciuem, euerſorem ciuitatis, indemnatum necare.

In qualitatis ſtatu ſemper eſt certa defenſoris ratio, quoniam aliter cauſa non conſiſteret, ſi enim fateatur Opimius à ſe Gracchum interfectum, neque doceat id à ſe iure factum, ſtatim condemnetur neceſsè eſt; itaque rationem affert facti ſui, hoc modo; iure Gracchum interfeci, ſalutis omnium, & conſeruandæ Reip. gratia, quoniam ille ſtatum Reip. perturbabat. Accuſator contra defenſoris rationem, illud firmamentum afferet, vt iudicatio naſcatur, nō licere quemquam indemnatum necare, quamuis ſceleratiſsimus ſit; aut rationem euertet dicens, non eſſe factum Reip. cauſa, vel nihil Reip. profuiſſe, quod cum ſit, naſcitur in diſceptatione coniectura, vt pro Milone, ratio defenſoris eſt, iure Clodium interfeci, quoniam erat inſidiator; accuſatoris firmamentum, imò non erat inſidiator; iudicatio, an Clodius inſidiator fuerit, hoc igitur modo iudicationes inueniuntur.

Ita diſceptationes eæ, quæ in his controuerſijs oriuntur, quæ ſunt certis perſonis & temporibus notatæ,



Digitized by Google

ſiunt rurſus infinitæ, detractiſque temporibus, & perſonis rurſus ad conſultationis formam rationemque reuocantur.

Aduertendum eſt (inquit) diſceptationes & iudicationes ſemper infinitas fieri, quamuis enim oriantur ex ijs controuerſijs, quæ ſunt certis perſonis, & temporibus notatæ, tamen in iudicando perſonæ temporaque detrahuntur, quæ nihil ad iudicium faciunt. Non enim de Norbani perſona iudex quærit, niſi quatenus *maleficio probatur* affinis eſſe, ſed generaliter doceri vult, an omnis ſeditioſus *maieſtatem* minuat; an aliquando liceat ciuem indemnatum necare. hoc eſt quod M. Antonius apud Ciceronem docet his quidem verbis rhetores arguens; Ignari omnes controuerſias ad vniuerſi generis vim, & naturam referri, nam in ea ipſa cauſa, de qua ante dixi, nihil pertinet ad Oratotis locos Opimij perſona, nihil Decij, de ipſo enim vniuerſo genere infinita quæſtio eſt, num pœna videatur eſſe afficiendus, qui ciuem ex Senatuſconſulto patriæ conſeruandæ cauſa interfecerit, cum id per leges non liceret, nulla denique eſt cauſa, in qua id, quod in iudicium venit, ex reorum perſonis, ac non generum ipſorum vniuerſa diſputatione quæratur.

L. 2. de Or.

Sed in grauiſſimis firmamentis & illa ponenda ſunt, ſi qua ex ſcripto legis, aut teſtamenti, aut verborum ipſius iudicij, aut alicuius ſtipulationis, aut cautionis opponuntur defenſioni contraria.

Status qualitatis eſt duplex, vt Hermogenes etiam tradit, rationalis & legitimus, rationalis is eſt, qui non ſcripto, ſed argumentis potiùs, ac rationibus nititur. Legitimus vero qui totus à ſcripto pendet; Iam igitur Cicero docuit in rationali ſtatu, quomodo rationes & firmamenta reperiantur, nunc accedit ad legitimum, ponit autem quinque firmamenta, quæ ex ſcripto proueniunt.

Primum à Lege, vt Lex eſt, ne prodigus teſtamenti factionem habeat, quidam prodigus teſtamentum fecit, agunt agnati, qui ab inteſtato ſuccedebant, contra ſcriptum hæredem, probantque grauiſſimo legis firmamento, teſtamentum illud eſſe nullum.

Secundum eſt à teſtamento, vt ſi quis legatarius in iudicio legatū petat, & hæredes negent quicquam illi ex teſtamento deberi. Nam eo caſu verba teſtamenti ſunt proferenda, & recitanda.

Tertium

Digitized by Google

Tertium à formula iudicij, vt ſi quis addici ſibi debitorem poſtulet, qui non conſtituta die perſoluerit, & ſententiam contra debitorem aliàs à iudicibus latam proferat.

Quartum à ſtipulatione, eſt autem ſtipulatio quædam verborum obligatio, quæ fit per interrogationem & reſponſionem, vt ſpondesne, te daturum mihi centum aureos, intra Calendas Martij? ſpondeo, poſſum igitur eos aureos exacto tempore ex ſtipulatione petere.

Quintum à cautione, eſt autem cautio ſcriptum quod ideo interponitur, vt ratum ſit id, quod actum eſt. Si quis ergo debitum atque æs alienum deneget, erit grauiſsimum contra illum firmamentum, ſi tabula cautionis proferatur. Hæc igitur, quæ naſcuntur ex ſcripto, ſunt firmamenta grauiſsima defenſioni contraria.

Ac ne hoc quidem genus in eas cauſas incurrit, quæ coniectura continentur, quod enim factum negatur, id argui non poteſt ſcripto, ne in definitionem quidem venit, genere ſcripti ipſius, nam etiam ſi verbum aliquod de ſcripto definiendum eſt, quam vim habeat, vt cum ex teſtamentis, quid ſit penus, aut cum ex lege prædij quæritur, quæ ſint ruta cæſa, non ſcripti genus, ſed verbi interpretatio controuerſiam parit.

Probat hæc firmamenta grauiſsima, quæ ex ſcripto ſumuntur, tantum ad qualitatem pertinere, non autem ad coniecturam, aut ad definitionem. Ac in coniectura quidem ideo non reperiuntur, quia factum negatur, quod autem negatur, argui ſcripto non poteſt; In definitione genus ipſum ſcripti verſari non poteſt, quia definitio non tantùm genus ſcripti, ſed vnum tantùm Nomen, aut vnam rem explicat, ſcriptum autem plura complectitur. Quod ſi accidat, vt verbum aliquod de ſcripto definiendum ſit, vt quid ſit penus, quæ ſint ruta cæſa, illa definitio non pertinet ad genus ſcripti, ſed tantum ad vocabuli interpretationem. Duo ſunt igitur exempla, quæ ponit hoc in loco Cicero, vt oſtẽdat interdũ accidere, vt verba de ſcripto ſint interpretãda.

Primum eſt hoc, aliquis moriens teſtamento legat omnem penum ſuam Titio, poſt mortẽ teſtatoris naſcitur cõtrouerſia, quid penoris nomine contineatur, quoniam Titius legatarius plura petit, quam hæredes nomine penoris contineri exiſtimẽt. Eſt Titulus in Pandectis, De penu legata, vbi Vulpianus multis verbis diſputat, quid nomine

Penus nomen quid cōtineat.

mine penus contineatur. Q. Mutius vult ea contineri quæcumque eſui potuique ſunt, alij etiam cibaria iumentorum contineri volunt, ſunt etiam qui ligna, carbones, & quæcumque ad domeſticum vſum parantur penoris verbo comprehendant, quin etiam non tantùm vinum & frumenta, ſed etiàm dolia quidam voluerunt in penore eſſe, quod Vlpianus negat. Vnguenta quoque non aliter atque oleum, & thus, & cerei, & chartæ epiſtolares in penore continentur.

Ruta & cęſa quæ dicantur.

Secundum exemplum eſt de Lege prædij, cum enim prædium vel ruſticum vrbanum venditur, in ipſa venditione, quæ *ſunt ruta & cęſa*, non comprehenduntur, quæritur ergo quæ *ſint ruta & cæſa?* Vlpianus in Lege Fundi, De actionibus empti & venditi, ita *ſcribit; Si* ruta cæſa excipiantur in venditione, ea placuit eſſe ruta, quæ eruta ſunt, vt Arena, Creta & ſimilia, cæſa ea eſſe, vt arbores cæſas & carbones & ſimilia. Gallus Aquilius ait, fruſtra in lege venditionis de rutis & cæſis contineri, quia ſi non ſpecialiter venierint, ad exhibendum de his agi poteſt. Cicero in Topicis ita inquit, Fecique quod ſæpè liberales venditores ſolent, vt cum ædes fundùmue *vendiderint*, rutis cæſis receptis, concedant tamen aliquid emptori, quod ornandi cauſa aptè, & ſuo loco poſitum eſſe videatur, vbi notandum eſt Ciceronem dixiſſe, rutis cæſis receptis, pro exceptis, ſicut etiam ſecundo de Oratore recepiſſe pro excepiſſe dixit, in hac eadem re, ſic enim ait, Sed dicet te, cum ædes venderes, ne in rutis quidem & cæſis ſolium tibi paternum recepiſſe. Cum igitur aliquem notare uoluerimus, quod omnia ſua bona vendiderit, & dilapidauerit, venuſtè dicemus, Ne rutis quidem, & cæſis receptis.

Cum autem plura ſignificantur ſcripto, propter verbi aut verborum ambiguitatem, ut liceat ei, qui contradicat, eò trahere ſignificationem ſcripti, quò expediat, aut velit, aut etiam ſi ambiguè ſcriptum non ſit, vel à verbis voluntatem & ſententiam ſcriptoris abducere, uel alio ſe eadem de re contrariè ſcripto defendere, tùm diſceptatio ex ſcripti contentione exiſtit, ut in ambiguis diſceptetur, quid maximè ſignificetur, in ſcripti ſententiæque contentione, vtrùm potius ſequatur iudex, in contrarijs ſcriptis, vtrum magis ſit comprobandum.

Tangit

Digitized by Google

Tangit hoc loco tres controuerſias, quæ ex ſcripto naſci ſolent, hoc eſt ambiguitatem, ſcriptum & ſententiam, contrarias leges. Ambiguitas naſcitur ex eo, quod ſcriptum varijs modis intelligi poteſt, quæ vel ex vno verbo vel pluribus fieri ſolet; ex vno verbo, vt ſiquis habeat ſeruum, qui Taurus vocetur, & teſtamentum faciens dicat, Taurum Titio do, lego. nam quia Taurus bouem ſignificat, hæres Titio bouem ſe debere dicit ex teſtamento, quod ei Taurus legatus fuerit, contra Titius ſeruum nomine Taurum petit, itaque ex illo verbo Tauri, naſcitur ambiguitas & controuerſia. Ex pluribus verbis fit ambiguitas, cum ſingula quidem vnam rem ſignificant, ſed copulata duos aut plures ſenſus habere poſſunt, vt illud oraculum Cræſo Lydorum regi datum;

*Cræſus Halym penetrans magnam peruertet opum vim,*

& illud, quod ait Ennius Pyrro datum,

*Aio te Aeacida Romanos vincere poſſe.*

Cicero ſecundo de Inuentione ponit hoc exemplum, hæres meus vxori meæ vaſorum argenteorum pondo centum, quæ volet, dato: poſt mortem eius, vaſa magnifica, & precioſè cœlata, petit à filio mater, ille ſe quæ ipſe vellet, debere dicit, quæritur ergo in ambiguis, quid maximè ſignificetur. Scripti & ſententiæ controuerſia magni momenti eſt, & ſæpè in cauſa tractatur, vt pro A. Cæcinna copioſè diſputat Cicero pro ſententia interdicti contra ſcriptum, qui ſcriptum & verba ſequuntur, ij dicuntur agere ſummo iure, hoc eſt ſuperficem verborum ſequi. Vnde illud, ſummum ius, ſumma iniuria: qui vero ſcripti ſententiam interpretantur, ij dicuntur æquitatem amplecti, vt ſi lex ſit, ſi peregrinus murum aſcenderit, capite plectatur. Quidam peregrinus vt hoſtes irruentes repelleret, murum aſcendit, vrbem tutatus eſt, poſtea capitis accerſitur, quòd contra legem fecerit, fatetur contra verba legis feciſſe, non tamen contra legis ſententiam. Cicero pro A. Cæcinna ſic ait, An hoc dubium eſt, quin neque verborum tanta copia ſit, non modò in noſtra lingua, quæ dicitur eſſe inops, ſed ne in alia quidem vlla, res vt omnes ſuis certis ac proprijs vocabulis nominentur, neque vero quicquam opus ſit verbis, cum ea res, cuius cauſa verba quæſita ſunt, intelligatur? quæ lex, quod Senatuſconſultum, quod Magiſtratus edictum, quod fædus, aut pactio, quod (vt ad priuatas res redeam) teſtamentum, quæ iudicia, aut ſtipulationes, aut pacti, & conuenti formula, non infirmari aut conuelli poteſt, ſi ad verba rem deflectere velimus, conſilium autem eorum, qui ſcripſerunt, & rationem & auctoritatem relinquamus? Contraria ſcripta nonnunquam reperiuntur, & leges ipſæ, quamuis contrariæ

Summũ ius, ſumma iniuria.



Digitized by Google

trariæ non ſint, quia priores à poſterioribus abrogantur, tamen interdum caſu contrariæ fiunt, vt ſi lex ſit: Interfecto Tyranno mares etiam filij eius interficiantur, & altera lex iubeat tyrannicidæ præmiũ dari, quod voluerit; ille vero Tyranni filiũ petat incolumem ſeruari, hæc græco nomine dicitur Antinomia, quę magnis eloquẽtiæ viribus indiget. Poteſt etiam vna ſola lex interdũ caſus parere contrarios, vt ea quam ponit Hermogenes. Rapta virgo vel nuptias raptoris, vel mortem eiuſdem eligat. Quidam iuuenis eodem tempore duas rapuit, altera nuptias raptoris petit, altera mortem, atque hoc modo diſceptationes ſiue iudicationes inueſtigari ſolent.

Diſceptatio autem cum eſt conſtituta, propoſitum eſſe debet oratori, quo omnes argumentationes repetitæ, ex inueniendi locis coniiciantur, quod quamuis ſatis eſt ei, qui videt, quid in quoque loco lateat, quiq. illos locos tamquam theſauros aliquos argumentorum notatos habet, tamen ea, quæ ſunt certarum cauſarum propria, tangemus.

Cum primùm orator iudicationem inuenerit, tùm omnia debet ad eam argumenta ſua dirigere, quæ quidem argumenta ſumenda ſunt ex communibus illis locis qui traduntur in Topicis, qui tanquam theſauri quidam ſunt, in quibus reponuntur ad omne cauſarum genus probandum argumenta, ſed tamen quia non ſatis eſt communia intelligere, niſi etiam quæ ſpecialia ſunt intelligamus, ideo vult hoc loco Cicero breuiter attingere, quæ ſingulis in conſtitutionibus animaduertenda ſunt, vt ſciamus quomodo & coniectura, & definitio, & qualitas tractanda ſit. vt quæcumque in ſingulis dicuntur, ad ipſam iudicationem tanquam ad finem referantur.

In coniectura igitur cum eſt in inficiando reus, accuſatori hæc duo prima ſunt (ſed accuſatorem pro omni actore ac petitore appello, poſſunt.n.etiam ſine accuſatore in cauſis hæc eadem controuerſiarum genera uerſari) cauſa, & euentus, cauſam appello rationem efficiendi, euentum id, quod eſt effectum.

In omni

In omni cauſarum genere coniectura eſſe poteſt, vt in demonſtratiuo, an ſit laudandus Brutus, qui filios proditionem molientes interfecit: An ſit vituperandus Coriolanus, qui propter acceptas ab inimicis iniurias, patriæ bellum intulit. In deliberatiuo, an Pompeius Imperator ſit eligendus ad bellum Mithridaticum. In iudiciali, an patrem interfecit Roſcius. Quin etiam ad omnia tempora coniectura valet, vt ad præteritum, corruperitne populum Rom. largitione Cn. Plancius; ad præſens, bonòne ſint animo ergà Romanos Carthaginenſes; ad futurum, vt ſi Carthago incolumis relinquatur, an ſit bellum renouatura? videtur etiam in omnibus conſtitutionibus quodammodo eſſe coniectura, vt an ita ſit factum? an ea ſit recta definitio? & in qualitate, an eo animo Naſica Tib. Gracchum interfecerit vt Remp. conſeruaret. Sed hoc in loco eam coniecturam quærimus, quæ ad iudicia pertinet, & eſt vna per ſe conſtitutio, ac primo videndum quid accuſator in coniectura facere debet. Accuſatorem vocat Cicero quicumque cauſam agit, ſiue ille crimina inferat, ſiue aliquid ſibi debitum petat, vt pecuniam, agrum, domum. At vero in omni coniectura, duo ſunt primo conſideranda, cauſa & euentus, nam (vt ait Cicero pro Roſcio Am.) Nemo ſine ſpe atque emolumento conatur ad maleficium accedere. Cauſam vocat ipſam rationem qua aliquid efficitur, euentum vero quod à cauſa effectum eſt.

Atque ipſa quidem partitio cauſarum paulò antè, in ſuaſionis locis diſtributa eſt, quæ enim in conſilio capiendo futuri temporis præcipiebantur, quamobrem aut vtilitatem viderentur habitura, aut efficiendi facultatem, eadem qui de facto argumentabitur, colligere debebit, quamobrem & vtilia illi, quem arguit, fuiſſe, & ab eo effici potuiſſe demonſtret.

Quatenus ad ipſas cauſas pertinet, nulla eſt alia differentia inter deliberatiuum genus & iudiciale, niſi quod deliberatiuum eſt de futuro, iudiciale de præterito, verum quemadmodum in ſuaſione duo ſunt prima capita, ad quæ referuntur omnia, hoc eſt vtilitas & facultas, ita etiam in coniecturali cauſa. Debet igitur accuſator, cum reus negat factum, primò oſtendere illi bono fuiſſe, quod L. Caſsius maximè ſpectandum eſſe dicebat, cuius tribunal propter ſeueritatem ſcopulus reorum dictum eſt, deinde probare, id à reo fieri potuiſſe; Sunt

Tribunal L. Caſsij reorū ſcopulus.

enim hæ duæ præcipue patrandi maleficij cauſæ; vtilitas & facultas: Quarum altera refertur ad finem, altera vero ad efficientem cauſam. Quamuis enim apud Philoſophos quatuor ſint cauſarum genera, ſicuti ſupra docuimus, tamen oratores duas potiſsimùm conſiderare ſolent, hoc eſt efficientem & finem, in efficiente eſt facultas, *in fine* vtilitas, quæ ad agendum mouet. Finis primò ſolet animum mouere, nemo enim ferè eſt, qui non vtilitatis obiecta ſpecie, ſtatim ad eam animum inclinet; ſed hæc eſt hominum differentia, quoniam boni nullo emolumento impelluntur ad maleficium, improbi *ſæpè paruo*; Cognita vero vtilitate vires ſuas animus metitur, & *cogitat, an id*, quod propoſitum eſt, poſsit efficere. Cum igitur aliquem accuſamus, colligere debemus argumenta, quibus quod factum eſſe dicimus, vtile illi, quē arguimus, fuiſſe, & ab eo effici potuiſſe demonſtremus, vt pro Roſcio Am. Cicero cum recriminatione vtitur, oſtendit aduerſarios vtilitatis magnitudine commotos fuiſſe, vt Roſcij patrem interficerent, & cum multa argumenta collegit, quamobrem eis vtile fuerit, tunc ita ſubiūgit; *Video igitur cauſas eſſe permultas, quæ iſtum impellerent, videamus nunc ecquæ facultas ſuſcipiendi maleficij fuerit*, atque ita docet, facilè ab aduerſario potuiſſe Roſcium interfici.

Duas potiſsimum cauſas Oratores cōſiderant.

Vtilitatis coniectura mouetur, ſi illud, quod arguitur, aut ſpe bonorum, aut malorum metu feciſſe dicitur, quod fit acrius, quò illa in vtroque genere maiora ponuntur.

Primo de Inuentione Cicero cauſam duplicem facit, quæ ſpectetur in coniecturis, hoc eſt impulſionem & ratiocinationem; impulſionem vocat impetum ab animi perturbatione aliqua prouenientem, *vt* ab amore, iracundia, ægritudine; ratiocinationem vero conſideratam excogitationem aliquid faciendi, & non faciendi, ſed hoc loco non diſtinguit has cauſas, niſi quod primo loco ponit ea, quæ ad ratiocinationem pertinent, quoniam ea longè maiorem vim habere ſolent. Duæ verò ſunt animi perturbationes, quę in omni humana actione ferè dominantur, & quæ huc & illuc animum impellunt, hoc eſt ſpes bonorum, & metus malorum, quæ maximè ſunt ab accuſatore amplificandæ, vt acriores eſſe videantur. ab his enim omnis vtilitatis coniectura mouetur, quoniam non tantùm bona acquirere, ſed etiàm mala declinare vtile eſt; Quantò autem maior ſpes bonorum, & metus malorum fuiſſe oſtenditur, tantò fit acrior accuſatio; Has egregiè cauſas tractat contra Clodium pro Milone Cicero; nam primò docet,

Spes bonorū, metus, malorū, humanarum actionū dominæ.

Digitized by Google

docet, magnam Clodio cauſam, magnam ſpem in Milonis morte propoſitam, magnas vtilitates fuiſſe, & pluribus verbis eam ſpem, atque eas vtilitates amplificat. Deinde metum etiam auget, quoniam timebat Clodius, ne Conſule Milone prætura priuaretur, & publico iudicio condemnaretur, eum enim iam bis in iudicium Milo vocauerat. Hæc autem duo etiam in ſuadendo plurimum valent, cum obijcitur metus mali, & boni ſpes oſtentatur, vt Anna, ſorori ſuæ Didoni, coniugium Aeneæ ſuadens, metum incutit. li.4. Aen.

## Spectantur etiam ad cauſam facti motus animorum, ſi ita recens, ſi odium vetus, ſi vlciſcendi ſtudium, ſi iniuriæ dolor.

Hæc ad impulſionem pertinent, quæ à motibus animorum proueniunt, vt ſi quis cædis accuſetur, coniectura facilè confirmabitur, ſi probatum fuerit aut iram recentem, aut odium vetus, aut vlciſcendi ſtudium, aut iniuriæ dolorem in reo fuiſſe. Nam inimicitiæ vel recentes, vel inueteratæ ſolent homines ad maleficium incitare, quòd ſi accuſator verè poterit illa obijcere, eras inimicus, eum iampridèm oderas, nihil aliud quàm eius mortem cupiebas, facilè quod volet, obtinebit. Cicero pro Roſcio Am. contra aduerſarios hæc copioſè tractat, pro Milone probat hæc in Clodio maxima contra Milonem fuiſſe; (Ille inquit) erat vt odiſſet, primùm defenſorem ſalutis meæ, deindè vexatorem furoris, domitorem armorum ſuorum, poſtremò etiam accuſatorem ſuum: Reus enim Milonis lege Plotia fuit Clodius quoad vixit, quo tandem animo hoc tyrannum tuliſſe creditis? quantum odium illius, & in homine iniuſto, quàm etiam iuſtum eſſe? & paulò ſuperius ita inquit, At valuit odium, fecit iratus, fecit inimicus, fecit vltor iniuriæ, punitor doloris ſui, quid ſi hæc, non dico maiora fuerunt in Clodio, quàm in Milone, ſed in illo maxima, nulla in hoc, quid vultis amplius?

## Si honoris, ſi gloriæ, ſi imperij, ſi pecuniæ cupiditas.

Cupiditas, quæ eſt cæca & temeraria dominatrix animi, ſæpè hominem impellit in fraudem. Itaque diligenter eam accuſator conſiderare debet, vt ſi reus fuerit ambitioſus, & gloriæ cupidus, aut auarus. Nam hæ cupiditates in cauſa ſunt, vt homines quælibet maleficia aggrediantur, quod ita quodam loco affirmat Cicero; Maximam autem partem ad iniuriam faciendam aggrediuntur nonnulli, vt adipiſcantur ea, quæ concupiuerint, in quo vitio latiſsimè patet auaritia; Cupiditas, cæca & temeraria animi dominatrix. Lib. 1. de Off.

 & paulo

Digitized by Google

& paulo poſt, Maximè autem adducuntur plerique vt eos iuſtitiæ capiat obliuio, cum in Imperiorũ, honorum, gloriæve cupiditatem inciderint, C. Cæſar in ore ſemper græcos verſus Euripidis de Phæniſsis habebat, quos tertio de Officijs ita vertit Cicero.

*Nam ſi violandum eſt ius, regnandi gratia.*
*Violandum eſt, alijs rebus pietatem colas.*

Pro Milone Cicero vehementer auget has cupiditates in Clodio, vt probet ab eo factas inſidias, qui interfecto Milone ſe regnaturum ſperabat.

## Si periculi timor, ſi æs alienum, ſi anguſtiæ rei familiaris.

Periculi timor ſæpè hominem ad iniuriam faciendam impellit, vt Cicero primo de Officijs. Atque illæ quidem iniuriæ quæ nocendi cauſa de induſtria inferuntur, ſæpè à metu proficiſcuntur, cum *is, qui* alteri nocere cogitat, timet, ne niſi id fecerit, ipſe aliquo afficiatur incommodo. Quin æs alienum & egeſtas ad turpitudinem ſæpè impellit, vnde benè turpis egeſtas à Virgilio nominatur in ſexto.

*Et metus, & maleſuada fames, & turpis egeſtas.*

ita Catilina ære alieno preſſus, & anguſtia rei familiaris in patriam coniurauit.

## Si audax, ſi leuis, ſi crudelis, ſi impotens.

Audacia quaſi dux eſt ad omne maleficium, ſi præcipuè comitem habeat leuitatem, & crudelitatem, & impotentiam. Quare ſi poterit accuſator oſtendere audacem eſſe reum, & leuem, & crudelem, & impotentem, hoc eſt talem vt effrænatas & indomitas cupiditates habeat, is enim impotens dicitur, qui ſe à maleficijs continere non poteſt, eum facilè condemnabit. Hæc pro Roſcio Am. Cicero congerit in aduerſarios, pro Cluentio de Saſsia Cluentij matre ſic ait, Præſtò eſt mulier audax, pecunioſa, crudelis, inſtruit accuſatores, inſtruit teſtes, ſqualore huius & ſordibus lætatur, exitum exoptat, ſanguinem ſuum profundere omnem cupit, dummodò profuſum huius ante videat, hoc enim modo probat id, quod incredibile videbatur à matre filium oppugnari. Hæc etiam in actionibus contra Verrem copioſiſsimè explicantur.

Si in-

Digitized by Google

Si incautus, ſi inſipiens, ſi amans, ſi commota mente, ſi vinolentus.

Hæc quinque magnam inter ſe ſimilitudinem habent, nam ferè nemo eſt incautus, niſi ſit inſipiens, & qui amore captus eſt, inſanire dicitur, & malè ſanus, ita qui commota mente eſt, furioſus & inſanus, denique vinolentia furori atque inſaniæ ſimillima eſt. Ponuntur autem hæc inter animi impulſiones, neque acrem admodum accuſationem habent, quin aliquam licet leuem habere videntur excuſationem, vt cum fatetur reus, ſi factum negare non poteſt, incautè ſe geſſiſſe, aut inſipienter, aut ob immenſum amorem, aut quia commota mente fuerit, aut denique propter ebrietatem. Sed tamen rariſsimè licet vti hac excuſatione, Pittacus Mytilenæus (vt ſcribit Ariſtoteles) duplici pœna ſtatuit illum eſſe puniendum, qui propter ebrietatem ac vinolentiam aliquod peccatum commiſiſſet. maiorem habent excuſationem furioſi, quia de ſua poteſtate exierunt, itaque ſæpè non puniuntur, etiam ſi grauiter deliquerint, amantes & inſipientes rarò delicti veniam conſequuntur, ſi nihil aliud præter amorem & inſipientiam præſeferant.

Ebrij duplici pœna dignum.

Amãtem rarò excuſari.

Si cum ſpe efficiendi, ſi cum opinione cælandi, aut ſi patefactum eſſet, depellendi criminis, vel propellendi periculi, vel longinquum tempus differendi.

Hæc à ratiocinatione proueniunt, cum quis ſperat ſe, poſſe id efficere quod concupiſcit, aut opinatur ſcelus ſuum fore clam, aut putat, ſe crimen facilè depulſurum, ſi fortè res in iudicium venerit, aut periculum euitaturum, aut denique longum in tempus dilaturum, hoc eſt quod Ariſtoteles primo Rhetoricorum ait; Atque illi quidem ad iniuriam faciendam aggrediuntur, qui ſperant rem effici poſſe, & à ſe effici, & præſertim cum facinus ſuum putant fore clam, aut ſi fortè res patefacta fuerit, impunè ſe abituros. Accenditur enim improborum animus ad iniuriam, cum vltra perficiendi ſpem, credunt etiam ſe facinus ſuum cælaturos, vt fures non alio modo furari quærunt, niſi cum ſperant ſe furtum occultaturos: Nam cum timent, ne in furto deprehendantur, facilè abſtinent, multa etiam alia clam faciunt homines, cum opinione cælandi, quæ apertè non facerent, vnde furtiui amores dicuntur, & dulcia furta Veneris, quia fiunt occultè, quin etiam cum impunitate ſperant, quamuis res patefacta fuerit, facinus committere non dubitant, hoc eſt quod ait pro Milone Ci-

cero.

Peccandi illecebræ ſpes impunitatis.

cero, Quis ignorat maximam illecebram eſſe peccandi *impunitatis* ſpem? & pro P. Seſtio, Quorum effrænatus furor alitur impunitate diuturna, vel cum iudicij periculum poſſunt à ſe depellere, & aliquo modo curare, ne in iudicium vocentur, & ne cauſam dicant, vt Orgeto rix ille, de quo Cæſar primo libro de bello Gallico ſic ait. *Die* conſtituta cauſæ dictionis Orgetorix, ad iudicium omnem *ſuam familiam* ad hominum millia decem, vndique coëgit, & omnes clientes obæratoſque ſuos, quorum magnum numerum habebat eodem conduxit, per eos ne cauſam diceret, ſe eripuit. Ita Cicero pro Milone de Clodio verba faciens, atque illam beluam *iudicij laqueos* declinantem, iam irretitam teneret. Confidunt etiam *qui in longinquum* tempus differre iudicium poſſunt, ſicuti Cicero ſecunda in Verrem actione narrat, quemadmodum Verres & eius defenſores iudicium prorogare cogitaſſent. Nonæ (inquit) hodie Sextiles, hora nona conuenire cœpiſtis, hunc diem iam ne numerant quidem, decem dies ſunt ante ludos votiuos, quos Cn. Pompeius facturus eſt, hi ludi dies quindecim auferent: deinde continuò Romani conſequentur, ita prope quadraginta diebus interpoſitis, tum denique *ſe ad ea*, quæ à nobis dicta erunt, reſpõſuros eſſe arbitrantur, & quæ ſequũtur.

Aut ſi iudicij pæna leuior, quàm facti præmium, aut ſi facinoris voluptas maior, quàm damnationis dolor.

Hæc ferè ex primo Rhetoricorum Ariſtotelis ſumpſit, vbi de *ijs*, qui iniuriam inferunt, verba facit. Cum enim aliquis pœnam ſceleris eſſe leuem putat, & præmium magnum, facilè ad illud impellitur, quod Verrem feciſſe ait Cicero, vt in Sicilia cum prætor eſſet, tantum rapuerit, vt deinde iudicij pœnam non timeret. Sic enim inquit, *Qui* ita dictitat ijs eſſe metuendum, qui, quod ipſis ſolis ſatis eſſet, ſurripuiſſent, ſe tantum rapuiſſe, vt id multis ſatis eſſe poſsit. Nihil enim eſſe tàm ſanctum, quod non violari, nihil tàm munitum, quod non expugnari pecunia poſsit. In hoc genere ſunt illi, qui nullum quæſtum turpem putant, & lucrum pudori anteponunt, de quibus ita Horatius.

*populus me ſibilat, at mihi plaudo*
*Ipſe domi ſimul ac nummos contemplor in arca.*

Præterea cum ex facinore maior voluptas proueniat, quàm dolor ex damnatione, tunc facilè probatur crimen, vt ſi lex ſit, Qui virginem violarit, aureos nummos quinquaginta ſoluito, & iuuenis diues virginem

ginem quam amabat, violaſſe arguatur, aut ſi lex ſit, Qui pugno quempiam percuſſerit, decem aureos dato, & nobilis homo ſuum inimicum pugno percuſsiſſe dicatur, tales enim homines maiorem ex facinore voluptatem capiunt, quàm dolorem ex damnatione.

His ferè rebus facti ſuſpicio confirmatur, cum & voluntatis in reo cauſæ reperiuntur, & facultas; in voluntate autem vtilitas ex adeptione alicuius commodi, vitationeq́ue alicuius incommodi quæritur, vt aut ſpes, aut metus impuliſse videatur, aut alius repentinus animi motus, qui etiam citius in fraudem, quam ratio utilitatis impellit; quamobrem ſint hæc dicta de cauſis.

Concludit breuiter per enumerationem, ad quam ſummam referantur omnes cauſæ coniecturales, nempe ad voluntatem & facultatem. Sed in voluntate conſideratur vtilitas & detrimentum, cum vel ſpes ex adeptione alicuius commodi concepta voluntatem ad facinus impellit, vel metus alicuius incommodi voluntatem eandem impellit in fraudem. Itaque peccata omnia quæ à ratiocinatione, & meditatione proficiſcuntur, vel propter commodi ſpem, vel propter incommodi vitationem ſuſcipiuntur; quæ vero naſcuntur ab aliquo repentino motu animi ſæpè grauius impellunt animum; quam ipſa vtilitas, quamuis multo eſſe leuiora exiſtimentur, multa enim ſæpè fiunt ab iratis, ab amantibus, à timore concuſsis, quæ remotis illis perturbationibus, nullo modo fierent, etiamſi magna ineſſet vtilitas, vt propter amorem aliquis interdum riualem interficit, quem propter maximam pecuniæ ſummam non interficeret. Atque hæ quidem ſunt cauſæ, quas in coniecturis orator diligenter inueſtigare debet, quod pro Milone facit Cicero, & in Actionibus contra Verrem.

C. F. Teneo, & quæro qui ſint illi euentus, quos ex cauſis effici dixiſti. C. P. Conſequentia quædam ſigna præteriti, & quaſi impreſsa facti veſtigia, quæ quidem uel maxime ſuſpicionem mouent, & quaſi tacita ſunt criminum teſtimonia. Atque hæc quidem grauiora, quòd cauſæ communiter uidentur inſimulare



Digitized by Google

mulare, & arguere omnes poſse, quorum non interfuerit aliquid, hæc propriè attingunt eos ipſos, qui arguuntur.

Hactenus docuit quæ cauſæ ſoleant hominem ad maleficium *impellere*, nunc euentus cauſarum oſtendit. Ac primo ſciendum euentus eſſe maximè varios, ſicut etiam cauſæ ſunt; Aliqui enim ſunt euentus neceſſarij, vt qui de cauſis naturalibus oriuntur, vt mors euentus eſt omnium rerum, quæ nata ſunt, ſed hi euentus non ad *Oratorem, ſed* potiùs ad Philoſophum pertinent: Sunt alij euentus fortuiti, *alij voluntarij*, quos Orator conſiderare ſolet. qui ab vtilitatis ſpe, & à facultate naſcuntur; hos autem euentus ita definit Cicero vt dicat; eſſe quędam conſequentia ſigna præteriti; & quaſi veſtigia facti. Conſequentia vero dicuntur, non quia poſt factum ſemper eueniant, ſed quia ſint facto adiuncta, quæ Græcè ἀκολουθα dicuntur, nam (vt paulò poſt ipſemet Cicero dicit) ſigna ſunt & antè factum, & in ipſo facto, & *poſt* factum. Sed mihi videtur Cicero, non (vt quidam exiſtimant) *idem* facere euentum quod ſignum, ſed ſignum tanquàm euentorum genus poſuiſſe, vt euenta quidem omnia ſint ſigna, non autem contra, quia plurima ſunt ſigna, quæ nequaquam euenta dici poſſunt, vt P. Sylla Catilinæ fuit amicus, cum eo frequenter verſabatur, eo familiariter vtebatur: itaque tanquam coniurationis conſcius accuſatus eſt, hic ſunt quidem ſigna, ſed nulla tamen euenta. Ita ſi quis viſus ſit mulierem familiariter ſalutare, cum ea colloqui, *ridere*, ſigna ſunt hæc adulterij, non tamen euenta, eſt igitur ſignum generalius nomen, quàm euentus. Itaque ideo dixit Cicero, euenta eſſe conſequentia quædam ſigna præteriti, & quaſi impreſſa facti veſtigia. Solent autem maximè ſuſpicionem mouere ipſa euenta, quia videntur tacita quædam teſtimonia, ſed magna eſt inter cauſas & euenta differentia, quatenus *ad* facti probationem attinet: Nam cauſæ communiter omnes arguere poſſunt, quicumque ex eo facto potuerunt aliquam vtilitatem percipere, vel efficiendi facultatem habuerunt, ſigna vero eos ipſos attingunt, qui arguuntur. Itaque in probationibus ſigna longè grauiora ſunt, quàm cauſæ, vt pro Roſcio Am. Cicero multas colligit cauſas, quibus probet non à filio, ſed à Capitone aduerſario Roſcium interfectum, quòd eſſet pauper, quòd auarus, quod audax, quòd illius, qui occiſus eſt, inimiciſsimus, quòd ſummam facultatem ſuſcipiendi maleficij habuerit; quæ, quidem rem ſuſpicioſam efficiunt, ſed quia ſunt cum multis communia, nam etiam alij tales multi Romæ eſſe poterant, ideo non firmiter probant; ſed cùm ea commemorat, quæ poſt Roſcij mortem à Capitone facta ſunt; vt quòd cum Chry-

ſogono

Digitized by Google

ſo gono conuenerit, quòd Roſcij bona inuaſerit, & dilapidauerit, quod in quæſtionem ſeruos dare noluerit, & cætera multa colligit, grauius omninò vrget aduerſarium, his conſequentibus ſignis, quàm illis antegredientibus cauſis.

Vt telum, ut veſtigium, vt cruor, vt deprehenſum aliquid, quod ablatum ereptùmve videatur, vt reſponſum inconſtanter, vt hæſitatum, ut titubatum, ut cum aliquo uiſus, ex quo ſuſpicio oriatur, ut eo ipſo in loco uiſus, in quo facinus, ut pallor, ut tremor, ut ſcriptum aut obſignatum, aut depoſitum, quippiam.

Numerat ſigna quædam exempli gratia, vt ſi telum inuentum fuerit eius, qui arguatur, in corpore interfecti, aut in eo loco, vbi quis fuit interfectus, maximè ſuſpicionem mouet; hoc ſigno detecta eſt etiam Cethegi coniuratio, nam domi eius magna telorum vis deprehenſa fuit. Veſtigium præterea, hoc eſt pedum nota, nonnunquam ad veritatem ducit, non aliter atque venatores notatis feræ veſtigijs, illam aliquando reperiunt. Ea de cauſa Cacus latro, boues Herculis auerſos in ſpeluncam traxit, ne veſtigia notari poſſent. Effuſus etiam ſanguis, & tela, & veſtes cruore madentes, augent ſuſpicionem, ſed multò magis ſi deprehenſum aliquid fuerit, quod dicatur ablatum fuiſſe vel ereptum, vel præparatum. ita prædones & fures ſæpè ſolent argui, cum apud eos ſublatæ furto res inueniuntur, ita Palamedes iniquo iudicio condemnatus fuit, quòd in eius tabernaculo repertæ fuerunt pecuniæ, quas dicebat Vlyſſes eum à Priamo accepiſſe, quò Græcos proderet, vt in Topicis ait Cicero. Ab ipſo etiam reo ſigna atque argumẽta ducuntur, vt ſi non conſtiterit in vna ſententia, ſed inconſtanter locutus fuerit, aut hæſitauerit, aut titubauerit, aut cum aliquo ſicario ſeu latrone viſus fuerit, vnde facti ſuſpicio exoriatur. Multum etiam circumſtantiæ coniecturam adiuuant, vt an eiuſmodi perſona ſit, quæ tale facinus aggrediatur, an rem perficere ſperauerit, qua cauſa motus id fecerit, quo auxilio aut quo modo feciſſe dicatur, quo tempore, quo loco, plurimi enim intereſt, ſi qui arguitur, paulò ante viſus in eo loco fuerit, vbi facinus commiſſum eſt. Signa etiam conſcientiæ ſunt pallor & tremor in eo, qui arguitur. Sed longè omnium firmiſſimum ſignum, ſi ſcripta fuerint inuenta, vel obſignationes ſigillorum, vel depoſita, hæc enim ſunt huiuſmodi quæ ferè negari non poſſunt,



Digitized by Google

Literę, ob ſignationes ſigillorum ſigna firmiſſima.

hac ratione condemnati fuere Vitellij, & Bruti filij, quòd eorum literę ad Tarquinium Superbum in legatorum manibus deprehenſæ ſunt, ita Lentulus coniurationis particeps probatus eſt, quòd eius ſigillo obſignatæ literæ fuerint in Senatu prolatæ.

Hæc enim, & talia ſunt, quæ aut in re ipſa, aut etiam antequàm factum eſt, aut poſteà ſuſpicioſum crimen efficiunt.

Nunc generatim de ſignis agit, atque admonet, vel in ipſa re ſigna notari, vel ante factum, vel poſt factum. In ipſa re, vt Clodius expeditus in equo, nullis impedimentis, quę habere ſecum ſemper anteà ſolebat, ſed lectis tantum hominibus Milonem inuaſit, cum interim Milo eſſet in rheda penulatus. Ante factum, vt Clodius dixerat, triduò, aut ad ſummum quatriduò periturum Milonem, ſeruos agreſtes & barbaros coegerat, quibus inſidias Miloni ſtrueret. Poſt factum, vt Milo poſt Clodij necem ſecurus Romam venit, & ſe populo, Senatui, & iudicio dedit, quod non feciſſet, ſi inſidiator fuiſſet.

Quæ ſi non erunt, tamen cauſis ipſis, & efficiendi facultatibus, niti oportebit, adiuncta illa diſputatione communi, non fuiſſe illum tàm amentem, ut indicia facti aut effugere, aut occultare non poſſet, ut ità apertus eſſet, ut locum crimini relinqueret.

Nonnunquam accidit, vt nulla facti veſtigia in reo reperiantur, quid ergo tunc erit agendum? Amplificandæ ſunt (inquit) cauſæ, & facultates, vt quia ſperabat ſibi id maximam utilitatem allaturum, & facilè ſe poſſe facere videbat, ideò feciſſe dicatur. Deinde adiungenda eſt calliditas ex communi diſputatione, dicet enim accuſator, non tàm amens erat, vt non diligenter cogitaret, qua ratione ſigna omnia atque indicia facti poſſet occultare, ſicuti fures earum rerum, quas rapuerunt; auferre ſigna conſueuerunt, ne agnoſcantur; Valdè autem veriſimilem orationem cauſæ & conſilia, ſi rectè explicentur, efficere ſolent, vnde etiam Hiſtorici, quò fide dignior hiſtoria videatur, cauſas & conſilia geſtarum rerum, diligenter explicant.

Communis ille contra locus, audaciam temeritati, non prudentiæ eſſe coniunctam.

Hic

Digitized by Google

Hic locus inducetur à defenſore, non eſſe veriſimile id eſſe factum, quod ait accuſator, cum nulla ſigna facti proferantur, neque enim ab audaci homine poſſe ſigna omnia occultari, qui prudentia careat, & hoc enthymemate à repugnantibus probabit, quoniam audacia non eſt coniuncta prudentiæ, ſed temeritati. Prudentia verò, & temeritas contraria ſunt, ſed occultare ſigna prudentis & callidi hominis eſt. Defenſor etiam omni diligentia cauſas remouebit, vt oſtendat fictum eſſe crimen, quod pro Roſcio Ame. ita Cicero facit, Patrem occidit Sex. Roſcius? qui homo? adoleſcentulus corruptus, & ab hominibus nequam inductus? annos natus magis quadraginta, vetus videlicet ſicarius, homo audax, & ſæpè in cæde verſatus? at hoc ab accuſatore ne dici quidem audiuiſtis. Luxuries igitur hominem nimirum, & æris alieni magnitudo, & indomitæ animi cupiditates, ad hoc ſcelus impulerunt, de luxuria purgauit Erucius, cùm dixit hunc ne in conuiuio quidem vllo ferè interfuiſſe, nihil autem vnquàm debuit, cupiditates porrò qui poſſunt eſſe in eo, qui (vt ipſe accuſator obiecit) ruri ſemper habitarit, & in agro colendo vixerit? quæ vita maximè diſiuncta à cupiditate, & cum officio coniuncta.

## Sequitur autem ille locus ad augendum, non eſse expectandum dum fateatur, argumentis peccata conuinci, & hic etiam exempla ponentur, atque hæc quidem de argumentis.

Communis etiam locus accuſatoris ille eſt, qui non ad probandum, ſed ad amplificandum attinet, vt poſtquam cauſas & euenta collegerit, multisque vſus fuerit argumentis, tunc dicat non eſſe expectandũ, vt reus fateatur, cum argumenta ſint omni luce clariora. Quod ſi exempla poterimus aliqua commemorare, quibus cum reus inficiaretur, tamen damnatus ſit, eò quòd clara eſſent argumenta, multum ea ratio proderit, quoniam iudices res ab alijs iudicatas facilè ſequi ſolent. Hic aduertendum eſt, quòd quamuis Ariſtoteles primo Rhetoricorum dicat amplificationem eſſe propriam demonſtratiui generis, exempla deliberatiui, argumenta iudicialis, tamen ſæpiſsimè in iudiciali genere etiam amplificationes, & exempla ponuntur, non tantùm argumenta, ut hic oſtendit Cicero.

## Sin autem erit etiàm teſtium facultas, primum genus erit ipſum laudandum, dicendumque ne argumen

tis teneretur reus, ipſum ſua cautione feciſse, teſtes effugere non potuiſse. Deindè ſinguli laudentur, quæ autem eſsent laudabilia, dictum eſt.

Poſtquam argumentis artificioſè repertis vſus accuſator fuerit, etiàm ad ea, quæ ſunt artis expertia, ſe conferet, vt ad teſtes, ad quæſtiones, cęteraque eius generis. Ac primò generatim teſtes omnes laudabit, dicetque magis teſtibus quàm argumentis credi oportere. *Ita Cicero* contra Verrem vniuerſas ſæpè ciuitates, teſtimonia *dicentes laudat*, ſicuti contra in defenſionibus aliquandò totum genus teſtium *improbatur*, vt pro l. Flacco de græcis teſtibus. Dicet igitur accuſator, reũ fuiſſe quidem cautum, ne ullis argumentis teneri poſſet, ſed tamen non potuiſſe teſtes effugere. Laudantur etiam ſinguli teſtes, quod ſæpiſsimè facit Cicero pro A. Cluentio, Opportunè adeſt homo ſumma fide & omni virtute præditus L. Pretorius Senator: & pro Archia poeta, Adeſt vir ſumma auctoritate, & religione, & fide L. Lucullus: Sed de teſtibus iam alibi ſuprà multa diximus.

Deindè etiam argumento firmo, quia tamen ſæpè falſum eſt, poſse rectè non credi, uiro bono & firmo, ſine uitio iudicis, non poſse, non credi.

Hoc argumentum à comparatione ducitur, quo probatur uiro bono, teſtimonium dicenti, ſemper eſſe credendum, magisq. teſtibus quàm firmis argumentis adhibendam eſſe fidem: quia licet argumenta firma eſſe videantur, poſſunt tamen interdum eſſe falſa, cùm ex principijs minimè neceſſarijs ducuntur. Sed vir bonus nunquam omninò falſum dicet teſtimonium. Quare iudex peccat, quoties bono viro *non* credit. Cicero pro M. Cælio, ſibi non opus eſſe argumentis ait, cum habeat teſtimonium L. Lucei, viri honeſtiſsimi & grauiſsimi.

Atque etiam ſi obſcuri teſtes erunt, aut tenues, dicendum erit, non eſse ex fortuna fidem ponderandam, aut eſse cuiusque locupletiſſimos teſtes, qui id, de quo agatur facilimè ſcire poſſint.

Nobilibus & opulentis teſtibus, facilius creditur (ut ait in Topicis Cicero.) Sed ſi fortè orator obſcuros & inopes teſtes in iudicium addu

xerit

xerit contra reum, dicet fidem non à fortuna pendere, quamuis inopes ſint, tamen eſſe bonos viros, qui nullo modo poſſent induci, vt falſum dicerent, eos facilè ſcire potuiſſe id, de quo arguitur reus, atque ideo locupletiſsimos & optimos eſſe teſtes. Cicero de Senectute oſtendit Ennium talem fuiſſe, hoc eſt inopem quidem, ſed fide dignum, cum ita inquit, Licet enim verſibus iiſdem mihi affari te Attice, quibus affatur Flamminium, ille vir haud magna cum re, ſed fide plenus.

*Sin* quæſtiones habitæ, aut poſtulatio vt habeantur, cauſam adiuuabunt, confirmandum genus primum quæſtionum erit, dicendum de vi doloris, de opinione maiorum, qui eam rem totam niſi probaſſent, certè repudiaſſent, de inſtitutis Athenienſium, Rhodiorum doctiſſimorum hominum, apud quos etiam (id quod acerbiſſimum eſt) liberi, ciueſque torquentur, de noſtrorum etiam prudentiſſimorum hominum inſtitutis, qui cum de ſeruis in dominos quæri noluiſſent, de inceſtu tamen & coniuratione, quæ facta me conſule eſt, quæreudum putauerunt.

Tribus modis quæſtiones probari poſſe oſtendit, cùm noſtram cauſam adiuuare videntur.

Primò à vi doloris, nam ſæpè dolor veritatem elicit, & quæ quis ſpontè nunquàm diceret, ea frequenter propter dolorem cogitur dicere. Sunt tamen aliis alii in dolore tolerantiores.

Secundò ab opinione maiorum, qui veritatem quæſtionibus inueniri & poſſe putauerunt, atque idcirco eas approbauerunt. Nam niſi cognouiſſent, quæſtiones ad inueſtigandam veritatem prodeſſe, certè prorſus illas repudiaſſent.

Tertio ab exemplis duarum ciuitatum ſapientiſsimarum, hoc eſt Athenienſium, & Rhodiorum, apud quos etiam liberi homines ciueſque torquebantur. Nam apud Romanos liberum hominem torqueri nefas habebatur, ſed ſerui tantùm in quæſtionem dabantur ad torquendum. Quin etiam non patiebantur Romani, vt de ſeruis in dominos quæreretur, niſi de inceſtu, & de rebus atrociſsimis, vt de coniu-

coniuratione in patriam, nam in coniuratione Catilinæ, quæ facta eſt Cicerone Conſule, de ſeruis in dominos quæſitum eſt.

Irridenda etiam diſputatio eſt, qua ſolent vti ad infirmandas quæſtiones, & meditata puerilisque dicenda, tùm facienda fides, diligenter eſſe, & ſine cupiditate quæſitum, dictaque quæſtionis argumentis & coniectura ponderanda. Atque hæc *accuſationis* ferè membra ſunt.

Quemadmodum contra quæſtiones dici poſsit, iam ſuperius explicatum eſt. Sed accuſator occupare debet eam diſputationem, & irridere tanquam puerilem & præmeditatam. Sed plurimum refert, ſi quæ dicta ſunt in quæſtione, cum argumentis & coniectura conuenient. Nam hoc modo fiet duplex probatio, altera à quæſtionibus, *altera* ab argumentis. Hactenus igitur in coniecturali conſtitutione accuſatorem inſtruxit, nunc ex altera parte docebit qua ratione defendere liceat.

Defenſionis autem primum infirmatio cauſarum, aut non fuiſſe, aut non tantas, aut non ſibi ſoli, aut commodius potuiſſe idem conſequi, aut non ijs, eſſe moribus, non ea uita, aut nullos animi motus, aut non tàm impotentes fuiſſe.

Accuſatoris locos in coniectura quatuor numerauit, cauſas, facultates, conſequentia, teſtimonia, defenſor igitur eos omnes locos infirmare debebit. Ac primò quidem oſtendere nullas fuiſſe cauſas maleficij ſuſcipiendi, vt pro Milone, Quid enim odiſſet Clodium Milo ſegetem ac materiam ſuæ gloriæ? & pro Roſcio Am. Cauſam tu nullam reperiebas in Sex. Roſcio, at ego in T. Roſcio reperio. Quòd ſi cauſæ fuerint, oſtendet defenſor non tantas fuiſſe, quantas ait accuſator. Vt Erucius dixerat Roſcium patri non placere, quoniam eum in prædia ruſtica relegarat, quam cauſam irridet Cicero, tanquam non idoneam, quæ ad parricidium impellere poſſet. Quòd ſi fuerint alij, qui ex illo maleficio, quod commiſſum dicitur, vtilitatem ſperarent, aut qui facultatem perficiendi haberent, in eos deriuare crimen

defenſor

defenſor poterit, vt Cicero in aduerſarios Roſcij, dicet etiam defenſor, ſi reus committere crimen voluiſſet, aliàs longè commodius id facere potuiſſe, vt pro Milone, Quem ſi interficere voluiſſet, quantæ, quoties occaſiones, quàm præclaræ fuerunt? præterea dicet reum non ijs eſſe moribus, vt tale flagitium committat, quam defenſionem copioſè perſequitur pro Roſcio Am. Cicero, cùm oſtendit eum vitam egiſſe ab omni cupiditate diſiunctam, & cum officio coniunctam. Sed hoc vbique ſeruat Cicero, vt quos defendit, eos bonos eſſe viros probare contendat. Denique dicet nullos animi motus in reo fuiſſe, aut ſi qui fuerint, non tàm fuiſſe impotentes & effrenatos, vt eum ad ſcelus impellerent. Hoc pro Milone diligenter Cicero facit, cùm ait nullum odium, nullam iram, nullam vlciſcendi fuiſſe in Milone libidinem, quæ omnia docet in Clodio fuiſſe.

Facultatum autem infirmatione vtetur, ſi aut vires, aut animum, aut copias, aut opes abfuiſse demonſtrabit, aut alienum tempus, aut locum non idoneum, aut multos arbitros, quorum crederet nemini, aut non ſe tàm ineptum ut id ſuſciperet, quod occultare non poſset. Neque tàm amentem vt pœnas, ac iudicia contemneret.

Efficiendi facultas ſpectatur potiſsimum in viribus, animo, copijs, opibus, circumſtantijs, quæ ſi quis aut abfuiſſe, aut nõ opportuna fuiſſe demonſtrare potuerit, is argumenta coniecturæ facilè ſubuertet. Cicero pro M. Cælio breuiter hæc omnia, quæ ſunt accuſatoris argumenta propria, ſubuertit hoc modo, Poſſum etiam illa, & cæterorum patronorum, & mea conſuetudine ab accuſatore perquirere, vbi ſit congreſſus cum ſeruis L. Luceij Cælius? qui eius fuerit aditus? Si per ſe, qua temeritate, ſi per alium, per quem? poſſum omnes latebras ſuſpicionum peragrare dicendo, non cauſa, non locus, non facultas, non conſcius, non perficiendi, non occultandi maleficij ſpes, non ratio vlla, non veſtigium maximi facinoris reperietur. Ita pro Roſcio Am. multis rationibus probare, illi neque animum, neque facultatem patris occidendi fuiſſe. Adiungenda eſt etiam illa defenſio ex communi prudentia ſumpta, neminem eſſe tàm amentem, vt alieno tempore, non idoneo loco, multis conſcijs, quorum fidem ſuſpectam haberet, aliquod maleficium ſuſcipiat.

Conſe-

Digitized by Google

Conſequentia autem diluet exponendo non eſſe illa certa indicia facti, quæ etiam nullo admiſſo conſequi poſſent, conſiſtetq. in ſingulis, & ea, aut eorum quæ ipſe facta eſſe dicet, propria eſſe defendet, potius quàm criminis, aut ſi ſibi cum accuſatore communia eſſent, pro periculo potius, quàm contra ſalutem valere debere, teſtiumque & *quæſtionum* genus vniuerſum, & quod poterit in ſingulis, ex reprehenſionis locis, de quibus ante dictum eſt, refellet.

Signa & euentus, quæ conſequentia hoc loco vocantur à Cicerone, facilè refelli poſſunt, quando ſunt eiuſmodi, vt non neceſſario conſequantur. vt pro Cælio docet familiaritatem, quam habuit M. Cælius cum Catilina, non habere crimen coniurationis; quoniam etiam alij multi boni viri Catilinæ familiares fuerunt, neque tamen cum eo coniurarunt: Quod idem etiam pro P. Sylla facit. Dicet igitur ea ſigna, quæ aduerſarius obijcit etiam nullo admiſſo poſſe contingere, vt ſi expalluerit reus, aut in dicendo titubarit: Poteſt enim quis etiam innocens in conſpectu iudicis expalleſcere, & inconſtanter loqui, non propter malam conſcientiam, ſed propter inconſtantiam iudiciorum. Debet etiam defenſor in ſingulis conſiſtere, atque oſtendere quàm leuia ſint & infirma, hoc eſt quod ait Quintilianus, accedere oportet ad ſingula, ſic uniuerſa corruent, vt pro Roſcio Am. Leuia oſtendit Cicero ſigna eſſe, quæ Erucius obiecerat, quòd conuiuia cũ patre non iniret, quòd nemo eum domum ſuam inuitaret. Quin ipſa ſigna, ſi qua ſunt, defenſor dicet, non eſſe propria criminis, ſed eorũ, quæ ipſe facta eſſe dicet. ut ſi cruentam veſtem dicat, non propter cædem, quam obijcit aduerſarius, ſed propter ſanguinis è naſo profluuium, pallidum eſſe non propter conſcientiam, ſed propter morbum. Et quoniam in dubijs rebus mitiorem ſemper ſententiam ſequi debemus, ſi qua fuerint cum accuſatore communia, ea facile trahi poterunt ad rei defenſionem, vt Erucius dixerat Roſcium rus à Patre fuiſſe relegatum, hoc fatetur Cicero, ſed vitæ ruſticæ commendatione vtitur ad Roſcij ſalutem. atque hoc factum, patris honori potius, quam crimini Roſcio dari debere contendit. teſtes autem & quæſtiones qua ratione poſsint infirmari, iam alibi ſupra copioſe diſputatum eſt.

Harum cauſarum principia ſuſpicioſa ad acerbitatem ab accuſatore ponentur, denunciabiturque inſidiarum commune periculum, excitabunturque animi, vt attendant.

Poſtquam ea, quæ ad coniecturales controuerſias, & ad probationem atque infirmationem facti pertinent, explicuit, nunc accedit ad ſingulas orationis partes, vt oſtendat quales, & in accuſando & in defendendo eſſe debeant. Ac primo exordium accuſatoris eiuſmodi (inquit) eſſe debet, vt reo acerbos iudices efficiat, & commube periculum eſſe oſtendat, atque ad audiendum excitet, debet enim acerbitatem habere vehementem, vt in Diuinatione contra Verrem, Quas res luxuries in flagitijs, crudelitas in ſupplicijs, auaricia in rapinis, ſuperbia in contumelijs efficere potuiſset, eas omnes ſeſe hoc vno Prætore per triennium pertuliſſe. Dicet etiam accuſator, periculum eſſe commune, ut tertia in Verrem actione, Commune eſt hoc malum, communis metus, commune periculum, nullæ ſunt occultiores inſidiæ, quàm eę quæ latent in ſimulatione officij, aut in aliquo neceſsitudinis nomine. Pro Roſcio Am. Periculum quod in omnes intenditur propulſetis. Sed hoc multis in locis facit Cicero, vt magis Iudices excitet.

A reo autem querela conflati criminis, collectarumq́. ſuſpicionum, & accuſatoris inſidiæ, & item commune periculum proferetur, animique ad miſericordiam allicientur, & modicè beneuolentia iudicum colligetur.

Defenſoris exordium querelam conflati criminis & conficti habere debet, ita vt periculum eſſe commune oſtendat, & animos iudicum ad miſericordiam alliciat, ſibique beneuolos faciat. Hæc omnia diligentiſsimè ſeruat Cicero pro Roſcio Am. docet enim in Roſcium non alia de cauſa conflatum eſſe parricidij crimen ab accuſatoribus, niſi vt Roſcio ſublato poſſent eius bona ſecurè poſsidere, colligit ſuſpiciones plurimas, quibus docet ab ipſis accuſatoribus interfectū fuiſſe Roſcij Patrem. Commune eſſe periculum oſtendit, ſi iudicio ficto innocentes opprimantur, iudices ad miſericordiam mouet, rogatque ut audaciæ aduerſariorum fortiter reſiſtant. in fine exordij modicè beneuolentiam & attentionem captat, his quidem verbis, Atque ut

facilius intelligere poſsitis iudices, ea quæ facta ſunt, indigniora eſſe, quàm hæc ſunt, quæ dicimus, ab initio res quemadmodum geſta ſit uobis exponemus, quò facilius, & huius hominis innocentiſsimi miſerias, & illorum audaciam cognoſcere poſsitis, & Reip. calamitatem.

## Narratio autem accuſatoris erit, quaſi membratim geſti negocij ſuſpicioſa explicatio, ſparſis omnibus argumentis, obſcuratis defenſionibus.

Accuſator in narratione non periodis vtetur, ſed membratim dicet: nam membra longè commodiora ſunt in omni narratione, quàm periodi aut commata. Circumductio enim verborum potiùs exordio conuenit, commata vero confirmationi. debet autem accuſator membra narrationis ſuſpicioſa ponere, quæ ſemina argumentationum contineant, & quæ defenſionem obſcurare videantur; vt in Verrem, Qui ita dictitat iis eſſe metuendum, qui, quod ipſis ſolis ſatis eſſet, ſurripuiſſent, ſe tantum rapuiſſe, & id multis ſatis eſſe poſsit, nihil eſſe tàm ſanctum quod non violari, nihil tàm munitum, quod non expugnari pecunia poſsit: ſed plurimæ ſunt in Verrem eiuſmodi narrationes.

Ver. 2.

## Defenſori, aut præteritis, aut obſcuratis ſuſpicionum argumentis, rerum ipſarum euentus erunt, caſuſque narrandi.

Defenſor in narratione vel præterit argumenta ſuſpicionum, ut pro Milone, Milo cũ in Senatu fuiſſet eo die, quoad Senatus dimiſſus eſt, domum venit, calceos & veſtimenta mutauit, pauliſper, dum ſe uxor (vt fit) comparat, commoratus eſt, & reliqua. Vel eadem obſcurat, vt pro Roſcio Am. Cum hic Sextus eſſet Ameriæ, T. autem iſte Roſcius Romæ, cum hic filius aſsiduus in prædijs eſſet, cumque ſe voluntate patris rei familiari, uitæq. ruſticæ dediſſet, iſte autem frequens Romæ eſſet, occiditur ad balneas palatinas, rediens à cæna Sex. Roſcius. Deinde narrabit defenſor euentus & caſus rerum, ut pro Roſc. Am. Glaucia decem horis nocturnis quinquaginta millia paſuum ciſijs peruolauit, ut T. Capitoni Roſcij mortem nunciaret: poſtea verò narrat Cicero quemadmodum Chryſogonus, & duo Roſcij in fortunas Sex. Roſcij intefect impetum fecerint, & illas inter ſe diuiſerint. Quibus rebus effici vult, non à filio Patrem Roſcium, ſed ab aduerſarijs occiſum fuiſſe.

In con-

Digitized by Google

In confirmandis autem noſtris argumentationibus, infirmandiſque contrarijs, ſæpè erunt accuſatori motus animorum incitandi, reo mitigandi. atque hæc quidem utriq. maximè in peroratione facienda, alteri frequentatione argumentorum, & coacer uatione uniuerſa, alteri ſi plane cauſam redarguen do explicarit, enumeratione, vt quicque diluerit, & miſeratione ad extremum.

In confirmatione, & refutatione præter argumenta, quæ ponentur, debet accuſator, criminibus amplificandis, motus animorum incitare, reus autem mitigare. Nam licet amplificatio propria perorationis eſſe videatur, tamen in reliquis etiam orationis partibus ſæpè adhiberi ſolet, quod ex accuſationibus Ciceronis contra Verrem intelligi poteſt, in quibus poſt cuiuſlibet ferè criminis confirmationem, amplificatione vtitur; vt tertia in Verrem poſtquàm confirmauit ab ipſo Verre Quæſtore deſertum fuiſſe conſulem, ita crimen amplificat; Ita ne vero? tu cum Quæſtor ad exercitum miſſus ſis, cuſtos non ſolum pecuniæ, ſed etiam conſulis, particeps omnium rerum, conſiliorumque fueris, habitus ſis in liberum loco, ſicut mos maiorum ferebat, repentè relinquas? deſeras? ad aduerſarios tranſeas? O ſcelus, ò portentum in vltimas terras exportandum, & quæ ſequuntur. Sed hoc (vt dixi) ferè ſemper obſeruat; contrà verò defenſor ſingula debet extenuare, vt pro M. Cælio, meretriciam Cælij cum Clodia conſuetudinem facetiſsimè tractat, veneni crimen irridet, teſtium fidem eleuat. In peroratione contendere debet accuſator argumentorum frequentatione vt reum obruat, contrà defenſor poſtquam omnia refutarit, poterit enumeratione, & conqueſtione vti, quod pro Cluentio facit Cicero.

C. F. Scire mihi iàm videor quemadmodum coniectura tractanda ſit, nunc de definitione audiamus.

C. P. Communia dantur in iſto genere accuſatori, defenſorique præcepta: uter enim definiendo, deſcribendoque verbo magis ad ſenſum iudicis, opinionemque penetrarit, & vter ad communem verbi

vim, & ad eam præceptionem, quam inchoatam habebunt in animis ij, qui audient, magis & propius acceſſerit, is vincat neceſſe eſt.

Definitio, quæ eſt altera conſtitutio, ferè eodem modo tractatur, & ab accuſatore, & à reo. Nam vterque rem illam, de cuius nomine controuerſia eſt, definit, & definitionem ſuam argumentis corroborat, eamque cum æquitate coniunctam oſtendit. Is autem erit ſuperior in hac cauſa, qui propius acceſſerit ad opinionem iudicis eam, quam de re ipſa, quæ tractatur acceperit. Omnes enim homines habent in animo, quandam cuiuſlibet rei notionem incohatam & imperfectam, quæ deindè argumentis fit illuſtrior. Itaque communem illam opinionem in definiendo ſequi debet orator, vt ſi quis accuſetur ſacrilegij, quod pecunias cuiuſdam priuati hominis in templo poſitas ſurripuerit, & reus fateatur quidem factum, ſed dicat, non ſacrilegium ſed furtum à ſe commiſſum, & ideo furti ſecum, non ſacrilegij agi oportere. Accuſator ſacrilegium eſſe dicet, quoties quis è loco ſacro pecuniam ſubripit, ſiue illa pecunia ſacra ſit, ſiue priuata, quoniam mentem & animum raptoris aduertere oportet, qui nihil Deorum numen veritus, in templo facinus commiſerit, neque illum ſciuiſſe pecuniam eſſe priuatam, ſed cum ſacram putaret, tamen animo ſacrilego furatum eſſe. Defenſor autem dicet ſacrilegium eſſe rei ſacræ ablationem, neque locum aduerti, ſed rem ipſam ſublatam, quæ ſi ſacra fuerit, ſacrilegium eſt commiſſum, ſi priuata non ſacrilegium, ſed furtum, probabitque, ſi poterit, reum ſciuiſſe pecuniam illam viri priuati fuiſſe, exploratumque habuiſſe non eſſe ſacram; Quæ diſputatio ex locis coniecturæ ducetur, nam in hoc genere rara ſunt argumenta, quod ita affirmat Cicero.

Non enim argumentando hoc genus tractatur, ſed tanquàm explicando, excutiendoque verbo, vt ſi in reo pecunia abſoluto, rurſusque reuocato, præuaricationem accuſator eſſe definiat, omnem iudicii corruptelam ab reo, defenſor autem non omnem, ſed tantummodò accuſatoris corruptelam ab reo.

Ponit exemplum controuerſiæ, quæ naſcitur à definitione, poſtea docèt quomodo & ab accuſatore, & à defenſore tractanda ſit. Ac primò dicit genus hoc non per argumenta tractari, ſed potius per explicationem,

Digitized by Google

cationem, & excuſsionem vocabuli. Quod ſi argumentis vti opus erit, ea ſumentur ex alijs generibus, quod pro A. Cæcina copiosè facit. Exemplum vero, quod ponitur hoc loco, poteſt ita conformari. P. Clodius reus de pollutis ſacris bonæ Deæ, iudices pecunia corrupit, atque ita abſolutus eſt, eius accuſator ægre ferens ſibi reum, quem condemnare ſperabat, eripi, vocat iterum eum in iudicium de præuaricatione, quod iudices pecunia corruperit. Negat Clodius à ſe præuaricationem commiſſam? quæritur ergo quid ſit præuaricatio, & quomodo fiat, Accuſator ita definit, omnis iudicij corruptela ab reo præuaricatio eſt, tu Clodi iudicium corrupiſti, in præuaricationem igitur incidiſti. Defenſor vero contra ait, Non omnis corruptela iudicij eſt præuaricatio, ſed tantum corruptela accuſatoris ab reo, dicitur præuaricatio, hoc igitur modo controuerſia naſcitur. Eſt autem Præuaricari propriè à recto diſcedere, ſic enim Plinius, arator niſi incuruus præuaricatur. In cauſis præuaricari dicuntur, qui cauſam aduerſariorum adiuuant, & ſuam conſultò prodũt, & Præuaricatores dicuntur accuſatores, qui cum ipſo reo colludunt, hoc eſt qui pecunias à reo accipiunt, vt vera crimina taceant, & Præuaricatio proprie actus ille eſt, cùm accuſator pecunia corruptus ea crimina prætermittit, aut leuiter tangit, quæ acriter eſſent accuſanda. Prçuaricatio quid.

Sit hæc ergo contentio prima verborum, in qua etiam ſi propius accedat ad conſuetudinem mentemque ſermonis, defenſoris definitio, tamen accuſator ſententia legis nititur. Negat enim probari oportere eos, qui leges ſcripſerunt, ratum habere iudicium, ſi totum corruptum ſit, ſi vnus accuſator corruptus ſit, reſcindere, nititur æquitate, ut illa quaſi ſcribenda lex ſic eſſet, quæque tamen complecteretur in iudiciis corruptis, ea verbo vno præuaricationis comprehendiſſe dicitur.

Verborum contentio in propoſita controuerſia videtur pro reo facere, quod præuaricatio ſit tantummodò accuſatoris corruptela ab reo. ſed tamen accuſator contra duobus grauiſsimis firmamentis vtitur, hoc eſt ſententia legis & æquitate, ſententia legis à minori ſic argumentabitur; Lex iubet iudicium reſcindi, ſi accuſator corruptus fuerit, ergo multò magis iudicium reſcindi debet, ſi ipſi iudices corrupti

rupti fuerint: Neque enim tam amentes fuiſſent legiſlatores, vt ratum haberent iudicium, ſi totum corruptum ſit, & deindè ſi vnus tantum accuſator ſit corruptus, reſcinderent. Ab æquitate verò ſic argumentabitur; Legem quidem ſcriptam eſſe de accuſatore ſi corruptus fuerit, quoniam id frequentius accidit, ſed tamen æquum eſſe, *illam de omni* corruptela ab reo facta interpretari, quoniam vno præuaricationis nomine legiſlator comprehenderit omnia, quæ de corruptis iudicijs caueri debent; hoc autem accuſatoris firmamentum multum ideo valebit, quòd ſæpiſsimè leges, quod frequentiùs *fieri ſolet,* reſpiciunt, & ad id nomen acom modant, quod tam *deinde ad alia, quæ* ſimilia ſunt, traduci ſolet. nam ( vt ait Iulianus ) Non poſſunt omnes articuli ſigillatim aut legibus, aut Senatuſconſultis comprehendi, ſed cum in aliquo caſu ſententia eorum manifeſta eſt, is, qui iuriſdictioni præeſt, ad ſimilia procedere atque ita ius dicere debet.

Defenſor autem teſtatur conſuetudinem ſermonis, verbique uim ex contrario reperiet, quaſi ex *vero* accuſatore, cui contrarium eſt nomen præuaricationis: ex conſequentibus, quod ea litera de accuſatore ſoleat dari iudici, ex nomine ipſo, quod ſignificat eum, qui in contrariis cauſis quaſi variè eſſe poſitus uideatur.

Quatuor potiſsimum rationibus in hac cauſa defenſor nitetur, hoc eſt à conſuetudine, à contrario, à conſequentibus, & à nomine ipſo. A conſuetudine quoniam omnes, qui latinè loquuntur, præuaricationem intelligunt eſſe accuſatoris corruptelam ab reo, non autem iudicium. A contrario, vt ſi quoties verus accuſator eſt, qui nuſquam à recta accuſatione deflectat, etiam ſi iudices corrumpantur, nulla ſit præuaricationis mentio, quid eſt quod quiſquam dubitare poſsit, quin tantum ad accuſatorem præuaricatio pertineat? verus enim accuſator præuaricatori opponitur. A conſequentibus, quoniam ea litera, hoc eſt ea lex præuaricationis, non autem ( vt interpres qui dam ineptiſsime ſentit ) litera, quæ fronti ignominiæ cauſæ imprimitur, ea, inquam, lex datur iudici, vt de accuſatore ſententiam ferat, vtrum ſit verus accuſator, an præuaricator. A nomine denique quoniam præuaricator videtur à varietate dici, vt eum tantum ſignificet, qui in contrarijs cauſis variè poſitus eſt.



Digitized by Google

**Sed huic tamen ipſi confugiendum eſt ad æquitatis locos, ad rerum iudicatarum auctoritatem, ad finem aliquem periculi.**

Defenſor non minus, quàm accuſator, ad æquitatem confugiet, & ad iudiciorum auctoritatem; ad aliquem finem periculi, ideſt vt aliquo modo periculum effugiat, & controuerſiæ finem reperiat. Duo ſunt igitur loci, præter quatuor illos ſupradictos, quibus vti defenſor poteſt, alter ab æquitate, alter à rebus iudicatis; dicet enim defenſor æquitatem ipſam poſtulare, vt verbi proprietas ſpectetur, neque conuenire vt verbum eò deflectatur, vbi non valet, vt C. Rabirius pro ſalute Reip. contra Saturninum arma ſumpſiſſe ſe fatetur, ſed tamen non æquum eſſe dicit, vt perduellionis condemnetur, quia Saturninus fuit ſeditioſus Magiſtratus. A iudicatis, vt ſiqui fuerunt, qui, quod factum eſt, non eo nomine appellandum eſſe cenſuerit, quod pro Q. Ligario Cicero facit. Scelus tu illud vocas Tubero? cur? iſto enim nomine illa adhuc cauſa caruit, alij errorem appellant, alij timorem, qui durius, ſpem, cupiditatem, odium, pertinaciam, qui grauiſsimè temeritatem, ſcelus præter te adhuc nemo.

**Communeque ſit hoc precæptum, vt cum vterque definiuerit, quàm maximè potuerit ad communem ſenſum vimque verbi, tùm ſimilibus, exemplisque eorum, qui item locuti ſunt, ſuam definitionem ſententiamque confirmet.**

Præceptum hoc tàm ad defenſorem, quàm ad accuſatorem pertinet, vt primò definitionem adhibeat, quæ maximè communi ſenſui conueniat, & verbi vim explicet, deindè ſimilitudines & exempla proferat, quibus definitionem ſuam confirmare poſsit. Hoc copioſè pro A. Cæcinna Cicero facit, ex eo loco, Ego exercitus maximos ſæpè pulſos & fugatos eſſe dico, terrore ipſo impetuque hoſtium, ſine cuiuſquam non modo morte, verum etiam vulnere: etenim, Recuperatores, non ea ſola vis eſt, quæ ad corpus noſtrum vitamque peruenit, ſed etiam multò maior ea, quæ periculo mortis iniecto, formidine animum perterritum loco ſæpè & certo de ſtatu dimouet. Itaque ſaucij ſæpè homines, cum corpore debilitantur, animo tamen non cedunt, neque eum relinquunt locum, quem ſtatuerint defendere; at alij pelluntur integri, vt non dubium ſit, quin maior adhibita vis ei

ſit,

Digitized by Google

ſit, cuius animus ſit perterritus, quàm illi, cuius corpus vulneratum ſit, & quæ ſequuntur. Longiſſimus enim locus eſt.

Atque accuſatori in hoc genere cauſarum locus ille communis, minime eſſe concedendum, vt is, qui de re confiteatur, verbi ſe intrepretatione defendat.

Accuſator locum habet communem & vehementem contra reum, qui factum confitetur, & tamen vnius verbi interpretatione crimen conatur occultare. dicet enim hoc minime concedendum eſſe, vt quis facinus ſuum verbo velit occultare, ſic Cicero pro A. Cæcinna, Is ne apud vos obtinebit cauſam ſuam, qui ſe ita defenderit, eieci ego te armatis hominibus, non deieci, vt tantum facinus non in æquitate defenſionis, ſed in vna litera latuiſſe videatur? huiuſce rei vos ſtatuetis nullam eſſe actionem? & reliqua.

Defenſor autem de ea, quam propoſui, æquitate nitatur, & ea, cum ſecum faciat, non re, ſed deprauatione verbi ſe urgeri queratur, quo in genere per cenſere poterit pleroſque inueniendi locos, nam & ſimilibus utetur, & contrarijs, & conſequentibus, quamquam uterque, tamen reus, niſi planè erit abſurda cauſa, frequentius.

Dixerat ſuperiùs hoc genus non in argumentando conſiſtere, ſed tantùm in definiendo, & explicando verbo; nunc tamen oſtendit aliquibus etiam argumentationibus tractari poſſe, quod ita intelligendum eſt, definitionem, quæ profertur ab vtroque, poſſe multis ex locis confirmari. Sed ex illis præcipuè tribus, hoc eſt à ſimilibus, à contrarijs, & à conſequentibus, quibus licet etiam accuſator vtatur, tamen reus longè ſolet vti frequentius, niſi plane erit abſurda cauſa, quam accuſator irridere facilè poſsit, & inanem eſſe defenſionem oſtendere, vt pro A. Cæcinna Cicero, Quid ergo hoc interdictum putamus eorum eſſe cauſa compoſitum, qui ſe præcipitatos ex locis ſuperioribus dicerent? eos enim verè poſſumus dicere eſſe deiectos, in eadem oratione ſæpè ſimilibus vtitur Cicero, vt ibi. Quæro ſi te hodie domum ſuam redeuntem coacti homines & armati, non modo limine tectoque ædium tuarum, ſed primo aditu veſtibuloque prohibuerint,

Digitized by Google

dixerint, quid acturus ſis; & alibi, Ne quemadmodum in bello pœna ignauis ab Imperatoribus conſtituitur, ſic in iudicijs deterior cauſa ſit eorum, qui fugerint, quàm qui ad extremum vſque contenderint; ſæpè etiam contrarijs vtitur, vt ibi; Quæ vis in bello appellatur, ea in ocio non appellabitur? & quod vehemens, in re militari putatur, id leue in iure ciuili iudicabitur? & quod exercitus armatos mouet, id aduocationem togatorum non videbitur mouiſſe? conſequentibus quoque ſæpè vtitur, vt ibi, Quod ſi aliter ſtatuetis, videte, ne hoc nos ſtatuatis, qui viuus diſceſſerit, ei vim non eſſe factam, ne hoc omnibus in poſſeſsionum controuerſijs præſcribatis, vt confligendum ſibi, & armis decertandum putent.

Amplificandi autem cauſa, quæ aut cum digredientur à cauſa, dici ſolent, aut cum perorabunt, hæc uel ad odium, uel ad miſericordiam, uel ad omnino animos iudicum mouendos, ex iis, quæ ſunt antepoſita, ſumentur, ſi modo rerum magnitudo, hominumue aut inuidia, aut dignitas poſtulabit.

Amplificatio quibus ex verbis & rebus conſtet, iam ſuprà copioſè declaratum eſt. Ergo in definitiua controuerſia poſſumus vel in digreſsionibus vel in peroratione, ſi cauſa magna ſit & grauis, vt id poſtulare videatur, vti amplificatione ad permouendos iudicum animos, vt vel oderint, vel miſereantur, quod ſi cauſa ſit tenuis & humilis, verborum faces nullo modo ſunt adhibendæ, vt Cicero pro A. Cæcinna, quia illa cauſa tenuis erat, non magnis amplificationibus vſus eſt, ſed acutis & ſubtilibus, at vero pro C. Rabirio perduellionis reo, quoniam grauis erat cauſa, generis huius definitiui, omni amplificationis genere exarſit.

C. F. Habeo iſta, nunc, ea, quæ, cum quale ſit quippiam diſceptatur, quæri ex vtraque parte deceat, velim audire.

C. P. Confiteantur in iſto genere, qui arguuntur, ſe id feciſſe ipſum, in quo reprehenduntur, ſed quoniam iure ſe fecisſe dicunt, iuris eſt omnis ratio nobis explicanda, quod diuiditur in duas partes primas, na

turam atque legem, & vtriuſque generis vis in diui-
num & humanum ius eſt diſtributa, quorum æ-
quitatis eſt vnum, alterum religionis.

Accedit ad tertiam conſtitutionem, in qua reus & factum, & nomen facti confitetur, ſed iure ſe feciſſe contendit, atque ideo, quia quæritur quale ſit id, de quo diſceptatur, conſtitutio qualitatis appellatur, hanc autem quæſtionem nemo rectè tractare poteſt, niſi qui rationem omnem iuris diligenter intellexerit, quoniam à iuris cognitione tota pendet: hæc itaque cauſa eſt, cur Cicero breuiter iuris partes explicat. Statuunt autem Iuriſconſulti, Ius æqui & boni cognitionem atque artem eſſe, hic enim eſt fons, hæc origo totius iuſtitiæ, ſi æquum & bonum conſeruetur. Partes vero iuris primæ ſunt duæ, Natura & Lex. Naturam enim ducem ſi ſequamur, nunquam aberrabimus (vt ait primo de Officijs Cicero) Lex vero eſt ratio ſumma inſita in natura, quæ iubet ea, quæ facienda ſunt, prohibetque contraria. Sunt qui inter naturam & legem ponant hanc differentiam, quod natura ſit quæ ſemina rerum omnium honeſtarum, & iuſtarum, nobis inſerit: vident enim omnes ferè homines lumine quodam naturali, & communi intelligentia, quid æquum & quid iniquum ſit, quid bonum & quid malum. Lex vero ſit ab hominibus conſtituta, quò vita ciuilis & concordia poſsit ab hominibus conſeruari: quoniam niſi leges eſſent, ſemper improbi homines bonis inſidiarentur, & omnis æquitas breui ſubuerteretur. Sed omne ius naturale, & legitimum, vel ad Deos, vel ad homines refertur, quod ad Deos ſpectat, vocatur diuinum, & omnem religionem amplectitur; quod ad homines, dicitur humanum, & æquitatem omnem continet. Quare ius omne vel religionis, vel æquitatis eſt.

*Ius ſecundum iureconſ. quid ſit.*

*Differētia inter naturam & legē ſecundum quoſdam.*

Aequitatis autem vis eſt duplex, cuius altera directi, &
veri, & iuſti, & ut dicitur, æqui & boni ratione
defenditur, altera ad viciſsitudinem referendæ gra
tiæ pertinet, quod in beneficio gratia, in iniuria
vltio nominatur.

*Aequitas duplex.*

Aequitas tàm ad naturam quàm ad legem pertinet, ea duplex eſt, altera abſoluta, altera ad viciſsitudinem relata æquitas. Abſoluta illa eſt, quæ ſimpliciter conſiderat quid verum ſit, & iuſtum, & æquum, ſine vlla comparatione; æquitas illa quæ refertur ad viciſsitudinem,

eſt quæ

Digitized by Google

eſt quæ tribuit vnicuique pro meritis quod conueniens eſt, vt benemerentibus gratiam, malemerentibus vltionem: quare duplex eſt etiam hæc æquitas. Nam æquiſsimum eſt referre gratiam eis, à quibus beneficium accepimus, & hæc æquitatis pars gratia dicitur: Quin etiam iure naturali vim vi licet repellere, atque inimicis talionem reddere, atque hæc vltio nominatur. Aequitatis abſolutæ ſunt huiuſmodi exempla, Deum colere, patriam amare, parentibus obtemperare, ſuum cuique reddere, cæteraque eius generis penè innumerabilia. Eius autem æquitatis quæ ad viciſsitudinem refertur, talia ſunt exempla, benemerentibus gratiam referre, gratum animum oſtendere, vim vi repellere, iniurias vlciſci.

## Atque hæc communia ſunt naturæ, atque Legis, ſed propria legis & ea quæ ſcripta ſunt, & ea, quæ ſine literis aut gentium iure, aut maiorum more retinentur.

Quæcumque vel ad religionem, vel ad æquitatem ſpectant, ea naturæ atque legis communia ſunt. Natura enim Deorum nobis cultum ingenerauit, & docuit nos, vnum eſſe totius mundi rectorem & gubernatorem, quem venerari & colere pium ſit; lex deinde multa quæ ad cultum Deorum pertinent, inſtituit: eodem modo nos eadem natura formauit aptos, ad verum & iuſtum, vt primo Rhetoricorum cenſet Ariſtoteles, & ad gratiam referendam in vtramque partem vel benè vel malè de nobis merentibus. Quam rem pro Milone Cicero multis verbis approbat, quam naturæ legem, deinde conſenſus hominum confirmauit. Sunt alia quæ propria legis ſunt, non à natura donata, ſed ab hominibus inſtituta, vt quæ ſcripta ſunt, & quæ gentium iure ſeruantur, & quæ maiorum more retinentur.

## Scriptorum autem priuatum aliud eſt, aliud publicum. publicum lex, Senatuſconſultum, fœdus. Priuatum, tabulæ, pactum, conuentum, ſtipulatio.

Ius ſcriptum ita diſtinguitur, quod aliud eſt publicum aliud priuatum. Publicum id dicitur, quod ad ſtatum Reip. pertinet; Priuatum quod ad ſingulorum vtilitatem. Publici iuris Cicero tria ponit exempla Legem, Senatuſconſultum, fœdus. Lex dicebatur ea, quam populus Romanus Senatorio Magiſtratu interrogante, veluti conſule *Ius ſcriptũ, quid & quotuplex. Legis definitio.*

conſtituebat, nam initio Romani leges nullas habebant, cum à regibus omnia gubernarentur. Romulus & ſubſequentes reges, quaſdam leges tulerunt, quas deinde Sex. Papyrius in vnum librum contulit, & id ius Papyrianum fuit appellatum. Exactis regibus publica auctoritate decem viri conſtituti ſunt, qui duce Hermodoro Epheſio, leges à græcis ciuitatibus petitas in duodecim tabulis conſcripſerunt, & pro Roſtris poſuerunt, vt eas populus Romanus apertius perſpiceret, & ſi videretur, approbaret, quæ poſtquàm approbatæ fuerunt, leges duodecim tabularum fuerunt appellatæ, vnde ferè *ius omne ciuile* Romanorum fluxit, & legis actiones, vt *Pomponius de Origine iuris* atteſtatur. Multæ deinde leges latæ ſunt, quæ ferè nomen à *latoribus* habuerunt, vt Lex Iulia, Lex Cornelia, Lex Sempronia, Lex Portia, atque ita de reliquis. Senatuſconſultum eſt, quod Senatus iubet, atque conſtituit, nam cum auctus eſſet populus Romanus in eum modum, vt difficilè eſſet in vnum eum conuocari legis ſanciendæ cauſa, æquum viſum eſt, Senatum vice populi conſuli. Fœdus id dicitur, quod publicè cum externis populis ac nationibus ſancitur. T. Liuius ſcribit tria fœderum genera fuiſſe, quibus integrè paciſcerentur amicitias ciuitates, regeſque, vnum cum bello victis dicerentur leges; Alterum cum pares bello æqua conditione in pacem atque amicitiam venirent; Tertium cum qui hoſtes nunquam fuerint, ad amicitiam ſociali fœdere iungendam coirent.

Senatuſcõſultũ quid

Fœdus qd ſit.

4. bel. Maced.

Priuati autem iuris, quatuor ponit exempla, tabulas, pactum, conuentum, ſtipulationem.

Tabulæ ſunt ea, quæ vulgò *inſtrumenta vocamus, in rebus emendis, vendendis, atque in omni contractu*, quæ magnam habent firmitatem.

Pactum, quo aliqui inter ſe paciſcuntur, quod tanti roboris eſt, vt iuri præſtare dicatur, eſt autem pactum, vt ait Vlpianus, duorum pluriumue in idem, placitum & conſenſus.

Pacti definitio.

Conuentum quo homines inter ſe de aliquo negocio conueniunt, & generalius eſt conuentum, quàm pactum, vt idem Vlpianus cenſet, licet interdum confundantur, & alterum pro altero ponatur.

Stipulatio eſt obligatio verborum ex interrogatione & reſponſione, vt ſpondes ne? ſpondeo, de qua iam ſuprà dictum eſt.

Quæ autem ſcripta non ſunt, ea aut conſuetudine, aut conuentis hominum, & quaſi conſenſu obtinentur.

Fuerunt

Fuerunt olim nonnulli populi, qui ſcripta iura non habebant, neque habere volebant, ſed à maioribus ſuis ea diſcebant, & poſteris ſuis quaſi per manus tradebant, vt in Græcia Lacedemonij, in Gallia Druidæ, de quibus multa Cæſar. Sed ea iura ſic ab eis obſeruabantur quaſi ſcripta eſſent; ſunt etiam apud omnes ferè populos quædam conſuetudines, quæ licet ſcriptæ non ſint, tamen iuris habent vigorem, nam (vt ait Iuſtinianus) diuturni mores, conſenſu vtentium comprobati, legem imitantur, & Cicero ſic ait, Eſt enim conſuetudinis ius, quod voluntate omnium ſine lege vetuſtas comprobauit. Quod igitur fit ex communi conſuetudine, id quaſi iure factum defendi poteſt, fiunt etiam inter homines quædam conuenta ſine ſcripto, tantùm ex communi conſenſu, quæ non aliter atque iura ſcripta ſolent obſeruari, atque retineri, quæ omnia niſi à iure naturali diſcrepent, facilè probari poſſunt. Lib. 6. de bel. Gal.

## Atque etiam hoc in primis, vt noſtros mores, legesque tueamur, quodammodo naturali iure perſcriptum eſt.

Ius naturale quodammodo præſcribit ac præcipit omnibus, vt ſuos mores ac leges tueantur, quoniam non aliter ciuitas ſtare, aut domus vlla conſeruari poteſt, quod Cicero pro A. Cluentio ſic exequitur, Hoc enim vinculum eſt huius dignitatis, qua fruimur in Rep. hoc fundamentum libertatis, hic fons æquitatis, mens & animus & conſilium & ſententia ciuitatis, poſita eſt in legibus, vt corpora noſtra ſine mente, ſic ciuitas ſine lege, ſuis partibus vt neruis ac ſanguine & membris, vti non poteſt, Legum deniq. idcirco omnes ſerui ſumus, vt liberi eſſe poſsimus. Ariſtoteles etiam ait, totius ciuitatis ſalutem in legibus eſſe poſitam, natura verò præſcribit omnibus, vt ea quærant & obſeruent, quibus ſalutem ſuam tueri poſsint, quò fit vt legum obſeruatio, ſit quodammodo naturalis, ſicut ait hoc in loco Cicero. li. 1. Rhet.

## Et quoniam breuiter aperti fontes ſunt, quaſi quidam æquitatis, meditata nobis ad hoc cauſarum genus eſse debebunt ea, quæ dicenda erunt in orationibus de natura, de legibus, de more maiorum, de propulſanda iniuria, de vlciſcenda, de omni parti iuris.

Ars ſine

Ars ſine exercitatione parum prodeſt, itaque nos admonet Cicero, vt ante præuideamus, & diligenter præmeditemur, quæ ſint in eiuſmodi cauſis tractanda, & in eis nos exerceamus, vt ſi quando in orationibus opus fuerit de natura, & de legibus dicere, id præſtare facilè poſsimus, vt pro Milone Cicero probat ex iure naturali vim vi licere repellere, cum ita inquit; Eſt enim hæc, Iudices, non ſcripta ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſsimus, ad quam non docti ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus, vt ſi vita noſtra in aliquas inſidias, ſi in vim, in tela aut latronum aut inimicorum incidiſſet, omnis honeſta ratio eſſet expediendæ ſalutis. Idem etiam à legibus probat hoc modo, Quod ſi duodecim tabulæ nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem, ſi ſe telo defenderit, interfici impunè voluerunt, quis eſt, qui quoquo modo quis interfectus ſit, puniendum putet, cum videat aliquando gladium vobis ad occidendum hominem ab ipſis porrigi legibus? Etiam de propulſanda & vlciſcenda iniuria ſic ait, Quid comitatus noſtri, quid gladij volunt? quos habere certè non liceret, ſi vti illis nullo pacto liceret. Mores vero maiorum ſemper habet in ore, cum & exempla recitat, & oſtendit quid antiqui illi Romani ſapientiſsimi viri ſenſerint, dixerint, fecerint, neque eſt vlla pars iuris, quam non diligenter cum opus fuerit in orationibus tractet, vt pro A. Cæcinna, de Interdicto vnde vi, quàm multa, quamque ſubtiliter diſputat? pro L. Murena quàm facetè de iure ciuili verba facit? pro Cor. Balbo, quanta maieſtate de fœderum iure diſſerit?

Si imprudenter, aut neceſſitate, aut caſu quippiam fecerit, quod non concederetur ijs, qui ſua ſponte, & voluntate feciſſent, ad eius facti deprecationem ignoſcendi petenda venia eſt, quæ ſumetur ex pleriſque locis æquitatis.

Quæ de iure dicta ſunt hactenus, ad iuridicialem abſolutam pertinent, nunc aſſumptiuæ partes breuiter abſoluit. Nam quando per ſe factum probari non poteſt, quod contra ius eſſe videatur, tunc aſſumptis extrinſecus auxilijs, conamur illud defendere. Tria vero ſunt, quæ factum improbum excuſare poſſe videantur, imprudentia, neceſsitas, caſus. Imprudentia cum quis fatetur quidem ſe peccaſſe, ſed inſcienter, vt ſi quis in bello putans hoſtem ſe interficere, fratrem, aut amicum interficiat, ita Paulus cùm accuſaretur quod parùm modeſtè Pontifici reſpondiſſet, ità ſe ab imprudentia defendit, neſciebam

bam eſſe Pontificem. Eodem modo ſi lex ſit, ne quis Dianæ vitulum immolet, & aliquis ignarus huius legis, vt Dianam honoret, ei vitulum immolet, poteſt imprudentiam excuſare, nam imprudentia eſt (vt ait Cicero) cum ſciſſe aliquid is, qui arguitur, negat. Cicero pro Roſcio Am. ſic excuſat Syllam ab imprudentia, quòd non ſicarios puniret, verùm (vt fit) multa ſæpè imprudentibus Imperatoribus vis belli ac turba molitur, dum is in alijs rebus erat occupatus, qui ſummam rerum adminiſtrabat, erant interea qui ſuis vulneribus mederentur. Neceſsitate defenditur is, qui oſtendit ſe aliter facere non potuiſſe, vt Cicero prò Q. Ligario. Tertium eſt tempus, quo poſt aduentum Varri in Africa reſtitit, quod ſi eſt crimi noſum, neceſsitatis crimen eſt, non voluntatis, an ille ſi potuiſſet illinc vllo modo euadere Vticæ potius, quàm Romæ, cum P. Actio, quàm cum concordiſſimis fratribus, cum alienis eſſe, quàm cum ſuis, maluiſſet. Caſu defenditur, quòd ſine vllo hominis conſilio aut voluntate accidit, vt ſi quis non venerit ad diem conſtitutum, & excuſet ſe, quod vel ægrotarit, vel aquis interclusus fuerit: & ſi quis venator feram petens, hominem interficiat, hæc autem purgatio vocatur, cùm reus vel imprudentiam, vel neceſsitatem vel caſum excuſat; cùm autem ſponte fatetur ſe peccaſſe & veniam petit, deprecatio nominatur, quæ tamen rariſsimè venit in iudicium. Hac vtitur Cicero pro Q. Ligario, quoniam apud Imperatorem Cæſarem orationem habebat, non tanquàm iudicem, ſed tanquàm parentem, ſic enim ait; Sed ego ad parentem loquor, erraui, temerè feci, pœnitet, ad clementiam tuam confugio, delicti veniam peto, vt ignoſcas oro.

Expoſitum eſt, vt potui breuiſsimè de omni controuerſiarum genere, niſi præterea tu quid requiris.

C. F. Illud equidem, quod iam vnum reſtare video, quale ſit, cum diſceptatio verſatur in ſcriptis.

C. P. Rectè intelligis, eo enim expoſito, munus promiſsi omne confecero.

Iam omnes controuerſiæ ſeu conſtitutiones, quæ rationales à quibuſdam vocantur, expoſitæ ſunt, hoc eſt conie cturalis, definitiua, & iuridicialis, quæ ideò rationales dicuntur, quòd non ſcripto, ſed rationibus & argumentis confirmantur; nunc eas aggreditur, quæ legitimæ nominantur, quoniam ex aliquo genere ſcripti legitimo naſcuntur, has alij quinque faciunt, alij quatuor. Cicero tres tantum hoc in loco numerat, ambiguum, ſcriptum & ſententiam, contrarias

leges:

Digitized by Google

Lib. 2. de Inuen. leges: alio loco adiunxit ratiocinationem, & definitionem. Sed ratiocinatio non eſt ſcripti diſceptatio, cùm ea colligat, quæ nuſquam ſcripta ſunt, vt ipſemet Cicero teſtatur, quò fit vt potius ad rationales controuerſias pertineat, vt etiam nomen ipſum indicat, definitio vero non eſt ipſius ſcripti, ſed rei de qua ſcriptum eſt. Itaque definitiua controuerſia, non ad ſcriptum pertinet, ſed eſt conſtitutio per ſe rationalis, quocirca tres tantùm ſunt ſcripti diſceptationes, de quibus hic tractat Cicero, ac primò de ambiguo.

Sunt igitur ambigui duob. aduerſarijs præcepta communia. Vterque enim hanc ſignificationem, qua vtetur ipſe, dignam ſcriptoris prudentia eſſe defendet. Vterque id, quod aduerſarius ex ambiguè ſcripto intelligendum eſſe dicet, aut abſurdum, aut inutile, aut iniquum, aut turpe eſſe defendet, aut etiam diſcrepare cum cæteris ſcriptis, vel aliorum, vel maximè, ſi poterit, eiuſdem.

In tractandis ambiguis ſcriptis omnia ferè præcepta ſunt accuſatori & defenſori communia, quoniam vterque ſuam interpretationem & ſententiam ita defendet, vt oſtendat, cum prudentia ſcriptoris maximè conuenire, aduerſarij vero interpretationem dicet vterque abſurdam, inutilem, iniquam, turpem eſſe, aut non conſentire cum legibus, aut ſcriptis, reliquis eiuſdem legiſlatoris aut ſcriptoris. Illud aduertendum eſt, ambiguum aut in vno verbo eſſe, aut in pluribus, hoc eſt in copulatione verborum; in vno verbo hoc modo. Quidam ciuis ſeruum nomine Taurum habebat, eum morens Seio legat his verbis Hæres meus, Seio Taurum dato, poſt mortem teſtatoris, hæres non ſeruum, ſed bouem Seio ſe debere ait, quia Taurus bouem ſignificat; at Seius ſeruum, non bouem ſibi legatum eſſe contendit, dicet igitur Seius dignum eſſe teſtatoris prudentia, vt Taurus pro ſeruo capiatur, abſurdum eſſe & iniquum, vt ſibi tam benè merito bouem legaret, Taurum proprio nomine appellaſſe, de quo nemo dubitaret: Stultum eſſe credere quemquam amico ſuo gratiſsimo bouem vnum legare. In copulatione verborum fit ambiguum hoc modo, Paterfamilias cum filium hæredem faceret, vaſorum argenteorum centum pondo, vxori ſuæ ſic legauit; Hæres meus vxori meæ vaſorum argenteorum pondo centum quæ volet dato, poſt mortem eius Lib. 2. de Inuen. vaſa magnifica & precioſè cælata, petit à filio mater, ille ſe quæ ipſe

vellet,

vellet, debere dicit, hoc exemplum ponitur à Cicerone alio loco, vbi etiam docet quomodo tractari debeat, Totum autem hoc genus ambiguorum, pendet ab oratoris ingenio & interpretatione; nam qui ſubtilius & ingenioſus ſcriptoris mentem interpretatus fuerit, is facilè totam cauſam obtinebit.

Quamq. defendet ipſe, eam rem & ſententiam quemuis prudentem & iuſtum hominem, ſi integrum daretur, ſcripturum fuiſſe, ſed planius, eamq. ſententiam, quam ſignificari poſſe dicet, nihil habere, aut captionis, aut vitij; contrariam autem ſi probarit, fore, vt multa vitia ſtulta, iniqua, contraria conſequantur.

Vterque aduerſarius ita ſuam ſententiam atque interpretationem confirmabit, vt dicat a quolibet prudente & iuſto homine probari poſſe, neque aliter quemque ſapientem fuiſſe ſcripturum, quàm vt ipſe interpretatur, cum nulla ſit captio, nullum vitium in eiuſmodi ſententia. Poſtea ſe conuertet ad ſententiam aduerſarij, & oſtendet eam eſſe vitioſam, ſtultam, iniquam, à ratione abhorrentem, hoc in omnibus ferè auctoribus interpretandis faciunt interpretes, vt cùm aliquis locus ambiguus & difficilis incidit, aliorum interpretum ſententiam improbent, tãquàm ſtultam & inanem, & à ſcriptoris mente alienam, ſuam autem laudent, & oſtendant, cum ſcriptoris mente maximè conuenire. Hoc pro A. Cæcinna copioſè Cicero facit, cum interdicti uerba ſubtiliter interpretatur, & ingenioſè cauſæ ſuæ accommodat.

Cum autem aliud ſcriptor ſenſiſſe videtur, & aliud ſcripſiſſe, qui ſcripto vtetur, eum, re expoſita, recitatione vti oportebit, deinde inſtare aduerſario, iterare, renouare, interrogare, num aut ſcriptum neget, aut contrà factum inficietur: poſt iudicem ad vim ſcripti vocet, hac confirmatione vſus; amplificet rem lege laudanda, audaciamque confutet eius, qui cum palàm contrafecerit, idque fateatur, adſit tamen, factumque defendat.

Secunda controuerſia, quæ naſcitur ex ſcripto, illa eſt, cùm ſcriptū ipſum videtur cum ſententia ſcriptoris diſcrepare, vt ſi lex ſit huiuſmodi; Nocturno tempore portas vrbis ne aperiunto, ſi quis aperuerit, ei capitale eſto: quodam in bello cum ab hoſtibus multi ciues opprimerentur, neque ullo modo poſſent effugere; portæ cuſtos noctu portas aperuit, & ciues in oppidum recepit, atque conſeruauit. Poſtea capitis accerſitur, accuſator ergo primò rem factam narrabit, deinde legem recitabit, tum inſtabit aduerſario, iterabit, renouabit, interrogabit, an legem eſſe ſciret? an contra illam factum neget? iudices ad ſcriptam legem vocabit, eamque vehementer laudabit, deinde temeritatem & audaciam eius inſectabitur, qui cum apertiſsimè contra legem fecerit, eamque violarit, tamen audeat in iudicium prodire, & factum ſuum defendere.

Deinde infirmet defenſionem, cum aduerſarius aliud voluiſse, aliud ſenſiſse ſcriptorem, aliud ſcripſiſse dicat, non eſse ferendum à quoquam potiùs latoris ſenſum, quàm à lege explicari, cur ita ſcripſerit. Si ita non ſenſerit? cur, cum ea quæ planè ſcripta ſint, neglexerit, quæ nunquàm ſcripta ſint, proferat? cur prudentiſſimos in ſcribendo viros ſummæ ſtultitiæ putet eſse damnandos? quid impedierit ſcriptorem, quò minus exciperet illud, quod aduerſarius tanquàm ſi exceptum eſset, ità dicit ſe ſecutum?

Qui ſcriptum contra ſententiam defendet, quinque potiſsimum rationibus aduerſarij defenſionem infirmabit, cum enim dicat aduerſarius, aliud ſenſiſſe ſcriptorem, aliud dixiſſe, primò dicet hoc minimè ferendum eſſe, vt quiſquam arbitrio ſuo ſenſum latoris interpretetur, cum ipſa lex cum apertè verbis explicet, deinde quæret ab aduerſario, quæ cauſa fuerit, vt lator ita ſcriberet, ſi in alia erat ſententia? Tertio ipſum vrgebit aduerſarium, petens ab eo, cur ea proferat, quæ ſcripta nuſquàm inueniuntur, cum apertè neglexerit & violarit ea, quæ planè ſunt in lege ſcripta? Quarto petet, cur latores viros ſapientiſsimos, tanquàm ſtultos damnare velit, quod ea ſcripſerint, quæ ſeruanda non ſint? poſtremò petet, quid impedimento fuerit ſcriptori legis, quominus adderet illam exceptionem, ſi putaſſet, addendam, quam aduerſarius ſe ſuiſſe ſecutum ait; vt apud Thebanos lex erat, vt vetus Imperator

Digitized by Google

tor nouo Imperatori ſuccedenti ſtatim exercitum traderet, Epaminundas Thebanorum Imperator, cum bellum contra Lacedæmonios gereret, & Thebani ſucceſſorem illi non ſatis rei bellicæ peritum miſiſſent, noluit exercitum illi tradere, ſicuti lex iubebat, ſed exercitu retento paucis diebus benè & feliciter Remp. geſsit: poſtea accuſatur, quòd contra legem fecerit, poterit igitur accuſator prædictos locos diligenter perſcrutari, atque ex illis argumenta ducere, quibus Epaminundam eſſe condemnandum approbet. Talis fuit cauſa M. Curij, de qua Cicero primo de Oratore, & in Bruto verba facit, in ea Q. Sceuola iuris peritiſsimus, ex ſcripto teſtamentorum iura defendebat, uolebatque tantum id, quod ſcriptum eſſet obſeruari, non autem teſtatoris mentem interpretari L. autem Craſſus contra id, quod erat ſcriptū pro æquo & bono pugnabat, itaque fuit Craſſus in cauſa ſuperior.

Vtetur exemplis ijs, quibus idem ſcriptor, aut ſi id non poterit, quibus alii, quod excipiendum putarint, exceperint; quærenda etiam ratio eſt, ſi qua poterit inueniri, quare non ſit exceptum, aut iniqua lex, aut inutilis futura dicetur, aut alia cauſa ob temperandi, alia abrogandi, diſsentire aduerſarii vocem atque legis, deinde amplificandi cauſa, de conſeruandis legibus, de periculo Rerump. atque priuatarum, cum aliis, tum in perorando maximè grauiter erit, vehementerque dicendum.

Plurimum proderit accuſatori, ſi poterit, exempla reperire, uel eiuſdem ſcriptoris, vel alterius probati viri, in quibus exceptiones additæ fuerint, nam deinde cauſam explicabit, cū in ea lege, vel ſcripto, quod defendet, nulla ſit addita exceptio. Sic enim legem iniquam aut inutilem futuram, ſi cuique pro arbitrio ſuo licuerit, exceptionem quamcumque uoluerit adiungeee, quam rem alibi copiosè Cicero perſequitur. Dicet etiam accuſator non eſſe ferendum, ut ſi reus nolit obtemperare legi, conetur eam abrogare, & antiquare, quoniam alia cauſa eſt obtemperandi, alia abrogandi, atque omnino ſententiam aduerſarij ab ipſa lege vel ſcriptò diſcrepare. Locus communis accuſatoris erit, pe conſeruandis legibus, & de periculo rerum publicarum & priuatarum, ſi cuique concedatur, vt leges interpretari poſsit, & à ſcripto recedat, quem locum pro A. Cæcinna Cicero copiosè tractat, vbi leges, & Lib. 2. de Inuent.

ius ciuile conſeruandum eſſe docet; licet tamen interdum à legibus diſcedere, cum uel maior vtilitas ſequitur, vel maiori aliqua poteſtate quiſpiam ab eis ſoluitur. Vnde Cæſar Auguſtus opera Virgilij potius conſeruare uoluit, quàm teſtamento parere, vt leges nolunt, itaque clamat.

*Frangatur potiùs legum veneranda poteſtas,*
*Quam tot congeſtos noctesque diesque labores.*
*Hauſerit vna dies.*

In peroratione, qui ſcriptam legem defendit, grauiter & vehementer de periculo dicet, quod rebus omnibus & publicis & priuatis imminet, quando leges non obſeruantur, & quando ab eo, quod ſcriptum eſt, temerè diſceditur, dicet etiam nihil differre non latas eſſe leges, & in nullo eſſe uſu, quod accidit, quando non coguntur omnes, verbis legum obtemperare, de hac re multa tradit Ariſtoteles in Rhetoricis, & Quintilianus libro ſeptimo, ubi ait magnam partem controuerſiæ iuris hinc pendere.

li. 1 Rhet. in fin.

Ille autem qui ſe ſententia legis voluntateque defendet in conſilio atque in mente ſcriptoris, non in verbis ac literis vim legis poſitam eſſe defendet, quodque nihil exceperit in lege, laudabit, ne diuerticula peccatis darentur: atque vt ex facto cuiusque iudex legis mentem interpretaretur, deinde erit utendum exemplis, in quibus omnis æquitas perturbetur, ſi uerbis legum, ac non ſententijs pareatur: deinde genus eiuſmodi calliditatis, & calumniæ retrahatur in odium iudicis, cum quadam inuidioſa querela.

Quatuor præcepta tradit illi, qui ſe ſententia legis uoluntateque defendet, contra ſcriptum.

Primum eſt, vt probet vim legis in conſilio atque mente ſcriptoris, non autem in verbis ac literis, quod copioſiſsimè Cicero pro A. Cæcinna docet, vt eo in loco; Neque vero quicquam opus ſit verbis; cùm ea res, cuius cauſa verba quæſita ſunt, intelligatur? quæ lex, quod Senatusconſultum, quod magiſtratuum edictum, quod fœdus, aut pactio, quod (vt ad priuatas res redeam) teſtamentum, quæ iudicia, aut ſtipulationes, aut pacti & conuenti formula, non infirmari,

aut

tur compelli poteſt, ſi ad verba rem deflectere velimus, conſilium autem eorum, qui ſcripſerunt, & rationem, & auctoritatem relinquamus, & quæ ſequuntur. Sed varij in locis in ea ſubtiliſsima oratione hoc diſputat, non eſſe tàm verba legis ſpectanda, quàm ſententiam.

Secundum præceptum eſt, vt ſcriptor laudetur, quòd in lege ſua nihil exceperit, ſed æqualiter eam ad omnes pertinere voluerit, ne diuerticula peccatis darentur, hoc eſt, ne peccantes aliqua ſe ratione poſſent excuſare: vt Liberi parentes alant, aut vinciantur, hæc lex generaliter ad omnes liberos pertinet, & tamen infantes & valdè mendici excuſantur, quòd ſi in lege illa exceptio fuiſſet, niſi valdè mendici fuerint, multi liberi, ne parentes alerent, mendicitatem excuſarent, nunc cum nulla ſit in lege exceptio, relinquitur iudici poteſtas, vt ex facto cuiusque legis mentem interpretetur.

Tertium præceptum eſt, vt exemplis vtamur, in quibus omnis æquitas perturbetur, ſi verbis legum, ac non ſententijs pareatur: vt pro A. Cæcinna lex vſum & auctoritatem fundi iubet eſſe biennium, at vtimur eodem iure in ædibus, quæ in lege non appellantur. Si via ſit immunita, iubet, qua velit agere iumentum, poteſt hoc ex verbis intelligi, licere ſi via ſit in Brutijs immunita, agere, ſi velit, iumentum per M. Scauri Tuſculanum: actio eſt in actorem præſentem his verbis, quandoquidem te in iure conſpicio, hac actione Appius ille Cęcus vti non poſſet, ſi tàm verè homines verba conſectarentur, quàm rem, cuius cauſa verba ſunt, non conſiderarent, teſtamento ſi recitatus eſſet hæres pupillus Cornelius, isque iam annos viginti haberet, vobis interpretibus amitteret hæreditatem, & reliqua.

Quartum præceptum eſt, vt aduerſarij calliditas & caluinnia, hoc eſt falſa interpretatio trahatur in odium iudicis, cum quadam inuidioſa querela, ut in eadem oratione pro A. Cæcinna, Is ne apud vos obtinebit cauſam ſuam, qui ſe ita defenderit, Eieci ego te armatis hominibus, non deieci, vt tantum facinus non in æquitate defenſionis, ſed in vna litera latuiſſe videatur? huiuſce rei vos ſtatuetis nullam eſſe actionem? nulli experiundi ius conſtitutum? & cætera.

Et ſi incidet imprudentiæ cauſa, quæ non ad delictum, ſed ad caſum, neceſſitatemve pertineat, quod genus paulò ante attigimus, erit iiſdem æquitatis ſententiis contra acerbitatem verborum deprecandum.



Digitized by Google

Fieri facilè poteſt, vt aliquis non conſultò, neque dedita opera, contra verba legis peccet, tunc defenſor arripiet æquitatem, & contra verborum acerbitatem diſputabit, vt lex eſt; Peregrinus ſi murum aſcenderit, capite plectatur, quidam peregrinus huius legis ignarus, non alicuius maleficij cauſa, ſed tantum viſendi ſtudio murum aſcendit, & capitis accerſitur. Idem erit agendum ſi vel caſu quis contra legem fecerit, aut neceſsitate coactus, nam (vt ait Cicero pro Milone) Silent leges inter arma, nec ſe expectari iubent, cum ei qui expectare velit, antè iniuſta pœna luenda ſit, quàm iuſta repetenda. Interdum etiam obliuione, non malicia contra leges peccatur, vt Charondas Tyrius legem tulerat, Ne quis in concionem armatus intraret, alioqui ſtatim interficeretur; accidit autem vt ipſe aliquando rure rediens, accinctus gladio per obliuionem in concionem aduocatam intraret, & cum à quodam aſtante ſuæ legis admonitus fuiſſet, ſtatim ſe ipſum interfecit, vt lex inuiolata permaneret. poterat tamen obliuionem & imprudentiam excuſare, ſi voluiſſet & legem ſuam imitius interpretari, non eſſe latam contra eos, qui per imprudentiam armati in concionem ingrediuntur, ſed contra eos, qui in concionem tenent arma, quò ſeditionem in populo concitent, aut quod ipſi volunt, contra aliorum ſententiam obtineant.

Leges inter arma ſilent.

Sin ſcripta inter ſe diſſentient, tanta ſeries artis eſt, & ſic inter ſe ſunt pleraque connexa, & apta, vt quæ paulo ante præcepta dedimus ambigui, quæque proximè ſententiæ, & ſcripti, eadem ad hoc genus cauſæ tertium transferantur.

Hæc controuerſia græco nomine vocatur ἀντινομία, cum duæ leges inter ſe pugnare videntur. Itaque cum ea lex quæ nobis contraria eſt, repugnat alicui legi probatæ, facilè poterimus eam eludere, & infirmare; vel etiam, ſi ſecum ipſa pugnat, vt ſi in vna parte vetet, quod in alia permittat; exemplum autem ponit hoc Ariſtoteles, Lex eſt, quæ iubet omnia rata eſſe, quæ homines inter ſe pepigerunt; altera lex vetat pactiones contra leges fieri, quidam inter ſe pepigerunt, nocturno tempore conuenire, & ſacrificia peragere, & Deo nuncupata vota perſoluere, neſcientes eſſe legem, quæ omnia nocturna ſacrificia prohibeat, accuſantur quod nocturna ſacrificia contra legem fecerint, illi ſe defendunt lege, quæ eſt de pactionibus, quæ iubet rata eſſe pacta: accuſatores obijciunt legem, quæ vetat pactiones fieri contra leges, & dicunt ea pacta non debere eſſe rata. hæc controuerſia

eſt ex

eſt ex contrarijs legibus. Quintilianus ait, nunquam eſſe legem legi contrariam iure ipſo, quia ſi diuerſum ius eſſet, alterum altero abrogaretur: Sed eas caſu collidi, & euentu, vt ſi ſit lex, Tyrannicidæ imago in gymnaſio ponatur; & item lex altera, Mulieris imago in gymnaſio ne ponatur, atque ita fiat, vt mulier tyrannum occidat: nam neque mulieris imago vllo alio caſu poni poteſt, ne tyrannicidæ vllo alio caſu ſubmoueri; videndum eſt igitur vtra lex potentior, vtra antiquior, vtra melior. Cicero hoc in loco docet, omnia ferè præcepta, quæ de ambiguo, & de ſcripto ac ſententia, ſupra iam tradita ſunt, etiam ad hanc controuerſiam pertinere, quoniam ea ſeries, & is ordo eſt præceptorum in hac arte, vt pleraque ſint inter ſe connexa & quodammodo copulata. Quare qui benè controuerſiam ambigui, & ſcripti ac ſententiæ tractare nouerit, etiam cum ſcripta inter ſe diſſentiunt, ſciet, quid cauſæ ſuæ prodeſſe, quid obeſſe poſsit.

Nam quibus locis in ambiguo defendimus eam ſignificationem, quæ nos adiuuat, eiſdem in contrariis legibus noſtra lex defendenda eſt; deinde eſt efficiendum vt alterius ſcripti ſententiam, alterius verba defendamus. Ita quæ modo de ſcripto ſententiaque præcepta ſunt, eadem huc omnia transferamus.

Docet quomodo ex præceptis, quæ de ambiguo, & de ſcripto ac ſententia tradita ſunt, hæc controuerſia contrariorum ſcriptorum tractari poſsit; Cum enim ambiguum poſsit duobus aut pluribus modis intelligi, nos eam ſignificationem, quæ pro nobis facit, confirmare debemus, & oſtendere veram atque iuſtam eſſe, ita cum duæ leges ſunt contrariæ, legem quæ pro nobis eſt, & cauſam noſtram adiuuat, defendere opus eſt, & veram atque iuſtam eſſe oſtendere. Et quemadmodum aliquando ſcripti ſententiam, aliquando uerba defendimus, ita cum duo ſcripta ſunt contraria, defendemus eius verba, quod pro nobis facit, & alterius ſententiam interpretabimur: vt ſi lex ſit huiuſmodi, Magiſtratus ab arce ne diſcedat, & altera huiuſmodi, Vir fortis optato, quæ volet. Quidam vir fortis Magiſtratum gerens, optat ab arce diſcedere, vt in ludis olympicis fortitudinis ſuæ periculum faciat, & gloriam acquirat. Qui primam legem defendet, nullo modo concedendum eſſe dicet, vt etiam ſi fortis ſit vir, & victoriam reportaturus, ab arce diſcedat eo tempore, quo magiſtratum gerit, quoniam hoc

hoc apertiſsimè lex præcipit. Secundam verò legem ſic interpretabitur, vt dicat concedendum quidem eſſe viro forti ut optet, quæ uult, ſicut lex iubet, modò tamen ne quid contra leges optet, hanc autem optionem eſſe contra legem. An ſi uir fortis tyrrannidem, aut mortem alicuius optet, id erit ei concedendum? minimè uerò, quoniam hæc legibus contraria ſunt, & Reip. pernicioſa: Ita concludet, non eſſe concedendum illi, ut ab arce diſcedat, donec in magiſtratu fuerit.

Expoſitæ ſunt tibi omnes oratoriæ partitiones, quæ quidem è media illa noſtra Academia floruerunt, neque ſine ea, aut intelligi, aut tractari poſſunt. Nam & partiri ipſum, & definire, & ambigui partitiones diuidere, & argumentorum locos noſſe, & argumentationem ipſam concludere, & videre quæ ſumenda in argumentando ſint, quidque ex iis, quæ ſumpta ſunt, efficiatur. & vera à falſis, ueriſimilia ab incredibilibus diiudicare et diſtinguere, et aut malè ſumpta, & malè concluſa reprehenre, et eadem uel anguſtè diſſerere, ut Dialectici, qui appellantur, uel ut oratorem decet, latè exprimere, illius exercitationis, et ſubtiliter diſputandi et copioſè dicendi artis eſt.

Hæc eſt concluſio totius operis, in qua docet Cicero ſine Philoſophiæ cognitione bonum oratorem eſſe poſſe neminem. Nam eloquentia, ſicuti docet Ariſtoteles, ex Dialectica & ciuili ſcientia conflata eſt. Itaque docet primo Cicero Dialecticam eſſe oratori neceſſariam; deinde etiam moralem Philoſophiam, atque ideo dicit has oratorias partitiones, è media Academia floruiſſe, & ſine illa neque intelligi, neque tractari poſſe. Fuit enim accepta à Platone Philoſophandi ratio triplex, Vna de natura & rebus occultis; Altera de uita & moribus; Tertia de diſſerendi ratione. De prima nihil hoc in loco dicit Cicero, quoniam non eſt admodùm oratori neceſſaria, ſecundam & tertiam amplectitur, ſine quibus nulla poteſt eſſe dicendi facultas artificioſa, ac primò Dialecticę partes & officia exequitur, deinde etiam moralis Philoſophiæ. Tria uero ſunt Dialecticæ officia, partiri, definire,

Digitized by Google

nire, argumentari, quæ ſunt etiam oratori neceſſaria, ſicuti initiò docuimus. quemadmodum etiam ambigua diſtinguere, & noſſe locos argumentorum, qui traduntur in Topicis, & ea tenere, quæ ad iudicandi ſcientiam pertinent, quæ græco nomine dicitur Analytica, de qua in Prioribus & Poſterioribus tractat Ariſtoteles, in qua formulæ argumentandi traduntur, & docetur, quid ex ſumptis propoſitionibus efficiatur, & quomodo uera à falſis diſtinguantur. Præterea quæ ſit refellendi ac reprehendendi ratio: Hæc autem omnia duobus modis tractari poſſunt, uel anguſtè & contrariè, ut Dialectici ſolent, uel latè & copioſè, ut oratores.

De bonis vero rebus & malis, æquis iniquis, vtilibus inutilibus, honeſtis turpibus, quam poteſt habere orator ſine illis maximarum rerum artibus, facultatem aut copiam?

Philoſophiæ pars ea, quæ ad uitam & mores attinet, omninò eſt oratori neceſſaria, ſine qua nihil eſt, quod de uirtutibus ac uitijs copioſè ſubtiliterque diſſerere quiſpiam poſsit: Ea cognitio longè magis uerborum copiam alit, quam omnia rhetorum præcepta, uerum eſt enim, quod ait Horatius.

*Scribendi rectè ſapere eſt principium & fons*
*Rem tibi Socraticæ poterunt oſtendere chartæ.*
*Verbaque prouiſam rem non inuita ſequentur.*

In oratore ad Brutum Cicero probat, ſine Philoſophia non poſſe effici quemquam eloquentem, quoniam omnis ubertas & ſilua dicendi à Philoſophia manat.

Quare hæc tibi ſint, mi Cicero, quæ expoſui, quaſi indicia fontium illorum, ad quos ſi nobis eiſdem ducibus, alijsue, perueneris, tum & hæc ipſa melius, & multò maiora alia cognoſces.

C. F. Ego uero, ac magno quidem ſtudio, mi Pater, multisque ex tuis præclariſsimis muneribus nullum maius expecto.



Digitized by Google

Extrema parte operis filium adhortatur, ut ad Philoſophiæ ſtudium ſe conferat; magnamque utilitatem proponit; Primò ut multo melius rhetorica præcepta intelligat, deindè ut longè plura & excellentiora percipiat, quod ſe libentiſsimè facturum filius reſpondet. Hæc (inquit) quæ in hoc opere tractauimus, ſunt quaſi ſigna & indicia illorum fontium Philoſophorum, unde omnes artes ingenuæ deducuntur; Nam Philoſophia eſt parens & procreatrix liberalium omnium artium ad quam patre duce, uel alio aliquo, ſi peruenire uolueris, poteris & hæc, & alia multò maiora percipere: At contra *filius ait*, ſe Philoſophiæ cupidiſsimum eſſe, neque à patre maius ullum munus expectare, quàm ut ſibi Philoſophicos fontes aperiat.

FINIS.

## *SERIES CHARTARVM.*

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy.

Omnes ſunt Duerni, præter Y y qui eſt Ternio.

Venetijs, apud Nicolaum Morettum. M. D. LXXXVI.

Digitized by Google

ſophiæ ſtudio
multo meli
excellen
det. Hæc
& indu

Digitized by Google

Digitized by Google